Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

14 . 31 . L . 1
M

Digitized by Google

DE
DUPLICI STATU
VITÆ HUMANÆ
SEU

De Adam ante,& poſt Prævaricationem

PHILOSOPHIA SACRA

Diſſertationibus duabus comprehenſa

AUTHORE

R. P. ANTONIO URSAYA

De Sancto Joanne ad Pyrum Policaſtren.
Ordinis Minimorum Provinciæ
S.Franciſci Sacræ Theologiæ
Profeſſore, & Lectore
jubilato.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

COLONIÆ.

Apud Jo: Jacobum De Hertz. MDCCIIII.
Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

REVERENDISSIMO PATRI
PATRONO COLENDISSIMO

P. ZACHARIÆ ROSLET

Sacræ Theologiæ Lectori Iubilato, in Gallia Concionatori incomparabili, Exprocuratori Generali in Romana Curia, & ad præſens totius Sacri Ordinis Minimorum Correctori Generali.

FELICITATEM.

Reverendiſſime Pater, præfigere ſcriptorum more, huic operi magnum magni viri nomen, ut ſi qua eſſet authoris obſcuritas, claritate Patroni fama accederet, non iſtud quippe fuit ſolummodò conſilium. Deſiderium quidem utilitatis, puerulis nempè, quos invida natura de matris diro ergaſtulo excludendos prohibet, opus meum iſtud qualecumque ſit, ut conſcriberetur, me impulit fateor; ſed hoc ipſo ſtudium veritatis anteceſſit. Docente ergo eodem veritatis amore, qui magiſter eſt optimus, dum in lucem publicam prodiret ſuum conquirendo Mecœnatem,

Digitized by Google

tem,ſuum expoſcendo tutelarem,mentèm evagari, patronum quem deligerem, ſi voluiſſem, omni jure nequivi. Veritatis amor me docuit, tibi ut conſecraretur conſummatæ ſapientiæ viro,ejusdemque jura omnia certatim expoſtulabant. Illuſtrem, ſapientem meritis opulentum, reconditioribus litteris onuſtum querebam, nam hujusmodi authores conquirere ſatagunt; tibi ergo offerri opus erat, cui ſcientiæ certatim, & virtutes, litteræ, & mores, merita, & laudes felici connubio, fauſtiſſimoque fœdere inſunt; Quem, & diſciplinarum confluxus, & dexteritas mira in agendis, & morum ingenuitas, & vitæ candor, & generis ſplendor omnibus numeris abſolutum conſtituunt. Tibi, qui magnus in Gallia,major in Italia, conſecrãdum fore veritatis amore dictante, oportebat. In Gallia magnus,ſi dum concionaris eloquenter,dum doctè ſcribis,dum ſuperna elocutione ſupera bona loqueris, neminem video qui ad audiendum à te Verbum Dei acceſſerit, & divinæ patriæ amore eſtuans non receſſerit: Vox tua altitonans in cordibus fidelium ſepulcrum circũferebatur criminum, & lavacrum præſeferebat mentium. In Italia major;ſiquidem virtus

tua

tua magna,laudibus ſociata ſummis cōtra commune illud ; plures meritis eſſe opulentos non laudibus, laudatus tu ab Inno. XII. de te innocenti elogio pronunciavit *Optimus Vir*: O vocem dignam Pontifice(quis eſt,qui non exultet) ſummo,tibi glorioſam. Religio noſtra, demum ut te ſemel,& iterum in Procuratorem Generalem elegerit non contenta,ad ſupremum Religionis faſtigium evexit. Hæc omnia,ut alia ſilentio prætercam, docente veritatis amore,ut meos labores tibi,ut vero tutelari dicarem felici neceſſitate coegerunt. Suffragante itidem utilitatis deſiderio, ante hac tui clientis primos labores benignè excipiendos, fovendosque offerre congruum erat, nam primogenitum fœtū de utero mentis meæ excluſum,magna luce illuſtrādum nitenti ſub tuo patrocinio non dubito;eo vel magis, quia tuus eſt,quia ſic concepi, ſic abſolvi, ut te hortante conceperim, abſolverim demùm paraverim. Si autem pauper inlucem ſe prodit, *in paupere Deus* ut ait Chriſ. *abſconditur,manum extendit pauper, & accipit Deus*. Igitur tu qui morum probitate enites,qui humiles protegis,& ſuavitatem in protegendo fortitudini mirè copulas, has meas

exer-

exercitationes, & meipſum benignè excipiendo, atque ſuæ gratiæ potentioribus radiis fovendo, Deus accipiet, nam pauper manum extendit. Accipe igitur, Reverendiſſime Pater, Philoſophiam Sacram meam duabus diſſertationibus comprehenſam, ſeù potiùs Philoſophiæ ſacræ ſpecimina; & tandem, quia res, de qua agitur, magni momenti eſt, minorum tutelam reſpuit. Tu ergo meritò protege, & vive felix æternum, & Vale.

Reverendiſsimæ Paternitati Veſtræ

E Conventu Bonatorum S. Mariæ Colemodiorum nuncupato hac die 7. Septembris 1703.

Obſequentiſsimus Addictiſsimus Servus, & Cliens
Frater Antonius Urſaya Minimus.

Digitized by Google

TYPOGRAPHVS LECTORI.

COngruum puto, Amantiſſime Lector, ſi aliqua te alloquens præfatione, Authoris conſilium, & rationem tibi expoſuero. Vt primùm Cathedram, quamplurибus annis in Conſentino Collegio ſuæ Provinciæ exercuerat ſemel, & iterum abſoluto curriculo, dimiſit; ad alia meditãda, labori haud parcens nec per vices converſus eſt: Alternandas, miſcendasque ſolitudinem, & frequentiam, revocandam mẽtem ad jocos, nec æqualiter retinendam ſtrenuo rigore quis crederet rarò ei contra Senecæ conſilium de tranquillitate animæ datum experiri? Amicorum igitur conſilio ſuffragante ſignanter A.R.P. Ioſeph Maria Perrimezzi Lectoris Iubilati, de reconditionibus litteris benemeriti, & verbi Dei præconis in Italia celebris confeſtim cogitare cœperat novas cudendas quæſtiones nonniſi ex legibus Maignani reſolvendas, ab eodem non expoſitas. Manum admoverat exercitationi; & ecce ad humanæ naturæ in primo felici ſtatu puritatem: Item ad ejuſdem per ſalutare lavacrum in Chriſto reparationem declarandam occaſione oblata ſe contulit. Nè tamen opus exiguæ molis ſuæ deperditioni temporum decurſu anſam præberet, plurima de duplici ſtatu humanæ naturæ contemplari coactus eſt. Quod verò præcipuè Authorem movit, accipe v. v. conciliare generalem impenſam Dei bonam voluntatem ſalvandi omnes, & ſingulos homines cum neceſſitate baptiſmatis pro originali peccato ex inſtitutione Chriſti delendo, etiam in parvulis communem aerem non accipientibus; & jam plura exacto examine meditans nullum non relinquens lapidem, demùm mari terraque ſuperatis, felix fœdus, lætumque connubium, quo datis mutuo manibus invicem cohæreant, invenit. Eò libentius ad id conſcribendum, & evulgandum induxerant amici tum domeſtici, tum exteri, quibus minimè diſplicebant ejus placita, quia aliquod noviter animadverſum ſaltem doctrinæ uſu, & diſpoſitione litterariæ Republi-

cæ

Digitized by Google

ca ſe allaturum ſperabant, Seneca dicente epiſ.64. etſi omnia à veteribus inventa eſſent, hoc tamen ſemper novum erit uſus, & inventorum ab aliis ſcientia, & diſpoſitio. *Profectò qui dumtaxat veritati conquirendæ incumbunt, non autem philoſophantur pro lucrando pane, non ignorant illud Sectani in ſuis ſatyris.*

At poſtquam didicit ſollers induſtria linum
Frangere, & infuſis macerare induſia limphis,
Inque leves abiit trita ſubucula chartas,
Quemlibet inſanum ſcribendi urtica momordit
Mox ſtimulos animo, & fatuæ calcaria menti
Preſtavere typi . . . . . .

Licet autem ſuam mentem Author litteratis viris, quam ſuperioribus annis cognitam fecerat, evulgare voluiſſet, verebatur adhuc ne prima rei facie ſua cogitata deſpicerentur, nam hunc eſſe morem apud vulgares probè noverat. Verum dum Cajetanum evolveret, eumque reperit in eadem fuiſſe ſententia, cujus, ipſe narrabat, obſcura lumina quædam ſolùm debebat Iulio Syrenio: Tunc firmiter animum noſtri Authoris hæc omnia induxerunt, ut typis committeretur; & quum vix Cajetanus quæſtionem tetigerit, fuſè pertractare decrevit, atque ad exactum ratiocinium pro viribus ſolvere, eo vel magis, quia apud Maignanum hujus de parvulorũ baptiſmate in voto ad ſalutem cogitati, lumina contraria non eſſe deprehenderat. Ad maturitatem ducebatur feſtinanter ex animi ſui flagranti voto, luce ut frueretur ſua fœtus iſte (ſex menſium ſpatio abſolutus); ex quo lucem æterni jubaris infantes matrum in utero obeuntes, ſibi in votis alienis ſperare poſſent. Et ecce adverſis aſtris, ejus partus deſperatus credebatur. Ad ſalutem vota aliena, quod exploraret, facinus fuit; At vota ad ſalutem cum illis, quæ ſunt ad animarum perniciem non confundenda eſſe cuique nutu planè divino cum conſtiterit: nam quæ ſocietas luci ad tenebras; quæ autem conventio Chriſti ad Belial, animum ad ſtudia iterum revocavit, & in

divi-

divinæ benignitatis obſequium, opus hoc in Conventu Bonatorum typis de brevi demandandum digeſſit, atque omninò abſolvit. Quod in publicam lucem prodiret expectabant amici, qui per epiſtolas Authorem ſuaſerant; Hic autem adhùc remoram patiebatur cogitans optimum fore ſi majoribus temporum intervallis conſcripta perpenderet, ſciens quot noſtræ menti mala inflixerat originale peccatum; nam opus omne quod elaboratur plurima eget lima, ideoque, ajebat, pro nunc ſuperſedendum donec cadentibus temporibus major lux affulgeat. Cum non diſplicuerit conſilium ſuo germano Doctori D. Ioanni haud fieri poterat, ut opus typographi cuderent, etſi efflagitante Doctore D. Petro Marcellino de Luccia ſuaviſsimo amico, & de ſcientiis benemerito, qui patriam orbi expoſuit ſuo opere Romæ edito. Deo demùm ſic diſponente, in manus meas cum devenerit exemplar unum ex integro, extemplò hos Authoris labores non contemnendos unus, vel alter litteratorum ingenuus, & liberalis fautor perire non eſt paſſus: nolens nonniſi piè de Deo ſentire, deeſſe auxilia parvulis illis, qui ob naturæ invida perniciem, omnem vitam materna intra clauſtra abſolvunt, ſufferre nequibat, ſciens optimè pro omnibus, & ſingulis mortuum eſſe Dominum noſtrum. Hoc ergo volumen ad exacti judicii ſtateram conſcriptum, meis typis evulgare illicò decrevi, ubi tàm clarè ſcholaſtica methodo, adductis SS.PP. nec vel minimùm contradicentibus per altiora principia, divina voluntas, ſummaq; benignitas de omnium ſalute, omni ſui ſemoto præjudicio, aliquorum infantium conciliatur cum perditione; & baptiſmi neceſſitas, quo ſenſu intelligenda explicatur. Relinquo tot alia, quæ purgato calamo diſtinctè, ambagibus depulſis exponuntur; conſueta baptiſmi diviſio manifeſtatur; contritionis efficacia, & facilitas declaratur; Baptiſmi in voto æquivoca acceptio pro infantibus, & pro adultis demonſtratur, et ſimilia aperiuntur. Meam operam, & amicorum conſilium non damnabit Author, ſi animum intendit in id, quod ſcripſit S. Hieronymus in præ-

ſatione in Oſeam: Dum vivimus, *ait*, & in vaſe fragili continemur, videntur amicorum prodeſſe ſtudia, & nocere æmulorum opprobria; poſtquam autem reverſa fuerit terrà in terram ſuam, & tam nos qui ſcribimus, quam eos qui de nobis judicant, pallida mors ſubtraxerit, & alia venerit generatio, primiſque cadentibus foliis virens ſylva ſuccreverit, tunc ſine nominum dignitate ſola judicantur ingenia, nec conſiderat, qui lecturus eſt, cujus, ſed quale ſit, quod lecturus eſt. *Accipe igitur Lector amantiſſime, quæ Author cogitavit, et abſque fictione conſcripſit, quæque abſque invidia ego communico. Si tibi arriſerint, alia quæ meditatur, commentaria ſcilicet ſuper libris Maignani de corpore animato, litteris divino favente Numine certè conſignabit. Vale.*

APPROBATIONES ORDINIS

Fr. Joſephus Gaſch lector jubilatus ſupremæ Hiſpaniarum inquiſitionis qualificator, ac totius Ordinis Minimorum Humilis Corrector Generalis.

DIlecto nobis in Chriſto R. A. P. Antonio Urſaja ejuſdem noſtri Ordinis S. Th. Lectori jubilato, & ad præſens in noſtra S. Franciſci de Paula Provincia Definitori ſalutem.

Tenore præſentium tibi R. A. P. licentiam impartimur typis mandandi, ſervatis de jure ſervandis opus à te editum, cujus titulus eſt *De duplici ſtatu vitæ humanæ* : Aſſignantes pro ejuſdem operis prævia reviſione, & approbatione duos ejuſdem Provinciæ S. The. Veteranos Lectores; nempè R. A. P. Joannem à Bellovıderio S. T. jubilatum Lectorem, & ſtudiorum moderatorem, & R. P. Petrum à Longobardis S. T. pariter jubilatum Lectorem. In quorum fidem, &c.

Datum in hoc noſtro S. Franciſci de Paula Piſauri Conventu die 14. menſis Junii anno 1700.

Fr. Joſephus Gaſch humilis Corrector Generalis

De mandato Reverendiſſimi P. noſtri Generalis

Fr. Eugenius Rolla Collega Italus.

Digitized by Google

EX commiſſione Reverendiſſimi Patris noſtri Generalis Joſeph Gaſch Sac. Theologiæ Lectoris jubilati, ac ſupremæ Hiſpaniarum inquiſitionis qualificatoris ego infraſcriptus omni, qua potui diligentia, cura, & attentione perlegi opus, quod inſcribitur *De duplici ſtatu vitæ humanæ, ſeu de Adam ante, & poſt prævaricationem* compoſitum ab Ad. R. P. Antonio Urſaya à Sancto Joanne ad Pyrum Provinciæ Definitore Lectore jubilato, ac Concionatore eruditiſſimo S. Ordinis Minimorum S. Patris noſtri Franciſci de Paula; in quo quidem nihil bonis moribus, aut fidei Catholicæ repugnans, minuſque Conſentiens inveni, quinimò maximam redolere in eo pietatis ſtudium, ac infinitam Dei miſerentis benignitatē, qua voluit in ſe credentibus vera, & ſufficientia remedia exhibere, ut ſalvi fiant. Quare digniſſimum Cenſeo, ut opus hoc maximo labore elucubratum ad majorem Dei gloriam noſtræ Religionis decus, maximumque profectum, & utilitatem litteratorū typis mandetur, & luce publica gaudeat. Datum Conſentiæ die 20. Auguſti 1701.

Fr. Petrus à Longobardis S. T. Lector jubilatus.

CHARITAS.

Fr. Joſeph Maria Perrimezzi Ordinis Minimorum S. Theologiæ Lector jubilatus ſtudiorum Præfectus, nec non in primaria totius Ordinis Provincia S P. Franciſci de Paula Corrector Provincialis Apoſtolicus.

OPus, quod ſumma diligentia, accuratoque ſtudio, prout tantæ rei dignitas expoſcebat, cuique titulus: *De duplici ſtatu vitæ humanæ, ſeu de Adam ante, et poſt Prævaricationem*: R.P. Antonius Urſaya à S. Joanne ad Pyrum S.T. Lector jubilatus, Concionator Veteranus compoſuit Poteſtate nobis facta à Reverendiſſimo Patre noſtro Generali P. Zacharia Roſler, ut typis mandari poſſit, & valeat prævia tamen reviſione, & approbatione RR. PP. Joannis Comite à Scalea S.T. Lectoris Iubilati, & Alberti Remida à Marathea S.T. Profeſſoris, & Concionatoris, quantum in nobis eſt, ad majorem Dei gloriam, Religionis noſtræ ornamentum, & ſuæ virtutis commendationem licentiam libentiſsimè in Domino facimus, & impertimur. Datum in Conventu Bonatorum die 12. Iulii anno 1703.

Fr. Ioſeph Maria Perrimezzi Corrector Provincialis Apoſtolicus.

Digitized by Google

JUſſu R. A. P. noſtri Provincialis P. Joſeph Maria Perrimezzi, nos infraſcripti ad hoc ab eodem ſpecialiter deputati vidimus ac attentè examinavimus librum, cui titulus *De duplici ſtatu vitæ humanæ, ſivè de Adam ante, & poſt peccatum* à R. A. P. Antonio Urſaya à S. Joanne ad Pyrum S.Theologiæ Lectore jubilato, Concionatore Veterano ſubtiliter compoſitum,& ægregiè Concinnatum,& in eo cum nihil à recta fide alienum,vel bonis moribus cōtrarium inveniri deprehenderimus, publicæ luci ad majorem, aliàs obſcuriſſimæ hujus materiæ dilucidationem, maximo inſuper Theologiæ candidatorum profectu, eorumque omnium, qui Sacrarum litterarum, & Sanctorum Patrum aſſiduæ lectioni vacant, dari poſſe exiſtimamus. In quorum fidem,&c. Datum ex hoc Belviderii Conventu die 20. Auguſti 1703.

Fr. Ioannes Comiti à Scalea S.T.L. Iubilatus

Fr. Albertus Remida à Marathea S.T. Profeſſor.

Digitized by Google

Index Capitum

PRIMÆ DISSERTATIONIS.

Cap.I. PRima vitæ Præſtantia Deſcribitur.
Cap.II. Ordinatæ modus tranquillitatis potentiarum inquiritur.
Cap.III. Explicatur avulſio fomitis in Adam ex parte corporis, &
Arti.I. De elementis Corporis Adæ.
Art.II. De ſenſu, & vita animali.
Art.III. Quo modo, & progreſſu fiat ſenſus.
Art.IV. Raptim deſcribuntur animi paſſiones; & demùm huic capiti ſatisfit.
Cap.IV. Explicatur fomitis avulſio in Adam ex parte animæ rationalis.
Cap.V. De Præſtantia libertatis Adæ ſecundum ſe.
Cap.VI. De Præſtantia libertatis ex parte gratiæ auxiliatricis.
Cap.VII. De Præſtantia Adæ ex parte gratiæ Sanctificantis.
Cap.VIII. De Proprietatibus gratiæ habitualis.
Cap.IX. De Prædeſtinatione hominum ante lapſum.

SECUNDÆ DISSERTATIONIS.

Cap.I. SEcunda Vitæ infelix conditio deſcribitur.
Cap.II. Quod Adæ peccatum infecerit Poſteros.
Cap.III. In quo ſita ſit eſſentia peccati, qua Originalis.
Cap.IV. De ſuppliciis Originalis peccati; ubi demonſtratur rerum exiſtentia, & ſimul humanæ mentis imbecillitas manifeſtatur. Plura corollaria exponuntur.
Cap.V. An decedentes in originali ſentiant pœnam ex damno.
Cap.VI. Utrum poſſit peccatum à peccatore irretractatum condonari à Deo.
Cap.

Cap.VII. A*n peccatum grave ſit jure ſuo puniendum eternùm, an ex aliquo extrinſeco.*
Cap.VIII. *Solvitur quædam objectio de infinitudine peccati.*
Cap.IX. *De Prædeſtinatione hominum poſt lapſum.*
Cap.X. *De ſalute Parvulorum medio baptiſmate, in quo*
Prop I. Peccatum originale oſtenditur non eſſe proprium.
Prop.II. Baptiſmum eſſe neceſſarium, quia non omittendũ.
Prop.III. Ad delendum originale nullum omninò requiri dolorem.
Prop. IV. Examinatur ſententia ſfondrati.
Prop.V. Examinatur communis ſcholaſticorum doctrina; & inſufficiens demonſtratur, opinio cæteris probabilior evidenter ſubſtinetur. Mens divi Auguſtini *exploratur. Objectiones omnes facillimè diſſolvuntur; & plura interim notatu digniora fuſiori calamo hic inſinuantur, præſertim ſuper illud* Joannis *III.* niſi quis renatus.
Cap.XI. *De ſalute adultorum per auxilia gratiarum.*
Cap.XII. *De libertatis in ſecundo ordine vitæ defectu.*
Cap.XIII. *De aliis naturæ reparatæ præſidiis.*

Digitized by Google

DISSERTATIO PRIMA

De Prima Vitæ humanæ Conditione, ejuſque diſcrimine à Secunda.

AD explanandum hac prima parte occurrit, quod, etſi per omnium ora circumfeeratur, non ſat animo comprehendi exiſtimo. Quotidie ſtatum illum Adæ felicem proclamamus, infeliciter eundem penetrantes: illius tranquillitatem, & beatæ vitæ quietem prædicamus; magna tamen animi noſtri perturbatione, ipſam primæ vitæ conditionem vix concipimus. Cum autem apud Ariſtotelem 3. Politic. 6. Aliud enim alii: cuncti cuncta differunt, opus aggreſſus ſum iſtud, quò clariùs, quod circumfertur, perſpectum habeatur. Licet enim cum vulgo Theologorum in communi intelligentia olim tenuerim; tamen Senecæ doctrina fretus: *Multi ad culmen ſcientiæ perveniſſent, niſi jam ſe perveniſſe exiſtimaſſent.* Quid clariùs, quidve ulterius dicendum ſuper hoc ſuſcepi. Id, vel maximè nunc inſtituti eſt mei, ut ſecundùm leges Philoſophiæ Maignaniſticæ, paulò altiùs tale myſterium revolvam explanaturus; cætera, quæ connectuntur, haud relinquens, dum hoc myſterium evolvam.

Digitized by Google

Caput Primum.
Primæ vitæ præſtantia ex Auguſtino deſcribitur.

1 VUlgò fertur, ex ſacris litteris, Adamum, creatum innocentem, innocentiæ dono,& juſtitiæ originalis veſtitum: ut enim docemur Eccleſiaſtes 7. Deus creavit hominem rectum, ſcilicet, converſum ad ſe ſupernaturaliter, & naturaliter cum facilitate vivendi, & promptitudine in ordine ad moraliter operandum, quod nunc mea intereſt.

2. Quid verò intelligatur nomine Juſtitiæ originalis conſiderandum occurrit. Intelligendum eſſe ratum habeo pro dono, quo originaliter juſtus natus eſt Adam, puta rectus ſecundùm ſe abſque ulla deordinatione, & principio deordinationis, ſecluſa voluntate,& libertate, quæ poterat deordinari, ſicuti de facto deordinata eſt, puta, abſque intrinſeco fomento peccati, abſque inordinato appetitu, ſine concupiſcentia carnis, oculorum, &c. Hoc enim modo dicimus Adamum juſtum originaliter, ſcilicet, juſtum in origine, & conſtitutione ſua organica phyſica, quatenus de corpore non erat incentivum peccati.

3. Videamus quid ſcriptum reliquerit D. Auguſtinus lib. de Correct. & Gratia, cap. 10. loquens de Adam, qui non perſeveravit, ſed cecidit, ſic ait: *Quapropter ſaluberrimè confitemur, quod rectiſſimè credimus Deum, Dominumque rerum omnium, qui creavit omnia bona valdè, & mala ex bonis exortura eſſe præſcivit; & ſcivit magis ad ſuam omnipotentiſſimam Bonitatem pertinere, etiam de malis benefacere, quàm mala eſſe non ſinere, ſic ordinaſſe Angelorum, & hominum vitam, ut in ea priùs oſtenderet, quid poſſet eorum liberum arbitrium, deindè quid poſſet ſuæ gratiæ beneficium.* Cap. 11. *Quid ergo,* inquit, *Adam non habuit Dei gratiam? Imò verè habuit*

habuit magnam, ſed diſparem, &c. Et infra, auxilii indigentiam exprimens, ait etiam de Angelis: *Si autem hoc adjutorium vel Angelo, vel homini, quamprimùm facti ſunt defuiſſet, quoniam non talis natura facta erat, ut ſine Divino adjutorio poſſet permanere, ſi vellet, non utique ſua culpa cecidiſſent; Adjutorium quippè defuiſſet, ſine quo manere non poſſent.*

Exemplificat S. Doctor hunc primum ordinem vitæ: *Denique Angeli quidam, quorum Princeps eſt, qui dicitur diabolus, per liberum arbitrium à Domino Deo refuga facti ſunt; cæteri autem per ipſum liberum arbitrium in veritate ſteterunt, eámque de ſuo caſu, nunquam futuro certiſſimam ſcire meruerunt.* Et loquens de Adamo: *Sic hominem fecit cum libero arbitrio, &, quamvis ſui caſus ignarum, tamen ideò beatum, quia non mori, & non miſerum fieri in ſua poteſtate eſſe ſentiebat: in quo ſtatu recto, ac ſine vitio, ſi per ipſum liberum arbitrium manere voluiſſet, profectò ſine ullo mortis, & infelicitatis experimento acciperet illam meritò hujuſmodi permanſionis beatitudinis plenitudinem, qua & Sancti Angeli ſunt beati, ut cadere non poſſint ulteriùs, & hoc certiſſimè ſciret.* Cap. 11. *Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem, dederat & adjutorium, ſine quo in ea non poſſet permanere, ſi vellet, quia non deerat adjutorium, per quod poſſet, & ſine quo non poſſet perſeveranter bonum tenere, quod vellet; ſed quia noluit permanere, profectò ejus culpa eſt, cujus meritum fuiſſet, ſi permanere voluiſſet, ſicut fecerunt Angeli Sancti, qui, cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium ſteterunt ipſi.*

4. Sed ulteriùs magis appoſitè explicans D. Auguſtinus illum felicem gratiæ ſanitatis ſtatum, recurrit ad ſtatum juſtitiæ originalis, ratione cujus gratia dicebatur ſanitatis. Explicans ergo expreſſiùs, quæ fuerit vitæ prima conditio, libertatis præſtantia in primo hominis ſtatu, ſic inquit eodem Cap. 11. *Quid ergo Adam non habuit Dei gratiam? Imò verò habuit magnam, ſed diſparem; ille in bonis*

erat, quæ bonitate ſui Conditoris acceperat, &c. Ille non opus habebat eo adjutorio, quod implorant iſti, cum dicunt: Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Quoniam in eis caro concupiſcit adverſus ſpiritum; ſpiritus autem adverſus carnem: atque in tali certamine laborantes, & periclitantes, dari ſibi pugnandi, vincendique virtutem per Chriſti gratiam poſcunt. Ille verò nulla tali rixa à ſeipſo, adverſus ſeipſum tentatus, atque turbatus, in illo beatitudinis loco ſua ſecum pace fruebatur. Proindè, etſi non interim lætiore nunc, potentiore gratia indigent iſti. Cap.13. de Correct. & Gratia: *Ut ergo non acciperet hoc donum Dei, ideſt, in bono perſeverantiam primus homo, ſed perſeverare, vel non perſeverare in ejus relinqueretur arbitrio, tales vires habebat ejus voluntas, quæ ſine ullo fuerat inſtituta peccato, & nihil illi ex ſeipſa concupiſcentialiter reſiſtebat, ut dignè tantæ bonitati, & bene vivendi facilitati perſeverandi committeretur arbitrium.*

5. Recurrit igitur Auguſtinus, ſtatum illum felicem extollens, ad compoſitionem primi hominis vi juſtitiæ originalis doni ſuaviori Divina Providentia Adæ conceſſam, & Evæ, pariter deſcendentibus ab ipſo, ſi permanſiſſet, concedendam Divinæ promiſſionis pacto inito, &c. Nec enim meliùs, clariùsque inſinuari poteſt, quàm ab Auguſtino dictum ſit: *Ille verò nulla tali rixa à ſeipſo, adverſus ſeipſum tentatus, atque turbatus in illo beatitudinis loco ſua ſecum pace fruebatur.* Si quis autem ex his Auguſtini locis alibi velit, gratiam Electorum poſt lapſum eſſe prædeterminantem, aut neceſſitantem cum Janſenio (quod jam damnatum eſt ab Innocentio X. & Alexandro VII.) aut efficacem præſcitam, aut prædeterminantem moraliter, ut videtur velle Pater Filoramo, perperàm ſic concludi ex Auguſtino, videatur apud Patrem Maignanum phil. ſac. cap. 35. prop. 12. 13. & ſequen-

quentibus, præterquamquod forſitàn infra.

6. Ex his conſtat quid intelligi per juſtitiam originalem, adæquatè acceptam, quam quidem adæquatè ſumptam, per baptiſmum nos non comparamus; relictus eſt enim ad agonem, ad victoriam concupiſcentiæ fomes: erat nimirùm juſtitia illa, ut cum Auguſtino eſt inconfeſſo, ſedans, imò ſimpliciter dirimens in prima hominis conditione omnem concupiſcentiam carnis, omnem inordinationem, omnem perverſitatem: quam, cum perdidimus in Adam peccante, obnoxii ſumus tot animi paſſionibus, tot inordinatis ad peccatum inclinationibus, fomentis, ſtimulis, illecebris, &c.

7. Quid autem juſtitia originalis nobis commodi attuliſſet, perſpiciendum eſt ex eo, quod poſt peccatum Adæ nobis acciderit, & fortaſsè habuiſſet homo, etiam in ſtatu puræ naturæ conditus. Poſt lapſum mortem corporalem, ærumnas, & in morbos offendimus. Cum enim ex quatuor elementis compactus ſit homo, & aptus in ſua principia reſolvi à juſtitia originali immortalitatem habuiſſet, ſed ad noſtrum inſtitutum pergo. Homo, cum ſit animal rationale, habeatque mentem, & ſenſum, quaſi conſtitutus in medio, ſenſusque ſuo proprio fine delectabili gaudeat. Et, licet rationi obediat pars ſenſitiva; ad ſummum obſequio politico, ſicut Civis ſuo Principi, in cujus arbitrio eſt velle illi obtemperare. Ex hac ſubjectione pugna illa oritur ſpiritualis, de qua Paulus ad Galat. 5. *Caro enim concupiſcit adverſus ſpiritum, ſpiritus autem adverſus carnem*. Hæc ſiquidem pugna eſt à natura, & à partis ſenſitivæ, appetitivæ conatu, & iſta eſt profectò illa concupiſcentia, qua homines (ablata juſtitia originali per peccatum Adæ) mirificè cruciantur. Si ratio philoſophica quæratur, eam in promptu accipe. Cum enim appetitus ad ſenſibilia feratur, extra rationis limites hominem impellit; nam, ſi conſideretur ſecundùm partem concupiſcibilem, verbi gratia, delectabilia,

lia, ſenſuique amica appetit, quæque nocent, fugit, & ex hoc fundat partem iraſcibilem, qua adverſantibus reſiſtimus. Quapropter ſenſus, & appetitus ſenſitivus aut præcipitem rationem ducit, aut à fine retrahere conatur, ut finem non conſequatur. Tunc verò in illo felici innocentiæ ſtatu, finis voluntatis (quidquid dixerint ſceleſtè Pelagius, & cæleſtius ſparſim apud D. Auguſtinum) fuiſſet ſecundùm rectam rationem bonum, & honeſtum operari, minimè impeditæ; verùm propter hominis Deo inobedientiam, pars ſenſitiva inobediens fuit menti, undè tot mala, quot in nobis ipſis experimur. Audi D. Auguſtinum lib. 2. de nuptiis, & concupiſcentia ad Valerium Comitem cap. 5. loquentem de libidine pudenda: *De hac erubuerunt etiam, qui primi pudenda texerunt, quæ priùs pudenda non fuerunt, ſed tanquam Dei opera prædicanda, atque glorianda; tunc ergo texerunt, quando erubuerunt; tunc autem erubuerunt, quando poſt inobedientiam ſuam, inobedientia membra ſenſerunt.* Patet ergo ex D. Auguſtino quantùm nobis profeciſſet ſupernaturale juſtitiæ originalis donum, ex appetitu ſenſitivo, qui hìc, & nunc, ſuppoſito primi Parentis inobedientiæ peccato, ponit in nobis pugnam ſpiritualem, & difficultatem ad agendum ſecundùm rectitudinem Rationis.

8. In prima ergo conditione, ſeù in illo beato ſtatu, cùm Deus hominem fecerit, ut ipſum amaret, ſibique ſerviret; ut id poſſet commodè, & ſuaviter præſtare, ut ſubditas ſibi teneret vires inferiores, Deoque junctus ſemper, juſtitiam originalem illi in creatione contulit, & contuliſſet filiis, ſi Adam perſeveraſſet. Hujus juſtitiæ, ut ſupra dictum eſt, munus erat voluntatem, rationemque Deo, voluntati ſenſitivum appetitum, & animæ corpus ſubdere, ut alacriter, & promptè, quæ Deus præceperat, poſſet homo præſtare; ſic voluntas ab appetitu ſenſitivo, ad agendum ſecundùm rectam rationem non impedita, corpusque labore non gravabatur, ad quod anima imperaret; quamobrem juſtitiæ ori-

originalis effectum, animæ tranquillitatem fuiſſe, ſatis colligitur. Defectus quippè omnes naturales tollebat, vel moderabatur, Adæque ſtatus erat beatus, tranquillus, pacificus, ſua ſecum pace fruebatur, nihil moleſtiæ patiebatur, carnis incendia omninò non ſentiebat; undè, inquit Auguſtinus de pecc. orig. contra Pelag. & Cæleſt. lib. 2. cap. 38. *Si autem peccato non fuiſſet dehoneſtata natura, abſit, ut opinemur, tales futuras fuiſse nuptias in Paradiſo, ut in eis ad prolem ſeminandam non natura voluntatis, ſicut pes ad ambulandum, manus ad operandum, lingua ad loquendum; ſed æſtu libidinis membra genitalia moverentur; nec, ſicut nunc fit, virginitatis integritas ad concipiendos fœtus vi turbidi vitiaretur ardoris, ſed obſequeretur imperio tranquilliſſimæ charitatis.* Et poſt pauca arguent eos, qui non poſſunt fortaſsè capere, ait: *Hæc ideo non creduntur, quia in iſta mortalitatis conditione inexperta ſunt; in deterius quippè vitio mutata natura non invenit primæ illius puritatis exemplum; ſed fidelibus loquimur, qui noverunt credere Divinis eloquiis, etiam, nullis adhibitis ex parte veritatis exemplis.*

9. Hactenus juſtitiæ originalis effectus deſcripſimus; Illius primæ vitæ præſtantiam, ſuavitatem, ad benè operandum promptitudinem, bonitatem, & facilitatem, ut loquitur D. Auguſtinus, generaliori verborum ſignificatione declaravimus: aſt ſupereſt magis in particulari inquirendus modus phyſicus, quo omnia dicta evenerint, aut eveniſſent eo tunc; quæque perdidimus, poſtquam in Adam peccante ſpoliati fuimus dono originalis juſtitiæ. Aliter non incongruè dici poteſt, non minus hoc facto nos confundi, quàm confuſi ſunt Parentes noſtri confeſtim poſt lapſum de corporum nuditate, ut ex ſcriptura D. Auguſtinus 13. de Civ. Dei.

10. Interim, ut verba faciam de iſta nuditate, Merſennus noſter in Geneſim cap. 2. verſ. 25. queſt. 33. art. 1. de hac ex nuditate confuſione, dicit, Adam ſtatim erubuiſſe, poſtquam ſuam nuditatem vidit, ut habetur Gen. cap. 3. ſcilicet,

inquit.

Digitized by Google

inquit: ubi Juſtitiæ originalis veſtimentũ ablatum eſt, quod totius corporis, & animæ ampliſſimum ornamentum ſimul & omnium perturbationum frænum potentiſſimum erat, quod paſſiones rationi ſubijciebat; non ſecus ac effrænis equus ad illicita fertur appetitus ſenſitivus, cuius motus, cum homo percipit (nam idem de Adam, & ſuis deſcendentibus, quo ad ex nuditate confuſionem) & ab alio deprehendi videt, erubeſcit, quod motus illos concitatos cohibere nequeat, & eo volente, nolente rationi velut imperent, ejusque juſſa detrectent, ut major minori ſervire cogatur. Potiſſima tamen pudoris cauſa fuit experiri pudenda, quæ prius pudenda non erant, ſed opera Dei laudanda, ut inquit D. Auguſtinus; cum enim ſtatim expertus fuerit rebellionem ſuarum virium inferiorum, & commotionem partium, generationi deſtinatarum experiri, & perſentiſcere incipiebat, de hac novitate in ſui corporis motu indecenti, turpi, atque deformi erubeſcebat; timebat eò, quod nudus eſſet, de quarum partium nuditate omnes homines, ſive caſti, ſive improbi confunduntur, & verecundiam concipiunt, cuius in facie erubeſcenti teſtimonium exibent.

11. Verumtamen difficultas ſuboritur, cur de aliarum partium noſtri corporis nuditate, non tantum concipiamus pudorem, quantum partium genitalium, quapropter dictarum pudendarum. Ratio difficultandi eſt cõſpicua, quia non minus in cæteris rebellionem experimur, puta, iræ choleræ &c. quarum adhuc in facie relucent indicia; cur ergo quam maximè nos ipſi cum Adam de partium, generationi ſervientium, nuditate erubeſcimus. D. Auguſtinus 14. de Civ. Dei, cap. 17. Libidinis æſtui, tanquàm ferventiori, aut magis naturæ inſperſæ perturbationi, cauſam reponere videtur; nam ſicut ſcriptum eſt, nudi erant, & non confundebantur, non quod eis ſua nuditas eſſet incognita, ſed turpis nuditas nondum erat, quia nondum libido membra illa, præter arbitrium, commovebat. Major cauſa pudoris ergo eſt motus

in

in illis partibus, quia, aut concitatior eſt, aut magis inſperſus,& promptus ex ſpirituum, & humorum affluxu, aut quia in aliis paſſionibus non adeſt aliquod organum, quod promineat; undè fit, ut non ſtatim appareant, aut ab aliis cognoſcantur, imò nec à nobis; quia ſtatum internum animi proprij cognoſcere nequimus, aut vix ſine exteriori ſigno. Merſennus tamen locis citatis(quod deſumptum videtur ex Auguſtino, ut infra) putat à vero non aberrare, qui dixerit, maximam verecundiam ex illarum partium nuditate oriri potiùs, quàm ex alijs perturbationibus, quia Deus voluit, nos, præſertim originalis peccati, meminiſſe, dum illud in poſteros regenerandos in Chriſto traducimus,ut ſemper felicem illum ſtatum ante oculos habeamus. Rationem aſſignat congruentialem,& optimam: decuit enim ultricem juſtitiam,ut in his maximè puniretur homo,per quæ ſuam iniquitatem,& peccati pœnas ad alios transfert,ut ea ratione pœna,veluti continua,evaderet. Aſſignat aliam rationem; cum generandi potentia;ejusque organa terreſtria ſint,& infima, quippè quæ gradum corporeum ſequitur juxta quoſdam,qui eſt omnium graduum entis infimus,vel, ſaltem vegetativum,& plantis congruit; indè fit, ut majori afficiamur pudore, cum huic infimæ potentiæ nos ſubijci ita deprehendimus. Quod, ſi dicas: etiam nutritivæ potentiæ ſubijci videamur,Merſennus reſpondet,non ita,ſicuti potentia generandi renuit rationis Imperium; faciliùs inordinatos gulæ motus,quàm venereos, compeſcimus. De hac re infra redibit ſermo.

Caput Secundum.

Quomodo in Adam erat illa decantata Potentiarum Concordia, & ordinata tranquillitas.

1. PLurima ſunt, quorum exiſtentiam, etſi exploratam habeamus, ipſum verò quid, ſaltem phyſicè, adhùc neſcimus: & ſi equidem ſciamus, nec aliter opinari liceat, juſtitiam originalem, Adæ Collatam, reſpicere obedientiam animæ, ut dictum eſt ſupra, dubitari tamen poteſt primò, quomodò potuerit Heva eſum ligni, quod erat in medio Paradiſi concupiſcere concupiſcentia ligata. Si aliqui dicunt, nullo pacto ligatam fuiſſe concupiſcentiam, ſed in proprium objectum ferri potuiſſe, tamen juſtitia originali primi Parentes poterant refrænare motus, falſum dicunt. Primò hoc explicandum eſt, quomodo poterant motus compeſcere, ſeù quo pacto id fiebat. Secundò, ſi in Adam erat concupiſcentia contra rationem, cur dicimus concupiſcentiæ fomitem eſſe effectum peccati originalis. Tertiò, ſi Adem ſentiebat concupiſcentiæ motus, & virium inferiorum, ubi erat animæ tranquillitas, potentiarumque omnimoda concordia, ita ut frueretur ſumma beatitudine? Ut docet D. Auguſtinus pluriès, relatus præſertim num. 5. capitis præcedentis.

2. Dubitatio tamen clarè ſolvitur, ſi dicamus, noſtros primos Parentes, dum eos tentavit Sathan, voluiſſe magis condelectari objecto ſenſus, quàm rationis, non quia impetum ſuſtinuerunt à viribus inferioribus, ſed quia voluerunt. Creata procul dubio fuit voluntas Adæ, ſicut Hevæ à Deo ſine obliquitate, ſeù recta, tamen ſe obliquari poterat vitio libertatis, non quidem conditoris. Concupiſcentiam ergo in Adam nullatenus fuiſſe, ex Auguſtino jam liquet, nam, licèt concupiſcentia ſumatur pro propenſione contra dicta-

men

Digitized by Google

men rationis; tamen multoties pro carnis incendio ad libidinem ſumi ſolet; ſi ergo Auguſtinus clarè, & expreſsè docet, tale incendium non paſſum fuiſſe Adam ante peccatum, nec indè in illo ſtatu motus membrorum ad ſeminandam prolem ſequebatur, ſed imperio tranquilliſſimæ charitatis; judicium profectò, imò à fortiori, faciendum eſt ſimile de aliis paſſionibus animæ, de aliis æſtibus, &c. Imò univerſaliter in ſuis operibus loquitur Auguſtinus de illa Beatitudine, qua fruebatur Adam, nullam rixam in ſe ſuſtinens. Conſiderando igitur quomodo fomenta non habuerit primus Parens ad conſentiendum, ſed pro ſua pura libertate conſenſerit, inquirendum eſt. Eò ſiquidem difficultas creſcit, quò ex ratione mutui commercii animæ, & corporis oportet, ut de corpore aliquam referat luctam ſpiritus: cum enim naturalis ſit nexus, ſicut inter corpus, & animam, inter vim intellectivam, & ſenſitivam, hoc ipſo, quod ſenſus communis aliquam exercet motionem ſentiendi, imaginandi, &c. in conſortium trahit intellectum; ut ipſe quoque idem intelligat objectum; & quia ſpiritus animales occupati circa ſenſibilia habent conquieſcere in ſenſibili, & de eo condelectari; impetum quoque faciunt appetitui rationali, ut ſimiliter condelectationem capiat, præſertim circa motus antevolantes primò primos, quorum non eſt poteſtas frænandi, aut non eliciendi. Hinc quæritur quomodò phyſicè factum ſit, ut Adam, cum fuerit conſtitutus iiſdem, quibus nos ipſi conſtamus, talem deordinationem per modum pugnæ, & conflictus non ſit paſſus ante peccatum, ſeù quomodò id præſtabat, id, quod vulgò dicitur Juſtitia originalis, quam in ipſo peccante perdidimus.

3. Putant aliqui, cum quibus videtur ſentire Pater Filòramo, effectum Juſtitiæ originalis fuiſſe, concupiſcentias ſedare, quæ poſt peccatum inſurrexerunt; &, ut ejus verba referam, exſcribo ex eis, quæ pluribus in locis in ſuo opere, quod inſcribitur Lapislydius habet de Prædeſtinatione Ele-

 cto-

ctorum §.20. pag. 369. 1. col. *Homo in ſtatu integræ naturæ per donum juſtitiæ originalis, quod præcisè ſoporabat concupiſcentias, & cupiditates naturæ, quibus trahitur ad ſe*; & ſimilibus verbis ſoporandi, ſopiendi, &c. utitur quaſi ſemper, ubicumque occurrit de juſtitia originali verba facere.

5. Hic autem loquendi modus, licèt oratoriè ſuſtineatur, philoſophicè tamen videtur importare in Adam fuiſſe concupiſcentias; ſed, veluti ſopitas, & ligatas; hoc autem ſubſtineri nequit. Primò, licèt dicatur ligata, deliteſcens, non tamen per hoc non eſt; ſicuti de facto, etſi benè operantes, atque electi aſſueti per gratiam Chriſti concupiſcentias vincere, fomitem dejiciant; non tamen ideò fomite carent; ergo, etſi dicatur in Adam ligata, & ſoporata, tamen hoc ipſo erat contra Auguſtinum. Quod, ſi dicas, fuiſſe ligatam non per imperium, ſed per ſoporationem, quaſi dormiens, &, ut dixi, deliteſcens, nec contra inſurgens, dicam Ego, ubi eſt illa rectitudo organica, ubi illa naturalis potentiarum obedientia in Adam, in qua rectitudine fuit extra omnem quæſtionem creatus primus Parens ſpeciali, & ſuaviori Providentia, ut ex Auguſtino pluries advertit noſter Maignanus. Jam enim ita actus concupiſcentiales, etſi, ut dici poſſet, non ſentiebat primus Parens ratione ſoporis, &c. tamen undè ſentiret habuiſſet contra id, quod dicitur ab Auguſtino cap. 13. de Correct. & Grat. *Tales vires habebat ejus voluntas, quæ ſine ullo fuerat inſtituta peccato, & nihil illi ex ſeipſa concupiſcentialiter reſiſtebat, ut dignè tantæ bonitati, & benè vivendi facilitati perſeverandi committeretur arbitrium*. Notentur verba illa cauſalia, *ut dignè tantæ bonitati, &c.* Ex quo colligitur, illam rectitudinem in ſacris litteris expreſſam, ſeù, ut dicit Auguſtinus, bonitatem, & benè vivendi facilitatem importare totalem interitum fomitis in Adam, non ſolùm ſoporationem, aliter non fuiſſet tanta bonitas, dignitas, & perfectio in creatione Adæ, quatenus adhuc in ipſo eſſet principium deordinationis, & fuiſſet

ejus

ejus voluntas inſtituta cum principio, ſeù fomento peccati. Item ubi eſſet illa tranquillitas, & potentiarum ab origine concordia, ſi naturaliter eſſet fomes peccati, ſed Divina gratia ſopitus deliteſcens? Ubi illa pax, illa beatitudo ab Auguſtino decantata cap. 11. de Correct. & Gratia: *In illo Beatitudinis loco ſua ſecum pace fruebatur*; non enim dici poteſt ſua ſecum pace frui, ubi adeſt talis ordo potentiarum, ut ſubjectionem ad invicem, nonniſi per ſoporationem dicant, minimè verò ex rei natura, ſed pugnam habeant. Adam certè fuit titulo creationis rectus; ergo fuit creatus cum potentiarum tranquillitate. Ergo hæc fuit in Adam per conſtitutionem Adæ, non per ſoporationem virium inferiorum.

5. Ulteriùs adhuc id explicandum foret, quomodò phyſicè hæc ſoporatio habebatur, quantumvis dicas vi, & efficacia Juſtitiæ originalis. Si Juſtitiæ donum originalis, qualitas erat indebita, ut putat peripatetica Theologorum ſchola, peto, iſta erat ne infuſa voluntati, aut parti ſenſitivæ, aut appetitivæ? Non dicent adverſarii hoc ſecundum, quia qualitas ſupernaturalis non recipitur in ſpiritibus animalibus, & in parte corporea; & etiamſi reciperetur ad nil inſerviret; nam non per hoc ſpiritus animales ſuam non haberent rebellionem ex proprio excurſu, & ex propria temperie, quia ſi ſpiritus v.g. eſſent ex propria natura ignei, ad iracundiam prompti, & mobiles, correſpondente pariter vaſorum capacitate ad iracundiæ effectum; quomodò per illam qualitatem impediretur, ne ſint ignei, ne ſint motionis celeris capaces, & ſic diſcurrendo per ſingula.

6. Tandem ergo, ut ſupra dicebam, explicandum ſupereſt, quomodò talis ſoporatio facta fuerit, quam quidem, relicta oratoria phraſi, puto intelligendam eſſe pro excluſione ſimpliciter fomitis ad peccatum, fuit enim conditus Adam tali pacto, ut, niſi eo modo fuiſſet conditus, peccati fomitem habuiſſet, & ideò dicitur fuiſſe ſoporatas concupiſcen-

ſcentias, ſi hac, aut ſimili loquendi formula uti velimus, in quantum iſtæ, quæ fuiſſent, ut conditio,& veluti proprietas naturæ,niſi ſpeciale Dei beneficium acceſſiſſet; accedente hoc Dei dono, dicuntur ſoporatæ, quod idem ſonat, ac extinctæ omninò, & dicuntur ſopitæ comparativè ad aliam hypotheſim conditionis Adæ, non ad illam eandem,in qua fuit creatus rectus, pacificus cum pace, & concordia ſuarum virium. Si autem dicatur recipi juſtitia originalis in voluntate, nec habetur intentum; nam eo caſu voluntas vim haberet retundendi motus concupiſcentiales, non quidem ſimpliciter eos auferendi, ne ſint. Ratio eſt clara, quia adhuc voluntas poſſet præveniri non applicata per rationem, ſed per motum animalem, & conſequenter impetum pati, licet eſſet in voluntate virtus reſiſtendi, frænandi, & cohibendi. Nunc enim quærimus perfectam pacem, & concordiam partis ſenſitivæ cum rationali, & perfectam ſubjectionem virium, & facultatum inferiorum. Per hoc, quod voluntati ineſſet habitus ille, non certè perderent facultatem tumultuandi ſpiritus animales, & ſenſitivi.

7. Dices contra id,quod à me dictum eſt ſupra, ſcilicet, quod nunc, dum per Gratiam Chriſti vincimus motus concupiſcentiæ, nonniſi reluctando, negando eis conſenſum ad illud,ad quod nos provocant; tunc verò ad deliberandum, ad conſentiendum non urgebant, & contendebant motus concupiſcentiæ, ſed ligabantur, & ſoporabantur à juſtitia originali. Sed contra eſt,quia,dum per habitum inhærentem voluntati,voluntas pro libito eos ligabat, ad ſummum ligabat,ne nocerent;ſcilicet,ne, dum operaretur pugnam, & luctam haberet; ſed ligando negari non poteſt, eo tunc non cum omnimoda pace operari,quatenùs ligaret,ideſt,coerceret tumultum inſurgentem; ergo non eſſet perfecta concordia, & perfectum dominium; ergo hic modus inutilis eſt ad explicandum ſtatum illum felicem innocentiæ.

8. Item in ſententia eorum,qui ſtatuunt prædeſtinationem

nem Electorum ad Gloriam efficacem ante præviſa merita abſolutè futura, & volunt pro electis, & benè operantibus gratiam majorem, de quorum numero eſt P. Filoramo; Gratia, quæ datur electis talis eſt, ut pœna peccati originalis, puta concupiſcentia, pro eo tunc, pro quo operatur phyſicè, & moraliter remittatur, quatenus homo cum ea gratia ſuperat, vincit; nam liberum arbitrium tanta ſuavitate, & dulcedine à gratia afficitur, ut nullum à concupiſcentia perſentiſcat contrarium impetum, ſeù contrarium motum ad contrariam partem. Non ideò tamen intelligitur etiam pro eo ſigno in Electis eſſe juſtitiam illam originalem, rectitudinem primi hominis, negationem fomitis, in nobis relicti ex unius hominis peccato; ergo non benè explicatur illa primorum hominum rectitudo, innocentia, &c. per hoc, quod eis fuerit donum conceſſum ſoporans, &, veluti ligans omnem carnis inordinationem. Vt dictum mox eſt, poſita gratia efficaci ſenſu, ſupra tradito, in Electis talis eſt operatio, ut, niſi talis gratia eſſet, inſurgeret ſenſibiliter concupiſcentia, & reluctaret; ergo pro tali ſtatu, quo ponitur gratia efficax juxta placitum ſupradicti Doctoris Filoramo, ſcilicet poſt ſcientiam mediam, non eſt ulla carnis concupiſcentia in homine illo, quoad illud opus, eò tunc faciendum; eſſet autem, ſi gratia ſufficiens ei collata eſſet, quatenus tunc urgeret animam, & ad deſideria carnis propelleret, & ſineret ſe vinci, imò per ipſum Filoramo ſemper ſineret ſe vinci, non quia, ut inquit pluribus locis, non poſſet phyſicè diſſentire, ſed quia ſineret vinci propter fortiores motus concupiſcentiæ. Subſumo nunc Ego; ſed, poſita gratia efficaci in Anima, motus in ſenſu, qui eſſent fortiores, & impellentes antecedenter ad gratiæ efficacis exhibitionem, in ipſius, ut poſitæ, vi ligantur, ſoporantur, & deliteſcunt; Ergo, etiàm dum inſurgunt, præfocantur à gratia; ſed hoc faciebat juſtitia originalis, ſi habitus in voluntate poſitus eſſet ad ſoporandum tumultum inſurgentem; ergo &c. Hac ergo doctrina ſuppoſita, ut mox dicebam,

juſti-

juſtitia originalis à Deo conditore primo homini conceſſa; non benè explicatur per habitus ſedantes, conciliantes,&c. ſed inveniendus eſt modus phyſicus, quo divinitùs factum fuerit, ut ab Adam penitùs abfuerit omnis inordinata naturæ cupiditas,nec ſufficit, quò fuerit ſedata, quaſi dicam placata;quis enim non videt, ſic fuiſſe cum fomento peccati inſtitutam, licet in contrarium ſubitò fuerit in voluntatem injectus à Deo habitus ſedans;undè non eſſet naturam innocentem condere,qualem deſcribit Auguſtinus,ut conſtat ex iis,quæ cap.1.duximus altè in cordibus fidelium inſinuanda ex eodem.

9. Dices: latum eſt diſcrimen illius ſtatus ab eo, in quo reperitur Electus operans,imbutus gratia illa efficaci ſupra deſcripta, nam in primo habitus juſtitiæ originalis tumultum,qui inſurgeret,ſedabat:in ſecundo tumultum,jam in facto inſurgentem,& qui ſurrexit,extinguit, ſubjicit, collidit, ſedat,placat,ſeù tandem vincit.

10. Sed primò in natura Adæ non erat undè inſurgeret motus rationi contrarius, niſi obſiſteret habitus juſtitiæ in voluntate,ſeù voluntas per habitum juſtitiæ, nam fuit inſtituta abſque ullo peccati inquinamento, abſque ulla ex vi ſuæ conſtitutionis deordinatione. Secundò. Eſſe in natura vim inſurgendi contra rationem, licet à voluntate per illum habitum præfocetur anticipato, arguit, non eſſe abſolutè tranquillitatem,& concordiam potentiarum in illo ſtatu felici. Tertiò. Adhuc in electo,habente deſcriptam gratiam, habetur hoc ipſo habitus collidens, ut ita dicam, concupiſcentiam inſurgentem, quæ licet inſurrexerit, materialiter ſe habet ad illud tempus, pro quo inſurgere ceſſat, ſeù, pro quo ſua inſurgentia non continuatur ob gratiæ divinæ præpotentiam,in quo ſolùm tempore ſimilitudinem facio.

QVÆSITVM.

11. HOmo, cum ſit compoſitus ex ratione, & ſenſu, ex mente,& corpore; cur ergo illi non dicitur naturale

rale agere contra rationem, quod ad ſenſitivam partem ſpectat; & munus naturale dicimus agere ſecundùm rationem.

Huic dubitationi occurrunt Logici, denominationem ſumendam eſſe à parte principaliori, & nobiliori; ſicque non dicimus naturale operari, niſi ſecundùm rationem, quæ principem tenet locum in compoſito humano: ſi homo per rationem diſcriminatur ab equo, naturalis operatio hominis non erit ea, quæ rationi repugnat; huic enim, quamquam in materia immerſæ, conceſſum eſt uti ſenſu, non vinci. Hinc D. Paulus de operationibus, non ſecundùm rationem factis, ad Rom. 7. ſic loquitur: *ſi autem, quod nolo illud facio, jàm non ego operor, ſed quod habitat in me peccatum*; Ergo operatio hæc non ſecundùm rationem, ſicuti meretur, dici poteſt malum naturæ.

12. Iſta autem Apoſtolica propoſitio duplicem ingerere poteſt ſenſum, primò, quod concupiſcentiæ motus fortiores vincunt, adhùc nolentem, juxta illud Poetæ: video meliora proboque, deteriora ſequor. Trahit ſua quemque voluptas; ſicque, dùm dicitur ab Apoſtolo: *jàm non ego operor, ſed, quod habitat in me, peccatum*, non ego ſecundùm rationem operor, ſed turpiter operor, quatenus conſentio, & ſuccumbo tentationi ad id faciendum, quod mihi facere diſplicet, & ſcio non benè facere, tamen allectus ſuavitate concupiſcentiæ trahor, ſeù meliùs, trahi me ſino, carnis voluptate. Vel intelligitur ſecundò pro eo, quod facio abſque ullo propriæ voluntatis actu, aut imperio, & ſic ſumitur peccatum, quod dicitur habitare in nobis, pro fomite; v.g. dum Adam expertus eſt poſt ſuum inobedientiæ peccatum libidinem pudendam, jam tunc, quod nolebat faciebat, quia non imperio voluntatis, ſed deordinatione naturæ faciebat: In deterius quippè vitio mutata, non poterat motus illos cohibere, ſicque, ipſo nolente, aut non imperante, membrorum motus perſentiebat: Quamobrem optimè dicitur, non ego operor; nam, ut operationes dicantur propriè

meæ, debent eſſe ſub poteſtate arbitrii, &, ut dicantur, & ſint noſtræ actiones, debent eſſe in noſtra poteſtate, ut ſint, ſcilicet, aut non ſint; & eatenus vulgò dicitur, operationes naturales, & neceſſarias non dici humanas, quia ex arbitrio non fiunt. Unde ly *Ego* importat ſuppoſitum liberum; non enim dici poteſt de cane, cum ſit particula denotans principium intellectivum liberum, &c. Igitur non Ego operor, dum, quod nolo in ſecundo ſenſu, facio, ſed, quod habitat in me, peccatum.

COROLLARIA.

13. EX dictis colligitur, appetitum ſenſitivum ponere in nobis ob peccatum primi hominis pugnā, & difficultatem ad agendum ſecundùm rectitudinem, quatenus concupiſcentia exorta eſt cauſa difficultatis ad bonum benè agendum. Hinc dicitur opus virtutis eſt arduum; & non ſolùm quia Anima eſt Corpori, ſic vitiato, juncta, ideſt, ſibi impedimentum, ne juxta rectam rationem operari poſſit ſine Dei auxilio per Chriſtum Reparatorem; ſed, ut dicam infra, etiam ratione propriæ cupiditatis, in anima quoque expergefactæ. Ex hoc verò patet cuique quantùm nobis profeciſſet ſupernaturale, & mirabile Juſtitiæ originalis donum, quo omnia ſimilia impedimenta ab Adamo removebantur. Verumtamen eſt, fateor, quod ſemper Deo gratias agere debeamus, qui, etſi mirabiliter condidit naturam, mirabiliùs tamen reformavit per Chriſtum Redemptorem.

14. Colligitur ſecundò, juſtitiam in primo homine reſpicere obedientiam, atque ſubjectionem, & potentiarum tranquillitatem, ut inter alios ſæpiſſimè docet Auguſtinus; gratiam autem eſſentiam, & ſubſtantiam animæ, idque, ut fertur præſtabat, quo meritorias, dignasque æterna vita, operationes elicere potuiſſet: Eò magis quia, ut capite ſequenti

quenti parebit, illa rectitudo explicabitur per principia phyſica, ideſt, reſpicientia eſſe entitativum Adæ; &, licet donum illud mirabile, primò homini conceſſum, dicatur ſupernaturale, non per hoc adimitur libertas explicandi ſtatum illum felicem primæ conditionis per principia phyſica quæ, ut dictum mox eſt, idem intelligo, ac principia entitativa conſtituentia ipſum Adam. Secundò ſufficeret, ad omnem removendum ſcrupulum, docere corporis Adæ felicem, beatamque ſtructuram conſequi voluntatem Divinam de exhibendo quodam dono ſupernaturali, quod deſideratur in anima.

15. Colligitur tertiò, poſſe ſimul eſſe in eodem homine actum volendi indeliberatum, & actum oppoſitum deliberatum; nam, dum gratia voluntatem noſtram allicit, excitat quemdam indeliberatum actum volendi, cui peccator per deliberatum actum oppoſitum repugnat, aut è contra, dum tentatio aliquem excitat ardorem, aut actum in voluntate ad opus illicitum, & homo, gratia adjutus reſiſtit, tunc ſimul eſt volitio, & nolitio circa idem; volitio quidem eſt indeliberata, & nolitio eſt deliberata, & hoc nemo inficias ibit. Ad hæc ſciendum eſt, id eſſe poſt lapſum, nam forſitan, ut inferiùs conſtabit in primo ordine vitæ, cum homo erat rectus, non indigebat actu indeliberato volendi, ut proſequeretur bonum. Item adde poſſe in eodem ſubjecto divinitùs eſſe efficacem volitionem, & efficacem nolitionem, unam tamen neceſſariam, aliam liberam circa idem eodem tempore: Dubium magnum eſt, ſi poſſunt eſſe ambæ liberæ; Ego certè inclinarem in partem negativam.

Digitized by Google

Caput Tertium.

Proponitur veriſimilior Sententia circa fomitis avulſionem in Adam, & Heva ex parte Corporis.

1. UT hoc Caput feliciùs ad finem noſtri inſtituti perducatur, plurima exiſtimo præponenda eſſe, quæ philoſophiam ſapiunt; propterea plures ſubnectam articulos, quò clariùs deducatur. Conſequentia circa fomitis avulſionem ab Adam intelligendam.

ARTICVLVS PRIMVS

De Elementis Corporis Adæ in primo illo ſtatu.

2. EAdem principia phyſica, & ſubjectiva hominis primi Protoparentis ante peccatum fuiſſe, ac poſt peccatum ex eo eſt evidens, quod idem homo fuerit ante, & poſt prævaricationem; ſolummodo ergo quaſſatus, & in naturalibus vulneratus; ſic ipſe, ſic totum genus humanum; Eadem igitur eſt totius humani generis principiatio phyſica, conſequenter quærere elementa Corporis Adæ eſt inquirere phyſica principia Corporum naturalium.

3. Ad hæc inveſtiganda profectò opus eſt animum intendere circa phyſicorum placita principaliora. Ariſtotelici extemplò occurrunt, illius materiæ primæ decantaræ expoſitione, quam receptaculum à natura aſtruunt formarum omnium naturalium. Democritei cum eorum Principe Democrito, Abderita philoſopho, atq; Leucippo, Epicuro, & ante ſingulos Mocho, Phænicio Sydonio, athomos, ſive corpuſcula prima ingenita, conformandis rebus omnibus apta

pro-

Digitized by Google

propugnant. Empedoclei, Maignaniſtæ vulgata elementa in medium adducentes, ex his, invicem commixtis, omnia hujus Mundi corpora phyſica concreſcere, gignive, putant. Quorum una vox fuit, unumque primum principium ex nihilo nihil fit.

4. Adnoto igitur primò, hoc effatum eſſe cunctis gentibus notiſſimum, atque conſcribendum eſſe in numero propoſitionum naturalium; quod, ut pateat, advertendum, nullum philoſophum Ethnicum potuiſſe ſuſpicari de poſſibilitate creationis, quod mihi indè ſufficienter probatur, omnes, nempè, ſuam reſpectivè materiam, ex qua admiſiſſe ſempiternam, neceſſariam, improductam, ut conſtat ex Ariſtotele 1. phy. tex. 82. eodem libro textu 75. ait: eſſe impoſſibile ex ſimpliciter non ente aliquod fieri deindè.

5. Adnoto ſecundò, quæſtionem de principiis eſſe per accidens apud phyſicos. Cum enim homines viderent v. g. poſt pluviam terram germinare, herbas emergere, animalia, quæ non erant, poſtea fœtantibus matribus naſci, illicò adverterunt, cum ex nihilo nihil fieri, ad experientiam ratum erat, concedenda eſſe principia, ex quibus res fierent. Hinc factum eſt, ut diviſi alii ad atomos, alii ad elementa, alii ad materiam purè paſſivam confugerunt, omnes tamen pro explorato habentes, ex nihilo nihil fieri quapropter ad ſalvandum hoc primum phyſicum principium excogitarunt principia prima; ſi ergo alia via ſalvari poſſet, principiorum communium non adeſſet neceſſitas; ergo quæſtio de principiis primis eſt non per ſe, ſed per accidens objectum Philoſophiæ. Per ſe quippè tùm ſui prima comparatione, tùm incremento, quod ad præſens nacta eſt, reſpicit illud principium ex nihilo nihil fit; & quodcumque ex aliquo fieri; ſecundariò autem cogitarunt Philoſophi de principiis permanentibus in genito, alii permanentia componente, ut Recentiores, Ariſtotelici permanentia inexiſtentiæ, ſubſtentationis, eductionis, &c. juxta eorum dicendi formulas. Alter non

deſuit

defuit vir omnigenæ eruditionis, qui omnem permanentiam, & conſequenter principia prima haud neceſſaria exiſtimabat, ſalva propoſitione, & illibata, omnibus mentibus notiſſima, ex nihilo nihil fieri. Herbas ergo ex terra, aquis decilis, germinare, nil aliud importat per ſe directè, quàm herbas ex aliquo fieri, non autem, quod dentur prima principia, ſeù detur aliqua materia, ex qua fiant herbæ, aliaque entia. An autem ſalvari poſſit aliquod non fieri ex nihilo, nullis admiſſis principiis phyſicis primis, non pertinet ad philoſophiam directam generationis rerum; ſed ad Philoſophiam ſecundariam, & reductivè, nam reducitur ad ſalvandum ex nihilo nihil fit.

6. Adnoto tertiò, philoſophiam jàm à tot ſæculis magnum nactam incrementum, pro comperto habere, principia prima permanentia eſſentialiter requiri ad conceptum generationis; & conſequenter non poſſe aliquod ex aliquo fieri, illis non conceſſis. Magna tamen diſſentione diſſident inter ſe Authores, ut breviter viſum eſt.

7. Mihi certè, præjudiciis omnibus ſecluſis, non probatur materia prima, qualem tota deſcribit peripatetica ſchola innumeris capitibus, quorum aliqua hic enarrabo. Primò inepta videtur generationibus, & corruptionibus hujuſmodi rerum ſalvandis; quod argumentum fusè tractat Maignanus, ego autem addo pauca: Forma generabilis, quæ fit ex ſubjecto, quale intelligit Peripateticorum turma, non fit ex ſubjecto, conſiderato ſecundùm ſe, ſed ex proximo, & cum ordine immediato ad formam; quapropter fit ex ſubjecto ſuo, non, qua præcisè ſubjecto, ſed qua ſuo: ſed in ſententia Peripateticorum fit forma ex nihilo ſui; ergo fit ex nihilo ſubjecti, qua ſui; ſed forma non fit ex ſubjecto, qua alterius, & qua alieni: hoc enim modo indifferenter, & promiſcuè ad omnes genere, & ſpecie formas concurrit; ergo, qua ſui; ſed per Peripateticos fit forma v. g. ligni ex nihilo ſui; ergo hoc ipſo ex nihilo ſubjecti ſui fit: ergo inepta videtur

tur

tur materia prima, &c. Et præcluſa ſtatuitur via diſtinctioni illi conſuetæ Peripateticorum: ex nihilo ſui, concedo: ex nihilo ſubjecti, nego. Secundò: Materia prima, qualem Peripateticiſmus adſtruit, vel eſt eſſentialiter informis, vel non; ſi non eſt eſſentialiter informis: ergo eſſentialiter eſt identicè formæ entitas; ſi eſt eſſentialiter informis: ergo non poteſt exigere formas, nec aliquid appetere, quod ſuæ eſſentiæ immediatè opponitur; ergo eſt identicè entitativè forma. Tertiò fruſtra dicunt, formam eſſe in potentia materiæ antequam fiat: non enim per hoc forma fit ex ſubjecto, nam eſſe in potentia formam; eſt eſſe in potentia objectiva; & ſcholaſticè idem ſignificat, ſcilicet, adeſt potentia in Deo faciendi alterum Mundum, dum dico: Alter Mundus eſt poſſibilis; non quod alter Mundus ſit, ſed eſt Deus potens facere alium Mundum. Sic, formam eſſe in potentia materiæ, non eſt aliud, quàm eſſe potentiam recipiendi formam, ſeù eſſe potentiam paſſivam materiæ ad formam, ſive eſſe in Mundo materiam potentem recipere: ex hoc verò minimè ſequitur, formam generari, nam per hoc, quod alter Mundus eſt in potentia Divina, non ſequitur, quod alter Mundus non fiat ex nihilo, licèt ſit in potentia Dei, ſic, non ideò, quod ſit forma in potentia materiæ, non ſequitur non fieri ex nihilo, ſicut fit ex nihilo alter Mundus: eſſe enim in potentia materiæ nil eſt aliud, quàm præcedere potentiam materiæ; ſed etiam præcedit potentia Divina alium Mundum, & formam præfuiſſe in potentia nil aliud eſt, quàm præfuiſſe potentiam potentem facere formam, non quod forma ſit aliquid, aut quod formæ ſit aliquid ſecundùm entitatem. Nec aliqua diſparitas juvat de cauſa efficiente, & materiali; nam, ſicuti fit ex nihilò activè, licèt præfuit in potentia activa, eo quia eſſe in potentia Dei activa nil aliud eſt, quàm eſſe potentiam Dei faciendi alterum Mundum, formam, &c. ſic à pari non ſequitur, non fieri ex nihilo ſubjectivè per hoc, quod ſit in potentia paſſiva ſubjecti,

ćti, quia eſſe in potentia ſubjecti nil eſt, niſi eſſe potentiam paſſivam materiæ potentem recipere formam. Salvis ergo diſcriminibus potentiæ activæ,& paſſivæ, difficultas conſiſtit in hoc, quod eſſe in potentia non eſt formam eſſe,& præexiſtere; ſed præeſſe potentiam, ſeù activam, ſeù paſſivam potentem facere, aut recipere formam. Hæc ergo non fit ex materia, quia eſt in potentia materiæ. Quartò, forma vel dependet quoad eſſe, vel quoad recipi: ſi ſecundum; ergo forma quoad entitatem eſt facta ex nihilo ſubjecti, quod dici nequit. Item, ſi ſecundùm parùm refert, nam eo ipſo ſequitur, formam materialem, jam creatam, ſubſtentari, quia ipſa in ratione ſubſtentabilis dependet à materia, non in ratione entitatis ſpecificativè ſubſtentabilis: hoc modo anima rationalis ſubſtentatur, cum non producatur, niſi in materiæ viſceribus ex ejus exigentia, ut forma humana eſt; ergo hæc, vel eſt genita, vel illa creata. Dices forſan, hanc non exigere ſubſtentationem, ſed illam materialem; ergo, dicam, illa non exigit fieri ex ſubjecto, ſed ſubſtentari; ergo quia anima rationalis, neque exigit, neque fit ex ſubjecto, vel eſt genita, vel illa materialis creata.

Exigere enim, ut ſubſtentetur, non eſt exigere, ut fiat, & ſit in ſe, nam eſſe ſecundùm quid præſupponit eſſe ſimpliciter. Hæc ratio innoteſcit conſideranti accidentia creata exigere, ut ſubſtententur à ſubjecto in ſententia communi Peripateticorum. Aut quoad entitatem dicitur facta ex ſubjecto, itaut hoc ſit quid illius, vel non; ſi ſecundùm prætextu, quod ſubſtentetur; ergo entitas reduplicativè ipſius formæ non eſt facta ex ſubjecto, quod ego intendo in præſenti contra Ariſtotelicos inferre. Si primùm habeo intentum, nam eo ipſo conceditur id, quod fit, non diſtingui à ſubjecto, ex quo fit materiali. Quintò phenomena naturæ oſtendunt, nil poſſe ſimpliciter produci, omniaque fieri motu locali, quem in omnibus mutationibus reperiri, experientia demonſtrat. Sextò, negata materia prima, dilucidiùs

cidiùs

Digitized by Google

cidiùs explicantur plura naturalia phenomena, contra quod olim audivi ex Peripatetico arguente, nihil dari!, niſi daretur materia prima. In tantam cæcitatem abjerunt Ariſtotelici, ut ſibi perſuadeant omnia negata in eorum materiei negatione: Quænam connexio eſt rerum harum cum materia illa, quæ nec eſt quid, nec quantum, nec quale, nec aliquid eorum, quibus determinatur ens? Nulla profectò, niſi credulitatis, & præjudiciorum, quibus putant naturæ phenomena inexplicabilia eſſe, ea refutata. Quinimmo è contra, nonniſi ipſa è mundo excluſa, innumeros effectus phyſicos declarari poſſe, fatentur plurimi, qui admirantur philoſophiam recentiorem eſſe ſpeculativo-experimentalem. Quomodo diaphana, opaca, ſoni generationem, lucis geneſim, colorum, &c. explicabunt Ariſtotelici, cum id Recentioribus ſit facillimum. Quare lux propagetur per lineam rectam, & non etiam per obliquam, ſi accidens eſt; ſi ſpecies ſunt qualitates, cur ego nequeam videre objectum, retrò exiſtens, cur lumen dependeat à Sole in eſſe, & conſervari, ſicuti ſpecies ab objectis, à quibus immittuntur; certè dura cauſa eſt apud Peripateticismum. Septimò quot difficultates emergunt quoad accidentia phyſica, poſita materia prima ariſtotelica cum ordine ad formas cujusque generis: Nam, vel accidens, ut comprehendit omnia ſua inferiora, conſtituitur per inalcitatem, & eſſe in alio, aut per hoc, quod à natura intendatur propter aliud, adæquatè diſtinctum, quæ ultima verba apponunt ad evitanda offendicula; ſi primum; arguo ſic: Ergo ſubſtantia eſt accidens entitativè loquendo; nam forma, ſeù anima equi eſt in materia prima, tanquam in alio, & exigit eſſe in materia; ergo anima equi eſt accidens: Hoc enim ita definitur ab Ariſtot: in Cathegoriis cap. 2. *Atque id in ſubjecto eſſe dico, quod in aliquo quidem eſt, & non uti pars, ut ſit autem ſcorſim ab eo, in quo ineſt fieri nequit*, qua definitione conceſſa, anima equi eſt in alio, & non, ut pars ejus, in quo eſt, & recipitur: ab eo, in

quo eſt ſeparari nequit naturaliter, ideſt, ſeparata exiſtere non poteſt. Item hoc ipſo eſt in materia, ut in ſubjecto (quo præcluditur illa diſtinctio, quod ſit in materia, tanquam in comparte, & non tanquam in ſubjecto) nam id ex Ariſtotile eſt in ſubjecto, quod in aliquo quidem eſt, non, ut pars, & ut ſit ſeorſim, fieri nequit; ergo tota definitio accidentis competit ſubſtantiæ, nempè, animæ equi. Si dicatur ſecundum, contra, nam eadem equi v.g. anima intenditur propter perficiendam materiam, à qua adæquatè diſtinguitur, ſicuti albedo intenditur propter parietem, à quo adæquatè diſtinguitur.

8. Memini aliquos reſpondiſſe; animam equi intendi propter equum conſtituendum; à quo inadæquatè diſtinguitur, at albedinem intendi ad dealbandum v.g. parietem, à quo adæquatè diſtinguitur. Contra evidenter, nam, ſicuti anima intenditnr propter equum, ſic albedo intenditur propter album; & ſicuti albedo intenditur ad perficiendum parietem, ſic anima intenditur ad perficiendam materiam, cujus eſt actus. Potentia, & actus ſiquidem naturaliter invicem ſe reſpiciunt, & mutuò ſe advocant: Ergo, ſicuti actus phyſicus de genere ſuo ordinatur ad complendam potentiã, ſic talis forma puta, anima ordinatur ad complementũ materiæ, cujus ipſa eſt actus, eſt perfectivum, completivum, &c. ergo vel anima eſt accidens, vel albedo eſt ſubſtantia. Sicuti nimirum ad corruptionem albedinis corrumpitur album, nõ paries; ſic ad corruptionem formæ ſubſtantialis parietis, corrumpitur paries, non materia prima, ſeù ſic, út perſiſtam in exemplo, ad corruptionem animæ corrumpitur equus v.g. non autem deſinit materia prima; Igitur quocumque ſe vertunt, anguſtiis præmuntur ariſtotelici. Accedit alia communiſſima definitio accidentis, quod illud ſit, quod poteſt adeſſe, & abeſſe præter ſubjecti corruptionem; at rationalis noſtra anima adeſſe, & abeſſe poteſt præter ſubjecti corruptionem; ergo eſt accidens. Neque refert dicere corrum-

pi

pi hominem, niſi deſinat materia, quæ eſt ſubjectum animæ ſuſceptivum: Abſente albedine deſinit album, licèt non deſinat nix v.g. ſic deſinente, aut abſente anima, deſinit vivens non tamen materia prima viventis; ergo, aut albedo eſt ſubſtantia, aut anima eſt accidens.

9. Ex his colligitur nullum accidens in rerum natura admitti poſſe, nam definitio eſt principium univerſale reſpectu ſuorum definitorum. Definitio autem accidentis non concludit de omni ſuo definito; ſuſpicio ergo magna oritur de nullo, quod verificetur. Ratio à priori eſt, cur nequeat concludi ex vi definitionum, quia res à philoſophis non definiuntur, niſi, ſecundum quod ab eiſdem concipiuntur, ut patet, quia, ſi eſt definitio vocalis, aut ſcripta, ea eſt ſignum expreſſivum definitionis mentalis; hæc verò eſt conceptus, jungens partem differentialem cum parte generica: Non jungit autem, niſi tales, quales exprimit. At certum eſt, conceptum, quem de re aliqua formamus, non ſemper, aut vix usquam eſſe ipſi rei adæquatum; itaut ei reſpondeat adamuſſim; ergo neque ex conceptu noſtro præcisè, neque etiam præcisè ex definitione inferre licet, talem, ac tali modo eſſe in ſe, qualem, aut quali modo concipimus eſſe. Quod autem hìc colligi peropto eſt, materiæ primæ exiſtentiam per conſequentia innumeris ſcatere inextricabilius difficultatibus; non ergo tanto ſcrupulo præmantur Peripatetici, ut velint eſſe neceſſariam in orbe materiam primam, qualem ipſi docent.

10. Demùm diviſio entis in ſubſtantiam, & accidens non eſt diviſio entis in ens creabile, & generabile; Id eſſet, ſi formam generari, eſſet fieri dependenter à ſubjecto ſubſtentante, recipiente; Igitur probatur evidenter minor: Eſſentia quippe accidentis, explicatur per exigentiam eſſendi in alio cum dependentia naturali in fieri, eſſe, conſervari, & operari; ſed eodem prorſus modo eſſentia generationis exprimitur; ergo confunditur eſſentia generationis cum eſ-

ſentia accidentis. Item ex oppoſito eſſentia ſubſtantiæ, eſt non eſſe in alio, nec eſſe, aut fieri, aut conſervari cum dependentia à receptivo ſubjecto, nam ſubſtantiæ eſt eſse in ſe per ſe;ergo,&c.Item ſequeretur,accidens non poſse creari, niſi violenter, & connaturaliter non eſse,niſi generabile, atque etiam ſequitur, quod quælibet creatio accidentis eſt miraculoſa, in quo eſt contradictio, nam accidens ex ſuo conceptu producitur in ſubjecto, cujus eſt: Aliundè, ut per creationem produceretur, deberet fieri extra ſubjectum,ex ſua notione, & conceptu formali, in quo eſt violentia, & contradictio contra jus naturale accidentis in ſenſu Peripateticorum.

11. Democriteæ atomi neque certè mihi ſufficienter probantur ad rerum phyſicam principiationem. Sola quippè figurarum varietas, & diverſitas inutilis eſt ad tot diſcrimina phyſica corporũ hujus Mundi viſibilis; ſicut neque ad innumeras dictiones effingendas, multitudo ſola unius litteræ v.g.A.Sicuti ergo ex ſola littera A. innumeris vicibus multiplicata, dictionum nequit conformari varietas; Ita ex atomis unius naturæ, quanquam diverſarum figurarum, nec plures naturæ conſurgere de novo poſsunt ſint igitur atomi primordia continui, non corporum naturalium; componentia continuam quantitatem, non naturam rernm generabilium.

Statuitur prima materia,ex qua corporum naturalium.

12. QVæ docuit Maignanus mihi mirè arrident: ſtatuit iſte profundioris ſapientiæ Doctor, materiam phyſicam,ex qua, in elementis vulgatis; quæ item aſſeruit multiformis eſſentiæ,nec ſola appellata elementa (eis enim adjunxit Cœlorum effluvia) deſideravit pro conformandis rebus, & concreſcendis corporibus naturalibus. Ex varia profectò elementorum, & cæleſtium ſubſtantialium influ-

xnum

xuum diſpenſatione; imò ex variorum elementorum variadoſi,& concurſu,tot varia compoſita progigni,nemo dubitabit. Docet quidem Doctor iſte, ut colligitur in decurſu ſuæ philoſophiæ, non ſolùm intervenire variam elementorumdoſim, diſtributionemque, ſed varia principia præexiſtentia in coagmentatione, in generatione mixtorum inexiſtentia. Quamobrem, unum ab alio diſcriminari non ſolùm ratione miſcelæ, ſed miſcibilium quoque; ſicque aliquid eſt in uno, quod alteri in ſuo eſſe non ineſt. Licèt ſola miſcelæ diverſitate non negem aliqua pauca phyſica diſcrimina emergere poſſe: at tanta quanta videtur multitudo naturarum,præſertim viventium, non niſi per varia principia, ex quibus, ſtatuenda eſt dubio procul, ſi commodè diſputare velimus.

13. Hac cõceſſa doctrina,cõſtat,corpora viventia ex elementis eſſe compacta, veluti principiis primis: addidi,veluti principiis primis,nam ſolet quandoque inter loquendùm diſtinctio haberi elementorũ,& principiorum:concedunt enim homines omnes, & philoſophi, omnia conflata ex elementis appellatis, videlicet igne, aqua, aere,terra; id namque ſenſuum experientia convincitur,undè ſuborta eſt quæſtio,quomodo elementa contineantur in mixto; at negant Peripatetici eſſe principia mixtorum prima, cum eadem elementa vulgata aſſerant componi ex materia, & forma, tanquam phyſicis principiis. Ego autem cum Maignano, qui cenſeo prima principia eſſe elementa, cum dico, viventia componi ex elementis, idem eſt,ac ex ipſis, ut principiis rerum phyſicis primis,ita ut elementorum quærere principia, eſt velle aſſignare primum ante primum.

14. Ignis v.g. Canis, &c. dicet aliquis, eſt tale ens, non ſimpliciter ens; ergo ibi eſt forma, quia taleitas entis deſumitur à forma, non ab illa parte alia ſimplici, & conſequenter ſola non ſufficere elementa. At dico primò, materia prima ſecundùm ſe eſt tale ens, talis exiſtens eſſentia; ergo conſtituitur talis per formam; ergo in

pura

pura potentia phyſica, qualis eſt peripatetica materia, conſideratur actus phyſicus, ut ſit tale ens, in quo eſt contradictio. Secundò taleitas entis deſumitur à formato, nam phyſicè formæ nihil ſunt; nihil profectò phyſicè inhærens illi, cujus, & dicitur forma, & ex quo facta eſt, tanquam ex præſuppoſito ſubjecto, & præexiſtenti materia: poſitivè, ſiquidem, & realiter idem ſunt, nec conſiderantur duæ partiales entitates poſitivæ per modum potentiæ, & actus phyſicorum, totum eſſentiale completum componentium; at ſolummodò verificantur ex modo adſignificandi, concipiendi, loquendi, abſtrahendi, &c. Ens igitur, & tale ens non ſunt duo, ſed unum; & cum dicitur in argumento, talitas entis ſumitur à forma, non ab illa alia parte ſimplici, negatur ſuppoſitum, dari materiam primam, quæ ſit una pars ſimplex; ſed corpus illud elementare, quod materiam dicimus eſt ſimplex adæquatum, non partiale, & complebile in ſe; nam partem potentialem hujuſmodi omninò fictitiam cenſeo.

15. Dices: ergo, poſito ente, ponitur phyſicè tale ens. Si loquamur de igne, & primis cæteris principijs ultrò concedo totum; etenim dictum eſt, ipſa elementa eſſe corpora phyſica adæquatè ſimplicia; ſi loquamur de mixtis, reſpondeo, poſita ratione entis cum diſpoſitionibus, ex quibus actu faciendum eſt aliquid, ponitur tale ens concedo; non poſitis diſpoſitionibus, nego. Quis eſt profectò, qui neſciat, totum phyſicum compoſitum mixtum fieri ex elementis unitis, & alteratis; poſitis ergo atomis elementaribus in ſtatu conjunctionis, per motum acquiſito localem; illicò habetur effectus ex eis, qui erat gignendus: undè ſcire oportet, tunc conſtitutum poni, poſitis conſtitutivis, quando hæc ſumuntur formaliter reduplicativè, & in actualitate conſtituendi phyſicè, haud verò entitativè, & ſpecificativè, ea ſcilicet, quæ ſunt, & dicuntur conſtituentia: iſta quidem tunc componunt, dum uniuntur; ergo tunc ponitur forma generanda, ſeù verè abſtracta mutando in concreta, formatum, ac totum, quando præ-

præexiſtentia ſubjecta, elementa, nempè, in actum conſtitutionis concurrunt, ut corpora adæquatè ſimplicia.

16. Iſtis autem elementis, prout conjunctis, & coagmentatis, non advenit aliquod phyſicum completivum per modum formæ actus phyſici, ut putant Ariſtotelici, ſed ſeipſis ſunt materia, & forma, corpora completa, &c. nam unum perficit aliud perfectione conjunctionis, miſcelæ, & ſic ſibi ipſis mutuò vices materiæ, & formæ præſtant. Aut dicendum, rationem formæ eſſe combinationem elementorum, quatenus hæc, prout combinata, & coagmentata tali, vel tali nexus, & colligationis menſura, ſunt hoc ipſo forma, ſeù verè in concreto ſunt formata. Aut rationem formæ adſcribendam eſſe elemento actuoſiori, & vividiori. Secundus verò modus intelligendi formam accipiendus eſt, dum conſideratur cum ordine ad ſubjectum, ex quo, generationis. e.g. in homine, & quovis animali adeſt corpus, & anima. Hæc appellatur forma, illud materia, quatenus hæc perficitur, illa actuat, ornat, illuſtrat, perficit, tandem complet, &c. Anima ſenſitiva eſt compars in animali actuoſior, & ideò forma, at ſic ſumitur per ordinem ad ſubjectum, in quo, ſcilicet, corpus organicum, quod informatur, completurque ratione totius v.g. equi; at in ordine ad ſubjectum ex quo non datur hæc forma hujus generis, ſed ſunt ipſamet elementa, ex quibus forma. Anima enim, quæ ſita eſt in ſanguine, non diſtinguitur à tota materia, ex qua fit ſanguis puriſſimus; deindè materia, ex qua fit anima, & conſequenter identicè ipſa anima, nam non diſtincta eſt hæc ab illa, dum fit ex illa, actuat corpus organicum, tanquam vehiculum animæ. Exemplo igitur viventium dignoſcitur ratio formæ, & materiæ in cæteris compoſitis. Corpora propterea, quæ corrumpuntur, aut ſeparatione partis actuoſioris à rudiori v.g. ſpiritus vitalis à corpore, aut diſgregatione, & deperditione naturalis coagmentationis contingere poteſt. Quamobrem totum cadit in ea, ex quibus factum fuit, etſi

non

Digitized by Google

non pura; nam reſolutio, ſi eſſet ad materiam primam uſque deberent propriis, puriſque ſimulacris apparere elementa, ignem, aquam, &c.

17. An autem ſubſtineri poſſit hæc propoſitio: *Totum adæquatè cadit in totum*, dicam ita eſſe per Anaxagoram admittentem Panſpermiam: hoc verò modò negatur ſubjectum, ex quo commune; & etiam rejicitur vera phyſica generatio, & corruptio; in noſtra autem philoſophia de principiis rerum admitti nequit, quod cadat totum adæquatè in totum, ſed inadæquatè ratione formati totius, ſeù, dicerent Ariſtotelici, ratione formæ; Unam ſiquidem formati rationem in aliam cadere concedimus, haud verò rationem entis in aliam rationem entis ſimpliciter. Item concedi nequit prædicta locutio, quia aliquod quod præfuit in corrupto, permanet in genito; ergo totum non cadit in aliud totum; ſi enim eadem elementa, ex quibus fit hic effectus, illa eadem in ſpecie ſunt, ex quibus alius effectus producitur; ergo totum non cadit in totum. Ulterius totum, ſumptum pro partibus diſperſis, non dicit totum, & genitum; ergo neque poteſt intelligi pro caſu totius formalis in totum entitativum. Præterea adhuc totum unitum, & unum unitate unionis ſumi poteſt entitativè, nempè pro partibus illis, ſimul acceptis, ſecundùm ſe, & entitatem; neque totum formale cadit adæquatè in aliud totum formale, nam ly adæquatè, comprehendit formale, & entitativum totius.

18. In philoſophia ergo, quam ſequor, aut Democriti, aut Ariſtotelis, locum non habet propoſitio illa; dum enim per nos producitur aliquid de novo, ſive per alterationem, ſive per rigoroſam actionem phyſicam generativam, non rigoroſè de potentia ſubjecti productivam (ex ſubjecto quidem fieri in rigore, & rigoroſè produci, eſt in terminis colluctantia philoſophis recentioribus, & ſanè philoſophantibus) habetur elementorum concurſu, particularumque conjunctione pro modo, & exigentia, effectus gignendi; non

autem

Digitized by Google

autem, quod una res adæquata cadat in aliam adæquatam rem gignendam. Anaxagoras equidem, Panſpermiam propugnans, optimè docere poterat, unam rem cadere in aliam adæquatè, nam diſparentibus particulis omnibus v.g. ſanguinis, prominebant particulæ carnis, & caro gignebatur, nihilo exiſtente in carne eorum, quæ componebant ſanguinem. Scio aliquem è noſtris, virum profundioris philoſophiæ, ſenem venerandum, aliter intellexiſſe hanc propoſitionem: totum adæquatè cadit in totum; ſed, ſenio, & ſtudio confectus, non potuit rem, ut credo, perficere; niſi dicam, fortaſsè pauca, ipſum ſcriptis conſignaſſe Paulæ, quo in loco obijt, cujuſque ſcripta, apud quem reperiantur, me omninò non latet: ejus autem intellectum mihi nunquam ſeriò potuiſſe ſatisfacere, nam eſſe nequiret, quod etiam ſentit Scotus in 2. ſenten. diſt. 12. quæſt. 1. niſi tranſubſtantiatio. Memini, dictum ſenem, gravem theologum vocaſſe tranſentitationem, aut tranſeſſentiationem ad diſcrimen vocis: tranſubſtantiatio, quam vocem, ut communi modo loquendi adhæreret, ſolùm concedebat converſioni panis in Corpus Chriſti, & vini in ſanguinem vi verborum; ſed, quidquid ſit de hoc.

19. Elementa noſtra non eſſe entia phyſicè indiviſibiliter completa, non ſufficienter probat illa ratio, quæ communiter, cum riſu excipienda, auditur, ſcilicet, quod advenit enti in actu eſt accidens; tollitur ergo omnis mutatio ſubſtantialis; materia ergo prima non poteſt ſtatui ens in actu. Argumentum iſtud, ad varias concluſiones probandas, à Peripateticis aſſumitur, videturque non eſſe locum, in quo hæc objectio ſuas non habeat partes; aliqui ad negandum actum entitativum materiæ; alii ad negandum actum exiſtentiæ; alii ad negandum actum phyſicum formalem: at quis non videt iſtorum philoſophorum cæcitatem? Nam per plures eorum materia cum forma corporeitatis eſt verè totum ſubſtantiale, & in ordine ad formam animæ eſt diſpoſi-

tio prævia; & ipſa anima cum materia, ſubſtantiali forma corporeitatis actuata, conſtituit unum per ſe ſubſtantiale. Per Scotiſtas materia cum formis ſubſtantialibus, partialibus unitur cum anima ad conſtituendum unum per ſe totum eſſentiale. Ariſtoteles ergo, licèt arguerit antiquos, ut Scotus ait in 2. diſt. 12. quæſt. 1. quia ponebant pro ſubjecto generationis aliquod corpus in actu, proindèque advertit Scotus, faciebant omnem generationem alterationem, quatenus idem corpus varias in ſe patiebatur alterationes: attamen redarguendus ipſe, qui putaverit perindè omnem generationem eſſe & fieri ab antiquis alterationem, non admittendo ſuam fictitiam materiam primam. Dico igitur poſſe aliquod ſubſtantiale gigni ex entibus in actu, ſicuti per adverſarios anima conſtituit unum per ſe, etſi adveniat enti in actu, puta, materiei, informatæ forma corporeitatis, & formis partialibus. Secundò, quod advenit enti in actu primario completo, conſtitutivo, eſt accidens ſuo modo, concedo; quod advenit enti in actu incompleto, complebili, eſt accidens, nego.

20. Exemplo res illuſtratur, Canis e. g. componitur ex elementis, entibus in actu elementari, qui actus elementaris eſt completus primarius in eſſe elementi, &, quidquid advenit ipſis eſt accidens reſpectu ipſorum; at reſpectu Canis elementa non ſunt in actu, ſed in potentia; quatenus ſunt in actu complebili, & incompleto in ordine ad totum; nam opus eſt ignem compleri ab aqua, & viciſſim aquam ab igne ad conſtituendum mixtum equum, canem, &c. Quidquid ergo advenit elementis, ſeorſim ſumptis, eſt accidens reſpectu ipſorum, ſeorſim ſumptorum, ſed non eſt accidens reſpectu mixtorum, ſeù elementorum, ſimul ſumptorum; nam accidit ipſis uniri, ſed elementa mixto non accidunt; accidit unum alteri, ſed omnia ſimul non accidunt compoſito; ſic quoque, quod advenit mixto, cum ſupponat ipſum in ſuo eſſe conſtitutum completè eſt accidens ejus. Abeat, adveniat

Digitized by Google

niat color albus equo, ſemper equus permanet, quia intelligitur conſtitutus independenter ab albedine; & ideò albedo eſt accidens; non quia præcisè advenit enti in actu, ſed quia advenit enti in actu completo in eſſe phyſico. Elementa ergo, licèt entia ſint in actu elementari, nempè ignis in ſuo eſſe ſpecifico, aqua, &c. Ex his attamen fieri poteſt unum per ſe mixtum, nam quodlibet elementum non eſt mixtum, & conſequenter non eſt in actu mixti. Adde, non poſſe fieri aliquod unum in actu generatione, niſi materia ſit ens in actu; etenim materia illa rudis, iners ſine actu eſt omninò fictitia; ergo ſubjectum generationis eſſe debet corpus in actu.

21. Ut autem pateat diſcrimen alterationis à generatione, & indè motivum, cur dicatur, quod, ſi materia eſt corpus in actu, omnis generatio ſit alteratio: advertendum eſt, alterationem eſſe etiam generationem, licèt accidentalem, quam proprio vocabulo vocant philoſophi alterationem: generationem verò dicunt terminari ad ſubſtantiam, & naturam rei. Tunc enim dicitur res generari, cum producitur ſecundùm ſe, & ſuam ſubſtantiam; cum autem aliquid ejus producitur, mutatur, dicitur alterari v. g. roſam naſci cernimus, dicimus roſam generatam, quando roſæ color mutatur, roſa alteratur, nam roſæ affectio mutatur, roſa ipſa permanente in ſuo ſtatu intimo naturali; quapropter color generetur, corrumpatur, quia tamen ejus generatio, aut corruptio non eſt terminata ad rem, ſed ad aliquid rei, ideò dicimus roſam paſſam eſſe alterationem non corruptionem. Hinc fit, ut cogitent Peripatetici cum Ariſtotele, materiam, ſi ſit corpus in actu, varias ſuſcipere poſſe alterationes, dum res fiunt, indè deducunt omnem generationem ſtatui alterationem.

22. At quomodò colligatur, omnem generationem confundi à nobis cum alteratione, neſcio: ſi profectò generatio terminatur ad rei ſubſtantiam, & naturam, etiam poſi-

tis corporibus in actu pro principiis phyſicis, jam eorum coagmentatione habetur rei natura, & ſubſtantia, qua pereunte, perit res, & qua non pereunte, quamvis cætera pereant, res non perit. Dum fit roſa, nova conſurgit natura; ergo fit generatione non alteratione; hæc cum illa ergo non confunditur. Si autem velint pro nova natura novam ſubſtantiam, ſimpliciter productam, ultrà progrediuntur, quam ipſi advertant, nam pro generatione quærunt creationem; ſufficit ergo ad generationem poni novum compoſitum ſubſtantiale per ſubſtantialem coagmentationem elementorum, quæ ſit fundamentum, cui adveniunt qualitates, erga quas exercetur alteratio; dum ſanguis generatur, actio ſanguinis generativa non eſt alterativa, quia ſanguis non præſupponitur in ſuo eſſe ante actionem; ergo hæc actio verè eſt generatio, & condiſtincta ab alteratione: ex una parte non præſupponitur hoc ens, ex alia eſt radix ſuarum proprietatum, & affectionum; ergo eſt terminus generationis non alterationis; ergo generatio non confunditur cum alteratione.

23. Dices: Sanguinem generari in noſtra ſententia, eſt fieri ex præexiſtentibus principiis ſola eorum coagmentatione; ergo terminus generationis eſt corporum præexiſtentium alteratio; ergo confunditur alteratio cum generatione, & conſequenter in hac ſententia omnia, quæ fiunt, fieri dicendum eſt alteratione. Reſpondeo, non alium terminum quærendum eſſe in generatione, præter elementorum conjunctionem; omnis alius eſſet terminus creationis ex hactenus dictis. Quo poſito, ille terminus eſſet veræ actionis generativæ, seù rigoroſæ, quæ eſſe poteſt in mundo generationis, vel ex hoc ad hominem, quod habeatur nova natura, hoc eſt novum principium motus, & quietis: ſi autem non conſideretur illud mixtum in recto ſubſtantiale, seù illa, ſimul ſumpta, in ſenſu copulato, elementa, ſed ſeorſim, & ſigillatim, ultrò concedo eſſe terminum alterationis, nam mixtum

mixtum fit ex elementis alteratis, & unitis; eapropter verum eſt, elementa alterari, & ex ipſis, ut alteratis, & debitè unitis, novam mixti naturam fieri, v.g. vinum, &c. At natura genita non dicitur de quolibet elemento alterato, ſed de omnibus, ſimul ſumptis in recto; de quolibet autem, alterationem dici, & eſſe non eſt negandum; ergo ad ſummum dici poteſt, totam præviam alterationem non diſtingui à generatione, quod quidem oportet eſſe; nam id, quod fit, & gignitur, non diſtinguitur ab eo, ex quo fit, ne in creationem incidamus.

24. Verùm totam prævìam alterationem non diſtingui à generatione, non eſt idem, ac generationem eſſe alterationem formaliter: Etenim non deſunt Peripatetici, qui aſſerunt, generationem non diſtingui à tota prævia alteratione, & propugnant cæterum terminum generationis eſſe formam ſubſtantialem, diſtinctam à materia cum omnibus ejus diſpoſitionibus; ergo, licèt poſtquam materia fuerit alterata totaliter, & ultimò diſpoſita, non ſit introducenda nova entitas; attamen nova habetur natura, conſiſtens in ipſis elementis ſic, vel ſic ultimò combinatis, & diſpoſitis; ergo, prout eſt generatio non eſt alteratio; ſiquidem, prout alteratio reſpicit elemẽta ſecundùm ſe, quæ altera ſunt à ſeipſis in ſtatu unionis; prout generatio, reſpicit ipſum aliud eſſe ab elementis, ſeorſim ſumptis, quatenus novarum operationum novum principium. Attenditur igitur ſubſtantia unius elementi, prout cojuncta cum ſubſtantia aliorum, & omnes ſubſtantiæ ſimul in recto ſunt terminus generationis, cum ſint alia natura alterius juris. Si conſideratur actio, ut alteratio, reſpicit ſolummodò accidentariam mutationem cujusque elementi; ergo clarum eſt, generationem non eſſe ſecundùm ſe formaliter alterationem. Fateor eſſe alterationem, ſi nomine generationis venit actio productiva novæ ſubſtantiæ ſecundùm eſſe ſimpliciter: At dictum eſt ſupra nomine generationis hujusmodi intelligi creationem,

& pro-

& productionem ex nihilo.

25. Certè miror, philoſophos adverſarios ſuper hoc difficultatem pati; quando quidem per ipſos, ſaltem quamplurimos anima advenit materiæ informatæ forma corporeitatis, aut formis partialibus; & non ideò generatio animæ equinæ eſt alteratio, quia, etſi adveniat compoſito ex materia, & forma corporeitatis, conſtituit tamen unum eſſentiale unitate viventis; ergo à ſimili, licèt elementa entia ſint in actu, attamen eorum conjunctione conſtituitur eſſentia una mixti, v.g. olei, vini, canis, &c. Solum diſcrimen eſt iſtud, videlicet, in adverſariorum ſententia producitur forma diſtincta à tota materia, ex qua; in noſtra autem, nequaquam, cum id, quod generatur, nequit diſtingui à tota, & adæquata materia, ex qua generatur. Quò autem ad hoc diſcrimen valdè notandum eſt, ex hoc nil aliud ſequi, quàm generationem ipſorum fieri in rei veritate creationem, dum ipſi nos arguunt, generationem facere alterationem.

26. Difficultas fortaſsè ex eo oriri poſſet, generationem aliquid novum ſecundùm eſſe intelligi debere; quia animam nequit conſiſtere in elementis unitis, nam vegetare, ſentire, videre, guſtare, tangere, cum non competant elementis, nequeunt convenire mixto ex iisdem: Animam autem brutorum gigni, experientia conſtat.

27. Non nego pluribus incredibile videri, formam tàm perfectam, quæ eſt principium operationum vitalium cognoſcendi, ſentiendi, &c. oriri ex ſola principiorum coagmentatione præexiſtentium; ita ut nulla entitas nova ſecundùm ſe intelligatur, generatione producta in materia. Omnis verò, meo judicio, difficultas removebitur, ſi cogitemus actionem omnem corporum motu locali peragi; conſequenter ſenſationes corporeas, motus locales quoque eſſe; cum igitur, principiis præexiſtentibus vis motiva localis non deſit; optimè ſequitur ex iis contemperatis, contemperationem talem naſci poſſe, ut conſtituant intrinſecè principium aptum ſentiendi, puta, ſe movendi activè ab intrinſeco ad

inſtar

inſtar impreſſionum, quas cauſant objecta externa: In hoc equidem ſitum eſt totum animæ ſenſitivæ myſterium.

28. Neque dicas, aliud eſſe ſenſationes conſiſtere in motu, aliud eſſe non produci ſine motu, nam aliud hominem comburi, aliud percipere combuſtionem; aliud titillare, aliud percipere titillationem. Nam reſpondeo, & valde notandum eſt, combuſtionem, titillationem, etſi non eſſe ſenſationem conſtet; non indè eatenus ſequitur, ſenſationem non eſſe motum, nam combuſtio eſt motus activè ex parte comburentis, in paſſivo eſt motus ex parte combuſti: Non autem intelligendum eſt hunc eumdem motum paſſivè ſumptum ex parte combuſti eſſe ſenſationem, ſed motus, activè elicitus à combuſto per paſſionem, ad illum faciendum determinato, eſt ſenſatio, conſiſtens in hoc, quod Spiritus animales, nervorum ductibus contenti, ſe moveant ad inſtar excepti motus à ſpecie impreſsa, ideſt, meliùs ab agente externo. Motus, de quo loquitur objectio, eſt exceptio, non perceptio, paſſio, non actio; ergo ſenſatio, quæ eſt actio, & perceptio, omnibus fatentibus, diſtincta eſt ab exceptione, tanquam motus à motu: Combuſtio, titillatio motus eſt, ſed non ille, qui fit ſenſatio: Senſatio motus eſt, ſed non ille, qui ſufficit ſolùm ad titillationem, combuſtionem, &c. Ille autem ex intrinſecis ſuis ſenſatio eſt, qui activè à Spiritibus ſanguinis efficitur, poſtquam determinationem acceperint ab objectis exterioribus, quorum determinatio communiſſimè vocatur ſpecies impreſsa.

29. Sanguinis autem efficacia, & vis tanta quippè eſt; ut antiqui Philoſophi Empedocles, & alii in ipſo totam animæ ſubſtantiam collocaverint: id etiam Levitici docemur, ubi inſinuatur, animam eſſe in ſanguine, &, omnibus peripateticorum interpretationibus relictis, ſi certè omnia munia vitæ ad ſanguinem referri poſſunt, anima in ſanguine ſita eſt: ſanguis autem mixtum quoddam eſt, pluribus elementis in unum coadunatis; igitur anima ſenſitiva corporea mixtum

tum eſt, quæ ob ſui perfectionem dicitur actus in mixto totali, videlicet, equo: corpus enim equi organicum mixtum eſt quoque, cujus forma eſt, & ornatus, actus, pulchritudo, &c. ipſum mixtum ſanguineum, ſeù ſanguis ipſe, ſeù, quod idem eſt in re anima vegetativa, & ſenſitiva; hanc verò non ſtatui, niſi in ſanguinis portione actuoſiori, non eſt, ut verba faciam; nam cruoris pars craſſior eſt potius animæ fomes, aut focus.

30. Ex hactenus diſputatis concludendum eſt, actionem generativam eſſe alterationem identicè, cum non diſtinguatur à tota prævia alteratione, quod à pluribus apud Patrem Lallemandet aſſeritur. Item, quia non diſtinguitur ejus terminus à tota materia ex qua alterata, & præviè diſpoſita; attamen, prout generatio, reſpicit novum eſſe, verè factum, ſcilicet, quod antea non erat, ſecundùm quod genitum dicitur, cui philoſophandi modo non conſentit Anaxagoras: prout alteratio, reſpicit elementa ſecundùm ſe ſeorſim, quia quodlibet fit alterum, ſed non aliud, nam ignis non perit ſecundùm ſe in mixtione, ideoque non fit aliud ab eo, quod erat; ſed certè alterum fit ob mixtionem, ob quam eamdem mixtionem fit aliud ab unoquoque, ſed non ab omnibus, ſimul acceptis, quia mixtum genitum, e. c. vinum non eſt diſtinctum ſubſtantialiter ab omnibus ſubſtantiis elementorum, ſimul junctis, & copulatis, quæ ſubſtantiales elementorum, prout conjunctorum, entitates ſunt entitas genita, ſeù permixtionem facta; nam nova, quæ non erat, natura conſurgit, novumque operationum principium emergit; Eædem ergo entitates ſunt ſubjectum ex quo mixtionis, & generationis, cum jam dictum ſit, terminum generationis non diſtingui ab adæquata materia alterata. Item eædem entitates elementorum ſunt terminus alterationis, & ſubjectum: ſubjectum ex quo, quia unumquodque participat qualitatem, ſeù vim alterius per unionem, & combinationem, ſed meliùs dicerem ſubjectum in quo conjunctionis: terminus alterationis,

Digitized by Google

tionis, prout de unoquoque prædicatur aliqua vis alterius, non quidem intrinſecè, ſed denominativè ob mixtionem, cujus efficacia in propria vi temperatur.

31. Anaxagoricam Panſpermiam propugnans, certè omnem generationem alterationem facit; Anaxagoras enim docuit partes ſimilares principia, itaut, ſicut Mundus ex Chaos factus fuit, ſic quoque quodlibet corpus naturale, quævis res ex Chao fit, nam, dum fit caro, id quod latebat, aperitur, & à reliquis partibus ſecernitur, quo judicio res non fit, ſed manifeſtatur, non generatur, ſed ſolummodò ſubjectum alteratur: Atomi nimirùm carnis ſegregantur ab atomis ſanguinis, dum hic fit, ſimilareſque invicem coeunt, & à diſſimilaribus ſecernuntur; in quo certè, nil aliud intervenire, intelligitur, quàm alteratio. Sanguis ergo per Anaxagoram eſt Chaos particulare, cui ineſt caro, nervus cartilago, os, vena, arteria, & quodcumque de ſanguine fit; omnia ergo putabat mixta, adhuc poſt illud primum, & magnum Mundi Chaos: ſolam mentem, intelligendo Deum, docuit immixtam, ſegregantem, diſtinguentem omnia.

32. Maignanus igitur cum Empedocle aſſertor elementorum, docet jam, carnem fieri, quæ antea non erat caro, & ſic de cæteris; ergo generationem alterationem facere non eſt dicendus. Quod verò Anaxogoras de rebus omnibus generabilibus docebat, Maignanus de ſolis elementis aſſerit; nec mirùm, quia cum prima principia ſint ex alio fieri nequeunt, ſed ex ipſis fiunt omnia, conſequenter, dum ignis accenditur, verè neque per generationem fit, ſed ſolùm è ſubjecto, in quo latebat excluditur.

33. Forſitàn inſtabit adverſarius peripateticus, elementa eſſe corruptibilia, & conſequenter eſſe non poſſe ex hoc capite prima principia. At, quo experimento conſtat, elementa appellata gigni, & corrumpi ſecundùm partes (nam Ariſtotelici fatentur eſſe ingenerabilia ſecundùm totum) ex aere forſitan gignitur aqua? At, ſi aqua non gignitur ex

F aqua,

aqua, neque ex aere putandum eſt aquam proficiſci. Certè ex aere humido, ſeù tenuiſſima aqua referto, aqua generatur ad ſenſum; ſed id non eſt ex aere aquam fieri, at ex aere ſecerni tenuiſſimam aquam, & in unum coire, qua coitione poſita, viſibilis eſt aqua; cujus rei gratia advertendum, triplicem formam induere poſſe aquam glaciei, vaporis, & liquoris; vaporis ob ſui tenuitatem, & raritatem; glaciei ob duritiem, frigore, & nitro adductam; & liquoris, cujus extima forma connaturalis eſt, ut putatur, ob particularum facillimam diſſociabilitatem: forma autem intima ſemper eadem eſt. Sic proportionaliter, dum ignis de novo fit ad ſenſum, verè non generatur, neque generatione ſecundùm intellectum expoſitum in ſuperioribus. Præcisè excutitur de aliis partibus materiei, quibus implicabatur. Dum verò extinguitur, intercidit particularum fluxus, & intercipitur aliquo contrario opprimente. Aer, ſi non eſt elementum ſeorſim ab aliis, à Deo creatum, dici poterit genitus; at neque id dici nequit; quia non eſt aliqnod naturale ad ſpeciales actiones efficiendas in eſſe naturæ; ſed eſt ſolùm flos corporum, ut inſerviat ad reſpirationem; ad generationem ſubminiſtrando materiam, & ad alios fines, & alium uſum; nec eſt aliud hoc ſenſu, quam aqua attenuata; ignis attenuatus; terra attenuata; eſt ergo potiùs chaos plurium naturarum, quàm natura una phyſica.

34. Cœlos eſſe etiam incorruptibiles, contrarii fatentur. At etiam, ſi cœleſtia obnoxia eſſent corruptioni; adhuc eſſe poſſe prima principia, non dubito quoad materiam cœleſtem ex qua, differentem à materia elementari; cum ſuperiores cœleſtes orbes, differant ab inferioribus ſublunaribus, elementaribus.

35. Demùm objicies inimicitiam elementorum appellatorum; ſed Empedocles litem, & concordiam elementorum voluit, ut res concordia fierent elementorum; eorumdem verò lite, & inimicitia corrumperentur. Maignanus, litem

tem elementarem non eſſe ad necem, ſed ad firmiorem copulam, & miſcelam, ſtatuit. Dum quidem poſtea res corrumpuntur, non corrumpi ex diſcordia, & lite, docuit, niſi per accidens; quapropter aſſerit, ignem de ſe neque gravitare, neque levitare; ſed indifferenter, & promiſcuè ad omnem locum inclinari.

36. Poſſem ulteriùs demùm ſententiam de principiis iſtam, quam ſequor confirmare ab innumeris difficultatibus, quibus Peripateticorum ſententia ſcatet; cum agitur de anima quoad ſui primam generationem, quæ omnes in noſtra evaneſcunt. Si de corpore animato, ut ſum in votis conſcribendi opportunitas non deerit, ibi omnes abſurditates recenſebo: raptim hìc aliqua attingam. Primò aſſignari nequit cauſa creata producens animam in embrione, nam ſemen non eſt per ipſos animatum; cur ergo producit vivens deciſum in utero à ſeminantibus abſentibus, imò deſtructis, ut ſupponi poteſt poſt ſeminationem (loquor de maribus). Secundò, ſi ſemen eſt forma accidentalis, quod vocant inſtrumentum animæ ſeparatum; quomodò poterit producere animam prolis. Tertiò, ſi ſemel affertur in exemplum à Peripateticis, ut oſtendant accidentia poſſe inſtrumentaliter producere ſubſtantiam; ergo forma ſeminis eſt forma qualitativa accidentalis; ergo materia exiſtit ſine forma ſubſtantiali. Quartò quomodò intelligi poteſt anima homogenea, educta de corpore organico eterogeneo. Quintò, qui fieri poteſt, ut intelligatur productio animæ, ſi hæc eſt entitas penetrativè exiſtens in materia, & diſtincta à materia tota, ex qua facta dicitur. Etenim anima ex ſui eſſentiali conditione eſt actus corporis phyſici organici; ergo produci nequit, niſi præintelligatur in materia ratio corporis phyſici organici; at quomodò in eodem inſtanti intelligi poteſt ratio corporis phyſici organici, niſi ſimul, & ſemel habeantur caput, cor, pulmo, jecur, &c. nam ſi ſolum cor conſideratur, non habetur corpus animalis aptum anima actuari, quæ eſt actus corporis

organici: cor enim non eſt corpus neque canis, neque columbæ, neque piſcis, neque formicæ, licèt in ea quantitate data cordis poſſit deſcribi corpus alicujus animalis; attamen cor præcisè ſecundùm ſe, cujuslibet quantitatis afferatur, non eſt corpus animalis aptum informari anima conſtitutiva alicujus animantis; ergo, dum producitur anima de novo, præſupponi debet materia corporis organici; itaut materia ſit ultimò diſpoſita quoad omnes ſui partes, quibus conſtituitur corpus phyſicum organicum, æquè ſimul; ſed quomodò generans poteſt ſimul eſſe præſens toti corpori organizato; ut anima, quæ reſpicit omnes ſimul partes, producatur ſecundùm ſe totam indiviſibiliter. Etſi agens eſt ſimul præſens, fortaſsè ob ſui diviſibilitatem toti materiei organicæ; undè hæc neceſſitas, inquam, ut omnia ſimul diſponantur ultimò, & non poſſit una pars ultimò diſponi ante aliam; cum una pars ex ſe ſit aptior diſponi, quam alia velociùs, imò communi ſenſu dantur primigeniæ partes in fœtu abſolvendo: fœtus quidem non ſubitò abſolvitur, nec omnes partes æquè abſolvi cenſent Medici.

37. Quod, ſi dicatur, animam produci in partibus principalibus, poſtquam hæ fuerunt ultimò præparatæ, & diſpoſitæ; ergo anima eſſentialiter non eſt actus corporis phyſici organici, quatenus ipſa ponitur, & nõ actuat materiam organicam: Sic enim produceretur pars animæ, nõ anima; ſed nequit produci pars animæ, quin ſimul producatur alia pars animæ in alia parte ſubjecti, quousque cum veritate dicatur produci anima, quæ eſt actus corporis phyſici organici, non autem unius organi; licèt pro quolibet organo ſua animæ portio reſpondeat. At id, quod nunc dico, eſt, omnes animæ portiones indiviſim, & indiviſibiliter eſſe producendas, dum producitur anima; nam anima, ut dicebam, eſt actus corporis organici, non actus cerebri, cordis, aut pulmonis, nec poſito pede ſolo, intelligitur corpus phyſicum organicum animabile; ergo neque benè intelligitur, poſſe unam partem

tem animæ produci ſine productione alterius. Hæ difficultates vacant in ſententia Carthcſii, nolentis, brutis animam verè ineſſe: De homine apud ipſum nulla difficultas eſt, cum ſit tota in toto divinitus de fide infuſa; nec eſſentialiter eſt actus corporis. In Maignani autem philoſophia etiam evaneſcunt, cum brutorum anima ſita ſit in ſanguine, & dum omnia organa conformantur, eorumque fit abſolutio; Sanguis quoque ſimul incipit per ea vagari ſuis halitibus, ſive ſpiritibus; ac tandem, dum fœtus abſolutus intelligitur; cum ſanguine ſimul intelligitur. Demum in Maignani principiis brutum, tùm quoad corpus, tùm quoad animam eſt machina, & omnia principiis peraguntur mechanicis, gradu ſubſtantiali vitæ illibato, quidquid dicant Cartheſiani: At in Peripatetica ſchola anima eſt nova producta entitas ſimpliciter ſecundùm ſuum eſſe in machina corporis. Reliquum eſt, ut aliquas objectiones diſſolvamus pro Maignaniſtica philoſophia.

Proponuntur objectiones, & refelluntur.

38. Objectio prima: Ex nihilo nihil fit: ergo ex aliquo aliquid fit; ergo datur id, ex quo fit, & id quod fit; ergo dantur aliqua noviter producta. Reſpondeo totum concedendo, ultima excepta conſequentia, quin immò nihil novum ſecundùm eſse producitur, & nihil verè producitur, quia quidquid fit ex aliquo fit. Hinc eſt, ut ſupra dixerim, num. 17. productionem rigoroſam non eſse genus ad creationem, & generationem, ſed eſse ipſammet creationem ſpeciem actionis. Actio quippè generativa non eſt productiva, nam producere eſt aliquid ſecundùm eſse ponere; generare autem in rei veritate eſt miſcere combinare, in quo nulla nova entitas intelligitur poni in eſse, ſed ſolùm entitates miſcibilium uniri. Aliquod ergo noviter generari, ſeù generatione fieri, non eſt noviter produci, nam

pro-

produci idem eſt, ac creari, ſed eſt ſolùm eſſe de novo compoſitum, minimè eſſe aliquam partem de novo ſimplicem, ſed ſimplicium corporum præexiſtentium conjunctionem, quæ conjunctio non diſtinguitur à conjunctis, nec totum diſtinguitur à partibus, ſimul ſumptis. Accipe, Lector, exemplum: Dum dico: Alter Mundus eſt poſſibilis, certè per ly poſſibilis diminuitur prædicatum exiſtentiæ, & transfertur ad negationem exiſtentiæ de præſenti cum ſola intrinſeca non repugnantia, ſicque in propoſitione logica alter Mundus non ſupponit exiſtentiam, ſed oſtendit poſſibilem eſſe hanc ſuppoſitionem. Ita à ſimili: Aliquod fieri ex ſubjecto, importat ob additionem, ex ſubjecto, non propriè ſimpliciter fieri, & conſequenter non produci; ſed fieri per compoſitionem, ſeù fieri entitatem compoſitam, qua compoſitam, non ſimplicem, ut eſſet forma peripatetica ſubſtantialis. Dum ergo dicitur: Aliquod ſubſtantiale fit, attendatur, quod fit ex ſubjecto, nam hoc ipſo, quod fit, non fit ſimpliciter de novo, nam nulla intercedit nova entitas; nulla quippè, quæ non præfuerit, non præceſſerit; neganda ergo ultima conſequentia.

39. Objectio ſecunda: Noſter P. Palanco, qui vocat Maignanum virum ſtupentis ingenii tom. 1. ſuæ phil. natur. putat, ſe demonſtrare pro peripatetica philoſophia ab agentibus in hoc orbe aliquid fieri ex nihilo ſui. Demonſtratio hæc eſt: Ideò per generationem non produceretur forma, realiter diſtincta à tota materia præſuppoſita, quia ſequeretur, illam produci ex nihilo ſui, & hoc repugnat; ſed hoc non repugnat, ſed eſt neceſſariò admittendum: ergo, & primùm. Minorem probat primò, quia generatio non eſt productio entis ex toto ipſius entis, ſed ex aliquo tantùm, tùm quia ſic communiter definitur, etiam ab ipſo Maignan; tùm quia implicat in terminis, aliquid realiter fieri ex toto ſui ipſius; ſed implicat ens fieri ex aliquo tantùm, & non ex toto ſui, quin aliquid ejus fiat ex nihilo ſui; ergo nedum non repu-

repugnat, ſed omninò eſt neceſſarium aliquid fieri ex nihilo ſui. Minorem probat, quia equum v. g. fieri ex aliquo tantùm, & non ex toto ſui, eſt formaliſſimè, nec totum equum adæquatè fieri, nec totum præſupponi; ſed ex parte præſupponi, & ex parte de novo fieri, unam ejus intrinſecam partem præſupponi factam, & aliam; ultra illam fieri de novo; ſed hoc implicat, niſi hæc pars, & hoc aliquid, quod fit ultra aliquid, & ultra illam partem præſuppoſitam fiat ex nihilo ſui: ergo.

40. Ego autem dicam, in hoc maximè apparere quantam noſtræ menti vim ingerant præjudicia, & præjudicatæ opiniones, aut cum lacte ſuſceptæ, aut ex amore præcipiti, aut communi ſequela inductæ, ut demonſtrationes appareant, quæ unico verbo diſſolvuntur argumenta. Cogitavit, hoc argumento peſſum ire Maignani fundamentum P. Palanco libris de phyſico auditu addictus: At peripateticam philoſophiam argumentis, quibus mirè premitur, nunquam ſe poſſe extricare, patet huic demonſtrationi diſſolvendæ paucis verbis occurrens: Ex nihilo ſui aliquid fit, ſcilicet, quod non erat heri id, quod modò v.g. eſt, & quod non erat nudius tertius modò fit, puta, non erat ſanguis (aliter Panſpermiam Anaxagoræ in medium adduceremus) & fit, concedo; ex nihilo ſui entitativo aliquid fit, nego. Aliud eſt profectò aliquid fieri ex nihilo ſui; Aliud eſt fieri, prout nunc in temporum menſuris, videlicet, quod prius non erat antequam fieret, aliter fieri opus non eſſet; & in hac diſtinctionis incogitantia totus vertitur Peripateticorum error. Explicat ſuam demonſtrationem Author: Tota entitas geniti non ſupponitur ante generationem; aliter genitum fieret ex tota ſua entitate, & conſequenter ex toto ſui contra definitionem generationis, & evidentiam; Deindè nec tota ejus entitas adæquatè fit generationem, alias fieret ex nihilo ſui; ergo aliqua ejus entitas ſupponitur, & aliqua, præter illam, fit; ſed hæc, quæ fit, præter illam, quæ ſupponitur, fit

ex

Digitized by Google

ex nihilo ſui; ergo neceſſariò aliqua entitas geniti fit ex nihilo ſui. Minorem probat primò, quia, ſi hæc fit præter illam, quæ ſupponitur, hæc eſt adæquatè diſtincta ab entitate, quæ ſupponitur, ſiquidem eſt præter illam; ſed, ſi adæquatè diſtinguitur ab entitate, quæ ſupponitur, nihil ejus ſupponitur; ſi enim aliquid ejus ſupponitur, jam non diſtinguitur adæquatè ab eo, quod ſupponitur; ergo entitas, quæ fit præter illam, quæ ſupponitur, nihil ſui præſupponit; ergo fit ex nihilo ſui. Secundò, ſi illa entitas, quæ fit, præter eam, quæ ſupponitur, etiam fieret ex aliquo ſui, in illo etiam diſtinguendum foret id, quod fieret, & id, ex quo fieret, id, quod ſupponitur ipſius, & id, quod non ſupponeretur, ſed fieret. De hoc igitur rurſus interrogat, an fiat etiam ex aliquo ſui præſuppoſito. Si negatur; ergo fit ex nihilo ſui. Si affirmatur, rurſus erit diſtinguendum in illo aliquo, & id, quod ſupponitur, & id, quod non ſupponitur, ſed fit, & erit proceſſus in infinitum.

41. At phyſicam Ariſtotelicorum logicam ſapere ex tanto verborum circuitu in exponendis naturæ effectis eorum more liquidò conſtat vel ex hac præſenti objectione. Certè dicere poſſumus illud Senecæ epiſt. 72. ſic ſcribentis: *Relinque iſtum ludum litterarium philoſophorum, qui id agunt, ut philoſophia potiùs difficilis, quam magna videatur.* Quid enim agit noſter P. Franciſcus Palanco, vir cæterùm perdoctiſſimus, atque variis diſciplinis exercitatiſſimus toto iſto diſcurſu, niſi rem verbis abſtractis obſcurare potiùs, quàm enucleare. Quod, ut cuique innoteſcat, dico ſic: Dum ex argento phiala, cratera, ſalinum, polubrum, ſimulacrum, ſtatua, &c. fiunt, aliquid diſtinguendum eſt, quod præſupponatur, ſcilicet argentum, & id, quod fit, nempè phiala, cratera, &c. ergo ſtatua fit ex nihilo ſui; quæ conſequentia falſa eſt, cum ſtatua non importet novam entitatem, diſtinctam ab argento, Peripateticis ipſis concedentibus. Loquamur ergo in concreto, ac dicamus ſic: Ex elementis fit

caro,

caro, ſanguis, vinum, &c. vinum caro non erant, dum fiunt; & ideò non erant, antequàm fierent, quia elementa non erant combinata. Hoc poſito, caro ne fit ex nihilo ſui? Minimè. En quomodo argumentum tanto verborum apparatu, & vocum circuitu conſtructum, unico verbo evanuit. Dico igitur, dum arguens quærit: Entitas illa, quæ fit nihil ſui præſupponit, nego ſuppoſitum, generatione fieri entitatem ſimplicem; id enim eſt probandum, nam, ſi fieret entitas aliqua ſimplex, ut eſt forma per ipſum, nihil ſui præſupponeret pro certo; at, quod fit eſt entitas, compoſita, qua compoſita, cujus nihil præſupponi eſt contradictio in terminis. Ab agentibus ergo naturalibus nihil fieri poſſe ex nihilo ſui, indubitatum, & inconcuſſum fundamentum eſt philoſophiæ recentioris. Quod ſi, Lector mi, abſtractam reſponſionem quæris, dic ſic: Quod fit ex aliquo fit, & conſequenter ex nihilo ſui fit entitativo, itaut entitas ſui non præſupponatur, nego; Ex nihilo ſui, ideſt, quod non erat, fit, concedo: Certè roſa, quæ fit hodie, non erat heri; ergo fit ex nihilo ſui, ideſt, non exiſtens heri, hodie eſt; non autem ex nihilo ſui entitativo, quia heri erat tota illa entitas, & adæquata, quæ pertinet ad conſtituendam roſam. Vel ex nihilo privativè, concedo; entitativè, nego.

42. Objectio tertia: In omni mutatione datur terminus, à quo, terminus, ad quem, & id, quod tranſit, aliàs non non eſſet mutatio, quia mutari eſt conditio entis; ſed id, quod tranſit à termino, à quo, ſcilicet forma ligni, ad terminum, ad quem, v.g. formam ignis, non poteſt eſſe, niſi ſola materia prima; ergo. Reſpondeo diſtinguendo majorem, in omni mutatione phyſica (de qua ſolùm ago) datur terminus à quo modificativus, terminus ad quem modificationis, & id, quod tranſit ad iſtam modificationem, concedo majorem: datur à quo, & ad quem entitativi; & ſubjectum tranſiens ab entitate ad entitatem, itaut ipſa duo contraria faciant realem numerum cum eis, quæ ſubjiciuntur, nego ma-

jorem. Item diſtinguo minorem, ſed id, quod tranſit, &c. Primo tranſitu in primo membro diſtinctionis, non poteſt eſſe, niſi materia prima ariſtotelica, nego minorem; tranſitu ſecundi modi, & generis, non poteſt eſſe, niſi ſola materia prima, primum ſubjectum receptivum omnium formarum, concedo minorem; at nego ſuppoſitum, materiam hujus generis dari in rerum natura.

43. Patet quidem eſſe purum figmentum in phyſicis argumento Parmenidis, & Meliſſi, quod noverunt Profeſſores: ſi fit aliquid, vel fit ex ente, vel fit ex non ente. Ex ente fieri non poteſt, quia jam eſſet ens antequam factum eſſet; nec ex non ente, quia non ens, nihil eſt, ex nihilo autem nihil fit. Semper enim aliquid eſt præſupponendum; ergo nullæ dantur rerum de novo veræ productiones; ergo neque materia mutationum entitativarum. Hoc argumentum eſt certè inſolutum ab Ariſtotele, nec ejus Commentatores hactenùs ſolverunt. Ariſtoteles quippè tex. 65. ſic reſpondet: Ex non ente nihil fieri ſimpliciter, ideſt, per ſe, concedit, ex non ente, aliquod non fieri per accidens, negat. Toletus iſtam diſtinctionem explicat hìc cap. 8. pag. 39. Fieri aliquid per ſe ex non ente, eſt, quod non ens, ut non ens faciat aliquod, & hoc fieri non poteſt: fieri verò ex non ente per accidens, eſt, quod non ens faciat aliquid, ſed non, ut non ens eſt, ſed ſecundùm aliam rationem, & iſtud eſt materia, quæ eſt non ens per accidens ratione privationis; non eſt per ſe non ens, & ex tali materia fit res; undè ex non ente fit ens per accidens, nam materia eſt non ens ratione privationis, hæc tamen eſt per ſe non ens, nec ex ea fit res per ſe. Idem Ariſtoteles diſtinguit etiam alteram propoſitionem, nempè, ex ente fit aliquid, dicitque, ex ente per ſe non fieri aliquid, ideſt, quatenus ens, ſed per accidens, ideſt ex illo, quod eſt ens, fit aliquid, ſed non, ut ens eſt. In hujus declarationem advertit Toletus, dicitque, quod ſemper illud, quod fit, negatio præcedit, ut fiat; undè, ſi ens fieret, ut ens, oportebat

tebat

tebat nullum præcedere ens,& ita ex nihilo fieret,quod eſſe nequit. At, cum non fiat ens, ut ens, ſed hoc, vel illud ens, ſatis eſt, quod præcedat aliquod non ens, putà, non ens illud, quod debet fieri, licèt hoc non ens ſit aliud ens;& hoc eſt, quod Ariſtoteles docere intendit, ait dictus Toletus, quod, ut fiat hoc ens, non oportet ex nihilo fieri, ſed ex aliquo ente, quod non ſit illud, quod debet fieri.

44. Hæc tamen Ariſtotelicorum reſponſio ſatis dilucidè oſtendit argumentum antiquorum ſubſiſtere. Oſtendo quippè prætactæ reſponſionis vanitatem, niſi pro materia rerum ſtatuantur miſcibilia,ex quorum ſola coalitione fiant ea, quæ fiunt. In primis concedit Ariſtoteles, quod ex non ente nihil fit ſimpliciter, & per ſe; negat tamen ex non ente aliquid non fieri per accidens; ſed materia prima eſt non ens per ſe reſpectu ejus, quod fit, & fieri dicitur ex ea; ergo nihil fit. Probatur minor: Forma, quæ fit, per ſe eſt extra ens, ex quo fit; ergo materia reſpectu ejus, quod fit, eſt non ens per ſe; nam, quod materia ſit ens ſecundùm ſe, parùm refert, ſi relativè ad ens, quod fit, non eſt ens; ergo nullum eſt ens, quod fit. Explicatio Toleti futilis nimirùm eſt, nam, quod materia ſit non ens per accidens ratione privationis, quatenus ſupponitur non eſſe, quod fit, minimè infert, quod aliquod novum fiat; nec impedit, quod ex non ente per ſe, non fiat. Primum patebit infra,ſecundum probatur; nam, quod materia careat eo, quod faciendum eſt, ac proindè dicatur non ens ratione privationis, ſcilicet,non ens illud, quod faciendum eſt; ſemper verificatur, quod etiam ſit non ens per ſe, & forma fiat ex non ente per ſe, ſi eſſe ſubjecti, ex quo eſt aliud eſſe ab eſſe formæ, & ens ſubjectum eſt adæquatè aliud ab ente forma, quia forma producitur ſecundùm totam rationem entis; ergo fit ex non ente per ſe: etenim ens illud, quod dicit præcedere, nullum intrinſecum influxum habet in formam, ut id, ex quo, nam ens aliquod præcedere impertinenter ſe habet, ut aliquod

Digitized by Google

ex eo fieri dicatur, niſi aſſeratur quod id, ex quo fit, ſit ens, ac ideò ex ente fieri ens, ſeù ex aliquo fieri aliquid. Neque dicat Toletus, quod aliquod fit ex aliquo, eo quia illud, ex quo fit, ſit potentia id, quod fieri debet; nam hæc ipſa continentia formarum poteſtativa, futilior cenſenda eſt.

45. Probatur nunc primum membrum noſtræ reſponſionis ad explicationem Toleti, ſcilicet, non quia materia eſt non ens ratione privationis, juvat, quod fiat aliquid de novo; nam elementa miſcibilia ſupponuntur carere miſcela, dum autem poſtea miſcentur, & invicem combinantur, fit aliquid, ſcilicet mixtum, nil tamen de novo fit ſecundùm eſſe; ergo non ſequitur, ex eo, quod præcedit negatio ejus, ſeù dicas privatio, carentia, quod dicimus naſci fieri hæc illatio; ergo fit aliquid, quod non erat ſimpliciter, ſeù fit aliud ens, & aliqua entitas recens. Item, neque ex eo, quod id, ex quo fit potentia id, quod faciendum eſt, ſequitur aliquod recens fieri ſecundùm eſſe; nam miſcibilia dicuntur poteſtate mixtum, cum ſint in potentia admiſceri, coagmentari, combinari, coaleſcere, diſponi, invicem componi, &c. Materia igitur eſt non ens per ſe reſpectu ejus, quod fit, quia non eſt ens producendum, ſeù non confert ad eſſe per ſeipſam, ad eſſe, inquam producendi effectus; ergo, ſi aliquid fieret novum, & recens, fieret ex non ente per ſe. Neque dicas, eſſe ens per ſe potentia, non actu, nam ſi hæc potentia non influit materialiter, ut id, ex quo in producendum ens; nec erit potentia, nec actu ens per ſe reſpectu producendi effectus, ſeù verè loquendo reſpectu effectus generandi: verificabitur verò eſſe ens per ſe, ſi dicatur concurrere intrinſecè, ut ex quo ad entitatem illam, quæ fit ex ente; liquidò igitur conſtat nil novum fieri poſſe ſecundùm eſſe, & entitatem, argumentumq; antiquorum enervatum non eſſe.

46. Objectio quarta. Materia in phyſicis eſt communis; ergo cuique compoſito ineſt ſua ratio phyſica differentialis, quæ forma appellatur. Reſpondeo, me non agere

ato-

atomiſtam, ſed potius cum Maignano Empedocleum; concedo igitur cuilibet mixto perfecto, aliquid eſſe entitativū, quo ab aliis, ſpecie perfecta mixtis differat; id autem, ne cogites eſſe formam, productam de novo ab agente, ſed eſſe miſcibile præſuppoſitum in hac orbis, à Deo conditi, conſtitutione, aut ob varium concurſum elementorum, quæ ſuppono multiplicis eſſentiæ per ſingula, aut æthereorum effluxuum ſubſtantialium; quod non reſpuerit; qui Maignanum legerit. Aliquid ergo eſt in carne, quod non ineſt auro, ſed aggregatione poſitum, non ex nihilo ſui entitativo productum, qualiter Peripateticorum ſchola docet.

47. Objectio quinta ex Suarez: Nulla eſt repugnantia dandi formas ſubſtantiales; ergo non ſunt rejiciendæ. Repugnantia tùm ex parte ſui eſt, quia implicat gigni, & informare id, ex quo gignitur, & implicat, eſſe formam partis; tum ex parte materiæ, quia eſt impotens ad cauſandum in ſuo genere, ut ſuperius fusè probatum eſt; tùm ex parte agentis naturalis, nequeuntis aliquid ex nihilo facere. Demùm non ſunt neceſſariæ in rerum natura, quia omnia ſalvanda ſalvantur, poſitis miſcibilibus.

48. Objectio ſexta: Motus eſt actus entis in potentia, prout in potentia, ſeù moventis, prout mobilis, quia non ſupponitur mobile eſſe in termino, ad quem tendit; ſed materia movetur motu generationis, quatenus ſubjectatur omnibus ſubſtantialibus mutationibus; ergo debet eſſe in potentia phyſica, & conſequenter incompleta in genere phyſico. Unico verbo ſolvitur objectio, dicendo, materiam eſſe in ſe phyſicè completam, incompletam reſpectivè in ordine ad effectum generandum in ſpecie phyſica. Hinc diſtinguendum foret primum conſequens, debet eſſe in potentia phyſica in ordine ad tale, vel tale compoſitum, concedo, in ſe, ſecundùm ſe conſiderata, nego conſequentiam. Indè clarè patet, nonniſi eſſe voces abſtractas, potentia phyſica, complebilis, &c.

49. Objec-

Digitized by Google

49. Objectio ſeptima. Niſi darentur formæ diſtinctæ, ſequeretur, materiam generari, & corrumpi: nam quæ ſunt idem realiter, quod uni competit, competit & alteri, ſed formæ convenit corrumpi, quæ eſt identicè quid unum cum materia; ergo hæc eſt obnoxia generationi, & corruptioni. Retorquetur argumentum contra negantes unionem diſtinctam ab extremis: unio eſt indiſtincta à materia, & forma; illa generatur, ideſt, unitum; ergo unibilia; falſa conſequentia, ſaltem in homine, cujus partes creantur. Secundò notandum eſt; effectum generationis, non eſſe materiam entitativè acceptam, ſed modificativè, nec caro v. g. identificatur igni, ſed elementis omnibus, ſimul ſumptis in ſenſu copulato. Quapropter, dum definit, elementorum copulatio ceſſat; dum gignitur, elementa concreſcunt.

50. Objectio octava: conſtat homo forma ſubſtantiali; ergo & res omnes naturales; probat conſequentiam Suarez; hominis compoſitio ex materia, & forma ſubſtantiali oſtendit eſſe in rebus naturalibus quoddam ſubjectum ſubſtantiale natura ſua aptum, ut informetur actu aliquo ſubſtantiali; ergo tale ſubjectum imperfectum, & incompletum eſt in genere ſubſtantiæ; petit ergo ſemper eſſe ſub aliquo actu ſubſtantiali. Hoc autem ſubjectum non eſt proprium hominis, ſed in aliis etiam rebus reperitur, ut notum eſt; ergo omnes res naturales, quæ illo ſubjecto conſtant, conſtant etiam ſubſtantiali forma actuante, & perficiente ſubjectum illud.

51. Primò nego, animam rationalem eſſe formam corporis eo modo, quo peripateticus vulgus credit, ſcilicet, eſſe formam per intrinſecam receptionem in materia, quo ſenſu merè paſſivè ſe haberet, & grammaticaliter ſumeretur, ſed eſt forma corporis, prout eſt actus primus internus operativus, itaut non ſit actus informativus, niſi in quantum actuativus, nec actuativus, niſi quatenus operativus cum organis corporeis. Hoc intendit Concilium Lateranenſe, dum definivit, animam rationalem eſſe formam informantem, ideſt

idest non aſſiſtentem; dicitur ergo anima forma corporis, quia eſt pars nobilior, actuoſior, & reſpectu ejus corpus dicitur materia.

52. Secundò, concedendo primam conſequentiam; ſed notandum eſt in rebus, quæ generatione fiunt, partem materiæ nobiliorem eſſe, atque dici formam reſpectu alterius partis materiei, ut dictum eſt num. 14. itaut unum miſcibile ob ſuæ virtutis motricis excellentiam dici poſſit formoſior, eaque ratione in miſcela dicitur forma reſpectu alterius miſcibilis. Vel tertiò dicam, negandam eſſe conſequentiam, & ratio diſparitatis petitur, quod forma rationalis, cum non ſit de genere corruptibilium, & generabilium, non mirùm quod realiter diſtinguatur à toto ſubjecto; ſed animæ materiales, & aliæ rerum formæ cum fiant ex ſubjecto, nequeunt habere aliud eſſe, præter eſſe ſubjecti, ſicque non habetur informatio partis; aut, ſi habetur, eſt reſpectu ſubjecti, in quo, reſpectu cujus concedo dari formam in omnibus rebus, etiam inanimatis: ex qua doctrina corruit tota Suarez argumentatio, nam ſubjectum, quod eſt ſub aliquo actu, eſt ſubjectum, in quo, non autem ſubjectum ex quo: in hoc autem nil aliud relucet, niſi in mixto eſſe plures portiones; quarum, quæ eſt actuoſior vocatur forma, quæ minus actuoſa vocatur materia. Attamen nunquam probatur dari materiam purè paſſivam, inertem, omni actu ſpoliatam, &c.

53. Cum ergo ex diſputatis habeamus, corpora, tanquam ex primis principiis conflata eſſe ex elementis appellatis, hæcque eſſe rerum corporearum primordia, atque prima initia, optimè ſequitur, primum hominem Adamum, quoad corpus ex elementis fuiſſe genitum; quod Geneſis cap. 2. inſinuatur: formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ; ſuper quod ſcripſit Baſilius: condidit hominem ex quatuor partibus terræ, quas ex partibus quatuor ſumpſerat Mundi. Limi nomine terræ omnia elementa deſignantur; tùm quia omnia

omnia continet, aquam, aerem, ignem; tùm quia nominatur terra propter conſiſtentiam, quam mixto confert, ſicuti, dum fiunt piſces, nominatur aqua ob ejus prædominium, & quia naturalis locus inhabitationis piſcium eſt; non ideò tamen cætera quoque elementa concurſum non habuere; tùm quia ſola terra elementaris limus non eſt; tùm quia accipitur terra humano loquendi more, quo comprehenditur aqua, ignis, aer, &c. ſicuti, dum dicimus terram germinare herbas, quam tamen non germinare ſine aquis, imbribus, calore, &c. experientia demonſtrat.

54. Corporis Adæ autem generatio, an fuerit facta in inſtanti, dubium eſt. Ego negativè reſpondeo, nam Agens infinitum, licet poſſit ſimul producere materiam ex qua, & ſubſtantiale compoſitum efficere; tamen, ſuppoſita præexiſtenti materia, ut erat limus, de quo, & ex quo formavit Dominus Deus Adam; opus fuit motu locali, qui nequit eſſe inſtantaneus ad conformanda membra primi hominis Adam. Niſi velimus dicere creatum limum ſimul, & ſemel, atque ex limo corpus Adæ, quod eſſet figmentum mentis noſtræ; nam de limo terræ, qui jam præerat formavit Dominus Deus Adam, dicitur Gen. cap. 2. celerrimè igitur, non autem inſtantaneè formatum fuit corpus Adæ à Deo; cum enim voluerit generare, oportuit per motum localem materiæ operari, nam generatio, ut eſt effatum, fit per motum, creatio ſola ſine motu. Concedo equidem, Deum poſſe generare ſine motu, ſed id nequit contingere, niſi ſimul eadem actione creet; quod eveniret, ſi eodem tunc, eadem actione crearet miſcibilia, eademque uniret. Id verò non habet locum in caſu noſtro, cum corpus Adæ fuerit formatum de limo terræ, jàm præexiſtentis, & præſuppoſitæ.

55. Advertendum autem eſt, non ideò generationem exiſtere, quia ſubjectum ex quo præſupponitur duratione; ſufficit quippè præſuppoſitio naturæ, ut loquuntur philoſophi, nam compoſitum, prout tale nequit non eſſe, niſi ex

par-

partibus inexiſtentibus componentibus; ergo nonniſi ex ſubjecto, & per generationem. Quod ſimul in eodem inſtanti fiat compoſitum, & partes fiant componentes;id ſolùm indicat generanti vim in unum ſimul conjungi creativam, ſcilicet ex nihilo productivam, nam, prout partium eſt dicitur creatio, prout compoſiti ex partibus generatio.

56. Status vero ille felix primus, in quo conditus fuit primus homo non arguit alia fuiſſe principia corporis Adæ; idem enim homo ante peccatum,& poſt peccatum,ſed alium fuiſſe ſtatum compoſitionis: Profectò ſicuti compoſitus erat ex corpore organico, & anima intellectiva, ſic quoque eadem principia corporis organici Adæ, ac omnium hominum, ſic ante, ac poſt prævaricationem. Licèt ergo iiſdem principiis ex parte corporis conſtituti fuerint noſtri primi Parentes,quam nos, putà, elementis, atque Cœlorum influxibus, concurrentibus, ut ſubjectum ex quo, alia tamen lege, aliaque ſuaviori manu oportet eorum ſtructuram fuiſſe. Abſque dubio ſuos, ſicuti nos, habebat ſenſus Adam, & iſti ſenſus, nonniſi, ut eorum conditio fert, ſenſibili, & jucundo delectabantur; non inde tamen inferre licet: ergo ad talia objecta cæco modo animum urgebant: dixi: cæco modo, nam,cum ſit jucundum,& honeſtum, aut è contra,moleſtum, & honeſtum, & è contra, & ſenſus inclinent in jucundum ſive ſit honeſtum, ſive non, & fugiant moleſtum ſive honeſtum, ſive non, ſequitur ſenſus cæco modo reſpicere jucundum, legem neſcientes: Non licet, inquam, inferre. Sic quidem, niſi felix ille ſtatus opponeretur, nam talis erat ſpirituum animalium conditio, harmonica temperies, ut nonniſi abſque reluctantia rationis imperio ſubderentur: Hoc autem, quòd explicandum ſuſcepi hoc capite, ut feliciùs proſequar, ſunt quædam alia præmittenda ex vera philoſophia; idcircò ſecundum adnecto articulum.

APPENDIX.

57. Elementa appellata dixi hoc articulo eſſe rerum primordia. At hic dubitabit aliquis qui fiat,ut iiſdem elementis componantur tot innumerabilia mixta ſolo eorum concurſu; opus eſt ergo aliquo principio peculiari, quo mixta ſubſtantialiter conſtituantur, & eatenus differant ab invicem, quod erit forma juxta ariſtotelica placita. Mihi quandoque id dubietatem quoque ingeſſit: at reminiſcendo eorum,quæ dicam cap.4.ſecundæ diſſer.num.3.4.5.,& 28.29. non mirum mentem noſtram per vices nunc firmiter adherere, nunc circa eadem nutare. Tribuendum ergo ſolummodo eſt originali peccato, non autem inconcuſſæ veritati de rerum initiis corporibus in actu.

58. Quod autem hæc ſint elementaria dicta, tum ab experimento reſolutionis mixtorum, tum quia eorum ulterior reſolutio non probatur, patet. Dato autem, ut in objectione dicitur, dari oportere peculiaria principia, non ſequitur; ergo forma genita de novo peripatetico more; nam Maignanus recurrit ad varietatem elementorum præexiſtentium ad generationem,ſeù mixtionem, &c. Ultra appellata elementa, pro materia rerum generabilium adæquata ex qua aſtruit cœlorum, planetarum, ſiderum influxus. Item eadem elementa inferiores ſub ſe continere ſpecies; quamobrem elementa ſunt quatuor genera logica, ſcilicet prædicabilia de pluribus ſub ſe contentis ſpeciebus. Id quippe ad divitias doctrinæ paſſim in ſua philoſ. nat., & philoſ. ſac. ut prop.4. in appendice num.36. & cap.21. prop.17. num.15.

59. Ego verò puto abſq;hac doctrina ſufficienter ſalvari poſſe quid quid in difficultate indicatur; nam ſolo poſito concurſu elementorum, & concurſus varietate, varietas mixtorum emergit. Sicuti enim ſola variatione poſitionis,

& compoſitionis litterarum, quæ ſunt elementa grammaticæ, linguæ, &c. varietas exſurgit dictionum, vocum iisdem literarum elementis poſitis; ita poſitis licet iisdem rerum elementis, puta igne, aqua, terra, aere, ſola compoſitionis varietate, ſeu mixtionis, temperamenti, conſurgere poteſt mixtorum differentia. Nam ſimilitudo in hoc conſiſtit, & analogia, quod ſicut iisdem literis variè diſpoſitis fit varietas dictionum, vocabulorum; ſic iisdem elementis rebus, variè tamen mixtis, & coagmentatis, collocatis, attemperatis, conjunctis, &c. varia genera rerum gignuntur. Si autem in ſimilitudine, aliqua occurrere videtur diſparitas, quia literæ ſunt 24. elementa 4. ne moreris in hoc, nam concurſus varius elementorum quoad latitudinem gradualem concurſus non ſuperari videtur à numero vocabulorum, quæ oriuntur ex varia diſpoſitione 24. literarum.

60. Nec magis præmit, eadem cum ſint elementa in mixto quovis, ſequi ea differre ſecundum magis, & minus; nam plura vocabula ſecundum magis, & minus literarum differunt. 2. ſolum ſequitur principium unum differre ſecundum magis, & minus, prout conſideratur ſeorſim in duobus mixtis; at ſi conſideratur, prout cum reliquis elementis conjunctum, differt ſpecie à ſeipſo eſſentialiter ſumpto, prout cum aliis elementis coagmentato; nam v.g. calidum ut duo, licet differat ſecundum magis, & minus à calido ut tria. attamen calidum ſanguinis differt ſpecie à calido olerum v.g. herbarum, &c. quod patet, nam plures herbæ, quas calidas vulgò dicimus aliquas obeunt operationes; motiones, quas aliæ pariter calidæ non exercent, nec ſunt aptæ exercere. Igitur non provenit à calore, niſi mixto, prout mixto ea mixtionis menſura, quam in geneſi accepit; ergo calidum à calido licet differat ſecundùm perfectionem individualem, nempe intra eamdem ſpeciem calidi, ſeù calorifici ignis, calidum ut duo mixtum differt ſpecie à calido ut tria mixto. Non ſequitur igitur mixta differre ſecundum magis; & minus.

61. Neque huic Maignanus contradicit: Iſte Doctor profectò, non ideò ultra elementa, alia alterius generis corpora docet, quia illa non ſufficiunt. Sed primò, ut abundè ſufficiant. Secundò, quia aliundè multùm conſtat non deeſſe alterius generis principia prima compoſitionis, & ultima reſolutionis præter elementa vulgata; nam quis negabit Cœlorum influentias, quas in noſtra philoſophia ſubſtantiales eſſe, & ſubſtantiales defluxus, ſicuti ſubſtantialis corporeus defluxus eſt lux, in dubium non vertitur. Nec ego nego hujusmodi principia elementis adjuncta, ut conſtat num. *12.* ſed ſolummodò dictum volo adhuc ſufficere poſſe ad phyſicam rerum principiationem quatuor elementa appellata: ſi autem hæc inſufficientia viderentur, adſunt & ſpecificæ aquæ, & ſpecifici ignes, & ſpecificæ terræ; & præterea cœlorum, planetarum, ſiderum effluvia. Abacta procul ergo eſt tota difficultas, præſertim ſi aliorum placitorum inſufficientia attendatur.

62. Hic autem adnoto, atomos Gaſſendi ex Epicuro neque ſufficere ad conſtituendum corpus continuum v. g. aquam palmarem; etſi num. *11.* dicebam reliquendas eſſe atomos pro quantitate continua, non aſſignandas pro primordiis rerum naturalium. Hoc loco loquebar ſumendo atomos, ſeù in hac, ſeù in illa ſententia præciſivè. Nunc verò conſiderans atomos Epicureas, quibus conceduntur partes ad diſcrimen atomorum Maignani, quibus nullæ permittuntur, extenſarum attamen; dico quod etſi atomi Gaſſendi ſint principia rerum generabilium; nequeunt certè eſſe principia quantitatis; nam eadem atomus cum ſit quanta extenſa, ſuas habens dimenſiones, ſuamque figuram: eſt enim corpus minutulum, ſeù corpuſculum, molecula; ſequitur, ſi eſt compoſita ex partibus, has partes eſſe principia componentia quantitatem: Rurſus hæ partes, ex quibus conſtat atomus de ſe plena ſolida, ut aſſeritur, vel ſunt compoſitæ, vel non; ſi primum; ergo non vitatur diviſibilitas in-

finita;

finita; ſi ſecundum; ergo ſunt puncta inextenſa, ex quibus fieri nequit extenſum; ergo neque atomus extenſa figurata, &c. Neque dicas atomum eſſe indiviſibilem; nam non ais eſſe indiviſibilem defectu partium, ſed defectu vacui interni; at ego peto quælibet pars atomi eſt nè compoſita, aut ſimplex per negationem partium? ſi ſimplex; ergo ex inextenſis fit atomus extenſa; ſi compoſita; ergo datur diviſibilitas in infinitum, ſeù datur compoſitio compoſitionis in infinitum, & numerus ſine fine molecularum in una molecula; ergo atomi Gaſſendi ex Epicuro neque ſunt principia extenſionis; cum ipſæmet atomi conſtent ex partibus, de quibus petii an quælibet pars atomi ſit extenſa; nam ſi extenſa, non vitatur diviſibilitas infinita, ſeù compoſitio abſque fine. Si inextenſa; ergo ex inextenſis fit extenſum; ergo, quod dicebam, neque atomi Epicureæ eſſe poſſunt principia quantitatis, cum ipſæ conſtent partibus. Aliundè duo intenſa non faciunt extenſum; ergo neque tria, decem, centum, & neque infinita; ergo non vitatur diviſibilitas abſque fine, ſi moleculæ ſunt compoſitæ; ergo aut puncta inextenſa, aut partes diviſibiles in infinitum ſunt primordia quantitatis.

63. Dicendum eſt igitur atomos eſſe extenſas, & ſimplices, ſcilicet indiviſibiles per negationem partium; de quo vide Maignanum in ſua philoſ. nat. & in appendice 2. ad philoſophiam ſacram.

64. Si alicui id mirum videbitur, cur non in admirationem rapitur advertendo formas animalium perfectorum indiviſibiles corpori coextenſas in opinione Thomiſtarum? Cur adnotando rarefactionem, & condenſationem rigoroſam peripateticam? Cur adnotando ſpirituales ſubſtantias ſimplices extenſas? nam earum à corpore diſcrimen ſitum eſt in penetrabilitate dimenſionum. Item in virtualibus dimenſionibus; atomi verò Maignani ſunt formaliter extenſæ, & formaliter ſecundum ſpatium diviſibiles. Adnoto autem

ego

ego Maignani atomos deſcriptas poſſe variare figuram retentis iiſdem dimenſionibus. Et ulterius ad ipſas recurri poſſe explicaturi philoſophi corporum mollitudinem, & duritiem; ſcilicet ea corpora, quæ mollia dicimus, introrſum in propriis atomis flecti, circumvolui. Ea verò, quæ dura ſunt, non tam facilè atomos variare in ſeipſis figuram, & intorqueri, inflecti, &c. Demùm Carteſiani conſtituunt corpus in extenſione; ſed hoc ſi rectè credi poteſt, intelligi debet de corporibus initiis, non de corporibus compoſitis; ergo initia debent eſſe ſimplicia, & extenſa; extenſa, ut concedunt; initia, aliter daretur initium initii, principium principii; & conſequenter diviſibilitas infinita, quam non concedent, credo, Carteſiani. Non ergo admirentur Ariſtotelici circa atomos ſimplices extenſas, ſed circa diviſibilitatem partium in infinitum.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Senſu, & Vita animali.

1. Animam ſenſitivam quoad munia præcisè vitæ animalis æquè in cane, ac in homine (in iſto ulteriùs eſt divinitùs infuſa rationalis, & intellectiva) non aliundè duci, quàm à ſanguine, cujus præſtantiam antiqui philoſophi Empedocles, & alii cognoverunt, Levitici clarè docemur. Hinc ex phyſicis habeo, animam ſenſitivam in alio non eſſe ſitam, quàm in certis tenuiſſimis ſubſtantiis ex variorum elementorum coalitu conformatis, genitisque; & in particulari loquens, collocandam puto in illis, qui vulgò circumferuntur ſpiritibus vitalibus, atque animalibus. Iſtos, in quovis animali reperiri, eſt certo certius, quibus vigentibus, ut experientia docet, vigent vitæ munia, quibus intercidentibus, intercidunt.

2. Sunt autem riſu excipiendi, qui animam dicunt diſtingui

ſtingui à corpore, & conſequenter non poſſe conſiſtere in dictis ſpiritibus: nam, vel nomine corporis intelligunt corpus organicum, quod conſtare videmus capite, brachiis, oſſibus, nervis, carne, &c. vel intelligunt id, quod eſt materiale, prout opponitur ſpirituali. Si dicant hoc ſecundum, anima canis, & quævis brutorum non diſtinguetur à corpore; ſi verò primum, niſi velint deſipere clarè vident, ſpiritus animales diſtingui à corpore organico; imò ipſi totum corpus organicum vivificant, vita perfundunt, &c. & pereuntibus ipſis ſanguinis halitibus, remanet corpus ſine vigore, & vita.

3. Nec minus vitio laborant, qui volunt, animam ſenſitivam diſtingui adæquatè à corpore organico, eo modo, quo anima intellectiva. Diſpar enim ratio eſt, quia, cum anima rationalis ſit ſpiritualis, immortalis, creata de nihilo ſui adæquato, nequit locum habere quoad ſui eſſe in corpore humano ſecundùm ſe, etiam adæquatè ſumpto; ergo ſuum eſſe eſt diſtinctum à toto corpore; Anima verò ſenſitiva, cum ſit ex genere ſuo generabilis, mortalis, corporea, ſuum eſſe reperire poteſt in eadem materia totius corporis adæquatè ſumpti; putà, pars nobilior, ſeù melior, & formoſior ſanguinis portio, de tota ſanguinis maſſa ſecreta, eſt in eodem organico corpore pro vita, & anima ſenſitiva, ſive animali. Aliundè Peripatetici nunquam probabunt, animam ſenſitivam debere eſſe eductam de corpore, & adæquatè diſtinctam à toto corpore, adhùc, prout includente ſpiritus vitales, & animales.

4. Fortaſsè ex eo quod iſti ſpiritus non ſint capaces ſentiendi, & operandi vitaliter. Hoc tamen falſum eſt, ſi attendatur quid ſit ſentire, ut art. 1. num. 27. breviter à me dictum eſt circa ſenſitivi principii phyſicam quidditatem: hic autem aſſero, immeritò vocari ſpiritus animales ſi capaces non ſunt ſenſationis. Quòd, ſi dicas, eſſe inſtrumentum ſenſationis, quare non dicis muſculum ſenſitivum, nervum

ſen-

Digitized by Google

ſenſitivum; cum hæc quoque ſint inſtrumenta ſentiendi. Secundò nos experimur motum progreſſivum, qui dicitur animalis, nonniſi ſpirituum vi peragi, per ductus nervorum; itaut, ſi deficiant, aut remittantur, deficit etiam, aut remittitur motus, quem nonniſi effectivè, putà, per impulſum retractionem, contractionem efficit; ergo, ſicuti efficienter influit in motum progreſſivum, cur dubitas in motum ſenſationum?

5. Dices: motus progreſſivus latio eſt, ſeu motus de loco in locum; at ſenſatio non eſt motus localis: ſed de hoc infra, dicam enim, ſenſationem motum localem eſſe in ſpiritibus; nec aliud eſt diſcrimen, quod ſenſatio eſt commotio interna, interiùs facta in ſubſtantia tenuiſſima; motus verò progreſſivus eſt motus exterior membrorum, oris, brachiorum, pedum, linguæ. Motus pedum, &c. eſt actio tranſiens; ſenſatio eſt actio immanens. Item dico, motum progreſſivum eſſe motum animalem, cognitione directum, atque imperatum; ergo iidem ſpiritus, qui muſculos trahunt, qui nervos implent, qui organa membra depellunt, movent, &c. ſentiunt, cognoſcunt, & ex ſenſatione objecti viam arripiunt conformem, & reſpondentem conſecutioni objecti, vel fugæ ab ipſo.

6. Quæret aliquis: ſi ſenſatio eſt motio localis, quomodò erit actio immanens? At majorem difficultatem, quinimmò abſolutè habet, qui ſic à me petit; nam per ipſum Peripateticum, ſi immanentia, quæ vitam definit, explicatur per hoc, quod actus in eodem recipiatur, à quo producitur, quomodò non erit principium vitale ignis, producens calorem in ſeipſo, imò corpora omnia, dum moventur producunt motum, & ubicationem, quæ pariter recipiunt. Ego autem ſecundum voces retinens eamdem definitionem immanentiæ, alio intellecto ſignificato, difficultatem non ſentio: cum enim actio immanens ſit manens in eodem principio, à quo eſt, cumque omnis actio corporea ſit motus localis;

calis; ille motus localis dicitur immanens, cujus terminus à quo, & terminus ad quem, eſt intra ipſum operans; ergo, quia operans in præſenti eſt animal, canis, &c. ſit v. g. manus, oculus, auris,&c. optimè dicimus, oculum operari immanenter, dum videt, aurem, dum audit, manum, dum tangit, eo quia tota operatio incipit in oculo, manu, &c.& intra oculum,&c. finit; eſt ergo ſenſatio localis commotio,de qua inferiùs, & immanens operatio.

7. Dubitatio quædam ſuboriri poteſt, hoc poſito philoſophandi modo, ſcilicet, ſi ita explicanda foret ſenſuum natura, & vis phyſica, ſpiritibus animalibus, extra corpus poſitis, & invariatis ſecundùm ſe,atque ſecundùm vim operativam, petitur, an ſentirent, an perciperent objecta ſua? At, ſi per animam, veluti per formam ſubſtantialem, noviter productam ex corpore organico, exprimenda foret vis, & natura ſenſitivi principii, & conſequenter ejus operationes eſſent actus producti ab eadem anima, & in ipſa recepti more peripatetico; peto, ſi divinitùs anima equi ſeparabitur à corpore (quod fieri poſſe minimè negabunt ariſtotelici) ipſa ſentiet, vitaliter operabitur? Quomodo reſpondebunt ipſi, putent quoque, à me reſponderi poſſe, imò à fortiori; cum enim tota vita,& ſenſus æconomia per mechanica principia explicata ſit à recentioribus, præſertim ab Illuſtri viro P. Maignano,qui mirum in modum cum ſubſtantiali gradu vitæ felici cōnubio viventis machinā copulavit; & ita ſpiritus in machina conſtituerit, ut ab iiſdem minimè veram vim, & verū gradum vitæ corporalis relegarit, quod non fecit Cartheſius; quam materiam, ſi Deo placuerit vitam producere fuſo commentario pertractare conabor; mirum non eſt, ſpiritns viſivos,ab oculo ſeparatos viſuros non fore; deficit enim organum neceſſarium ad videndum,ſicuti manus non ſcribit ſine calamo, aquam è puteo non trahit ſine vaſe. Quod, ſi velis adhùc aliquam facere ſenſationem ſpiritus,etſi à corpore avulſos,non negabo;nam etiam ſpiri-

I tus

Digitized by Google

tus magnetis aliquam habent ſenſationem, quam D. Maignanus rudimentariam vocat, dum ferrum trahit, quam tractionem dicimus ſimpathicam, ſimpathia intellecta, prout à Maignan defenditur, longè aliter ac peripatetica ſchola docet. Sicuti ergo facilè concipitur, non poſſe formaliter ſpiritum animalem ſine lingua loqui, ſine pedibus progredi, ſine muſculis quoſdam facere motus; ſic quoque judicare licet abſque ulla mentis difficultate, nonniſi per organa fuſum eſſe aptum in exercitio ſentire, putà, videre, audire, &c.

8. Non eſt igitur, quod huic ſententiæ de anima ſenſitiva quoad ſubſtantiam refragetur: id enim, quod, veluti abſurdum inferunt quidam pro ſchola Peripatetica Apologiſtæ, ſequi duas eſſe in homine animas, putà animalem ſenſitivam, & animam rationalem intellectivam, divinæ viſionis capacem; id equidem, non adhùc abſurdum eſſe probarunt, nec probabunt. Abſurdum quippè non eſt cum apto corpore animam rationalem conjungi, nam ex parte animæ, ut informet, utque operetur, certa quædam requiritur in corpore diſpoſitio, nam conſtituit hominem cum corpore, ſcilicet, animal rationale; ergo ſupponitur corpus organicum, debitè organis, & ſpiritibus inſtructum; ergo hoc ipſo duæ ſunt animæ in homine, una intellectiva deſurſum creata, alia animalis, ſeù ſenſitiva genita; probatur conſequentia, animæ rationali corpus informatum reſpondens, conſtat inter alia ſpiritibus, & ſanguine; at in hoc ſitam dicimus vitam animalem: ergo, qui corpus non negat, animam ſenſitivam, diſtinctam ab anima rationali negare non poterit, niſi priùs probaverit falſam eſſe minorem, quod durum puto.

9. Vel forſitan abſurdum colligent, quod in Chriſto fuiſſet duplex anima, ſenſitiva, & rationalis; & per abſceſſum animæ rationalis in triduo remanſiſſet corpus vivum contra Sacram Scripturam, qua habetur, corpus fuiſſe verè mortuum,

tuum, vel, ſi anima ſenſitiva deſtructa fuit, falſum eſt dictum theologicum: quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit, nam anima ſenſitiva fuiſſet dimiſſa, quia jam deſtructa ſupponitur. At nolens ego tempus terere in aſſignanda reſponſione in quavis philoſophiæ ſuppoſitione, dicam juxtà fundamenta Maignaniſticæ phyſicæ, argumentum peccare in concludendo; concludit enim, quod, ſi corpus fuiſſet verè mortuum, & deſtructa anima ſenſitiva, dimiſiſſet, quod aſſumpſerat; ſed debuiſſet prius probare, animam ſenſitivam diſtingui à corpore organico, adæquatè ſumpto; ſi ergo corpus non fuit dimiſſum à Verbo, nihil eſt, quod priùs aſſumptum in triduo fuerit dimiſſum; & ut clariùs dicam, ſanguis, & cum eo ſpiritus, licèt à corpore Chriſti fuerit ſeparatus, ſicque hoc mortuum fuerit, tamen non fuit à Verbo dimiſſus: Sanguis verò alia potiebatur diſpoſitione extra corpus, ac intra, & conſequenter habemus animam ſenſitivam corruptam.

10. Ex occaſione hic dicam, quod pluribus amicis communicare quandoque mihi licuit, etſi adverſantibus, ſed non benè eorum pace, ſtantibus philoſophiæ prædictæ principiis, quæ in commune ſectabamur. Suppoſitione facta duarū animarum modo prædicto in homine; non ſolùm abſurdum haud eſt, ſed neceſſariò dicendum, quod, nempè, ſi anima rationalis ſepararetur à corpore divinitùs, adhuc homo remaneret vivus, etſi non homo, omniaque facere valeret, ſecluſis operationibus, quas gerere animæ rationalis eſt, quæ priùs faciebat: Etſi profectò ordinario naturæ curſu, dum corpus humanum vita potitur ſenſitiva, anima etiam informatur intellectiva; & dum intellectiva abſcedit, perit, imò in ſigno naturæ periit vita ſenſitiva, tamen divina poteſtate curſui præſentaneo non ſubdita, fieri poteſt, ut anima rationalis à corpore humano ſeparetur, imò annihiletur, cæteris omninò ſalvis, & illibatis. Hoc poſito, in quo nulla nec vel minimum eſt repugnantia, corpus potiretur vita ſenſitiva

eo prorſus modo, quo v.g. canis progredi poſſet, ambulare, bibere, comedere, vocem proferre, dormire, videre, tangere, imaginare, uno verbo, cuncta, quæ conveniunt bruto ſalvo aliquo diſcrimine pendente à conſtitutione organica corporis humani, ex quo differret à cæteris animalibus, & belluis.

11. Fuit aliquis, qui à me peteret, quomodo vocaretur illud brutum in tali caſu; ſed memini, me reſpondiſſe non eſſe ſollicitum de vocabulo conferendo, nec enim v.g. quia non poſſem ultimam differentiam cognoſcere, ideò de veritate dubitare, aut ſuſpicari liceret; Plurima ſunt in mundo, quæ etſi pro certo teneamus, adhùc differentias metaphyſicas non poſſumus aſſequi. Et, ut aliquid dicam circa hoc, ſicuti canis ob latratum dicimus differre ab equo hinniente, ſic homo ille aliquas ederet operationes, ob peculiaria organa, quibus differret à reliquis animalibus: Itaque anima illa eſſet ſpecie diverſa, ſicut diverſum animal; licèt iſta diverſitas non attendatur, nec nobis eſt conſpicua, dum anima rationali corpus illud actuatur.

12. Supradictam autem ſeparationem non repugnare clarè conſtat: Duorum, quorum unum non eſt aliud, adde nec eſſentialiter conjunctorum, poteſt ſine alio eſſe, nam exiſtentia, & eſſentia duorum non ſpectat ad exiſtentiam, & eſſentiam unius, ſeù alterutrius; ſed anima rationalis longè diſtinguitur, & diſtat à toto corpore, nec quod anima ſit alligata corpori, neceſſe eſt, nam, dum corpus fuit benè diſpoſitum, atque abſolutum, ut anima rationali informetur, liberum fuit Deo ipſam producere libertate antecedente, quia non neceſſitate produxit; ergo clarum eſt, Deum poſſe avellere, imò, ſi vult, deſtruere animam illæſo corpore, & ſalvis omnibus ex parte corporis, adæquatè accepti; ergo clarum eſt, poſſe adhuc vivere corpus, etſi abſcedat anima rationalis.

13. Et, ut à fortiori contra ariſtotelicos concludam: Si mo-

modi, quorum eſſentia per ipſos eſt modificare ſubjectum, poſſunt ſeparari, ſaltem per deſtructionem à ſubjecto, cur non poterit anima à corpore, cujus non eſt modus? Quis enim audebit dicere, animam eſſe entitatem diminutam modalem: Si ergo, ſalvo ſubjecto, deſtruuntur modi, cur non poterit ſalvo corpore ſecundum omne id, quo corpus humanum cum brutis communicat, ſeparari, ſeù ſeparata exiſtere, aut etiam deſtrui anima rationalis. Negari ergo non poteſt, facta ſuppoſitione duarum animarum in homine, poſſe unam, puta, rationalem, ſeparari ab alia, nempè ſenſitiva remanente, vi cujus viveret, ſicut vivunt animalia cætera.

ARTICULUS TERTIUS.

De Senſu quid ſit, quo modo, & progreſſu fiat; & quo pacto exercetur appetitio, & corporis motus progreſſivus.

1. IN quovis animali ex parte corporis adminiſtri, ſupponendum eſt ex anatome plurima eſſe organa, ipſumque corpus innumeris inſtructum eſſe à natura machinulis, inſtrumentisve, ad viventis in ſpecie operationes obeundas, & ad exercenda vitæ munera; eſſe nempè nervos, fibras, muſculos, tendones, ligamenta, oſſa, oſſiumque artus, aliosque multiplicis generis, & ſtructuræ tubulos, thecas, valvulas, reſeramenta, occludentia, &c. quæ omnia conſenſum habent cum cerebro, & coordinationem, quod profectò nil aliud eſt, quàm congeries filamentorum mollium flexilium, atque ſubtilium. Paucis, omnes nervos, & omnia filamenta nervorum communionem habere, cum prima nervorum origine, ſcilicet cerebro, & cerebri parte illa, dicta conarium, ſeù glandula pinealis, cujus nobiliſſimum uſum; ex uſu enim, partium noſtri corporis nobilitas, medicorum ſchola, & anathomicorum fatetur. Muſculi,

ſculi, à natura ob motum deſtinati, componuntur ex carne fibroſa facili dilatatu, atque compreſſu, & ex nervi ramulis, atque filamentis, certa diſpoſitione in carne intricatis, atque inſertis.

2. Iſthæc inſtrumenta, & organa pro anima aptata, ſpiritibus eſſe inſtructa animalibus, qui locum animæ ſenſitivæ tenent, etiam in homine, & confertim à cerebro effluentibus, ex dictis notum eſt: ſic nimirùm excurrentes, & cum cerebro communicantes, vitam animalis tenſam conſtituunt.

3. His præmiſſis, non aliter putandum eſt fieri ſenſationem, quàm motu ſpirituum; licèt ſine dubio ſentire ſit quoddam agere; hoc tamen agere eſt localiter moveri ſubſtantiæ ſpirituoſæ in nervulis contentæ; cum ergo ignis v. g. applicatur manui, ſpiritus animales in nervo contentos agitat, & percellit; indè pari motu, & conſimili numero oportet eoſdem ſpiritus moveri, & in hoc conſiſtit ſenſus caloris. Quo autem progreſſu id fiat, ut illicò ad cerebrum omnes ſenſationes externæ commeent, & propagentur; mirum non eſt, ſi attendamus continuitatem, aut contiguitatem ſpiritus animalis, per totum nervum diffuſi: hoc enim poſito non poteſt una pars nervi commoveri, & conſequenter ſpiritus in eo incluſi, quin per conſenſum in contiguitate ex affluxu fundatum, momento ad cerebrum illa commotio deferatur per nervum, & ſpiritus animales in toto nervo extenſos, & invicem contiguos. Si ad motum cordis eodem momento, ſaltem ſenſibili, pulſant arteriæ in omne corpus, cur alicui erit difficile, ſpiritum animalem in toto capillamento nervi moveri ad cerebrum uſque, dum in aliqua parte ab objecto agitari contingit.

4. Aliqui moderni cogitarunt, id totum explicari per hoc, quod, dum movetur aliqua pars nervi, illicò totus movetur nervus, & conſequenter prima origo nervorum afficitur, & eorum initia concutiuntur ſimul. Et ad hoc inſinuan-

nuandum recurrunt ad continuam filamentorum noſtrorum nervorum inflationem, medio ſpiritu influente, qui ea tenſa teneat. Sed hoc mihi ineptum videtur, ſi conſideremus, partes illas corporis, ad quas filamenta protenduntur, eſſe innumeris modis inflexas, varios ſubire ſitus, & diſpoſitiones, ratione quorum omnium, tenſio tanta, quanta prætenditur in nervis, ſubſtineri non poteſt. Secundò non ſemper tanta eſt copia ſpirituum, ut efficiant optatam tenſionem. Tertiò non ſemper eſt aptitudo talis, qua ſpiritibus permittatur ly tendere per inflationem, &c. Quartò accomodatior eſt modus, à nobis aſſignatus.

5. Monitum tamen Lectorem volo, non ſufficere ad ſenſum excitandum caloris v. g. quod ſpiritus moveantur à particulis calorificis merè paſſivè; ſed oportet moveri ſimpaticè activè, quaſi avida ex genio motionis ſuſceptione, ſeù expreſſiùs, ſenſatio in hoc ſita eſt, quod ſpiritus animales ex intrinſecis ſuis conferendo ſuſcipere habent, & in facto ſuſcipiunt objecti ſenſibilis motum; nam vivere certè eſt quoddã agere, ſupponens pati ab objecto; ſentire eſt quoddam vivere; igitur debet eſſe quoddam agere. Relinquo hanc materiam videndam apud P. Maignanum, qui mira methodo exemplo organi muſici pneumatici totam corporis ſenſitivi æconomiam explicat fusè.

6. Solùm dico, appetitum ſenſitivum eſſe quamdam ſpirituum animalium agitationem in principali organorum origine, qua corporis nervi ad apertionem, vel clauſionem ſollicitantur; & quidem vel ad aliquid proſequendum, vel declinandum. Siquidem, dum excitatur notitia in ſenſu interno de aliquo objecto ſenſibili; tunc vel ſpiritus ægrè ferunt objectum illud, vel, tanquam jucundum, & blandum percipiunt. Quovis modo dicas, ſtatim feruntur ad illud, vel proſequendum, vel fugiendum, facta illa nervorum, & tubulorum commotione correſpondente proſecutioni, vel fugæ. Si enim percipit aliquid venereum, oblectans, & jucun-

cun-

cundum, ſtatim ſpiritus animales per nervorum tubulos, & thecas eam partem aggrediuntur, quæ ad id proſequendum eſt à natura aptata: undè jam conſtat, non ſolùm beneficio organorum, ſed etiam ſpirituum ob peculiarem conditionem haberi, quod nunc ad iram, nunc ad melancholiam, nunc ad libidinem excitemur ex parte corporis, & appetitus ſenſitivi.

7. Ratio hujus à priori eſt, quia duplex munus eſt ſpeciei impreſſæ, putà repræſentare per ſeipſam, virtualiter in ſenſu interno objectum, & allicere ad ipſum amplexandum: indè adamuſſim duplex debet reſpondere munus ex parte ſenſus interni, putà, exprimere, percipere, ſeù cognoſcere objectum. Item ſimul inclinari in ipſum, determinatione inducta ſubjecto per affectivam vitalem propenſionem, ſeù per inclinativum affectum; quo ſtante illi ſpiritus fortiùs, & vividiùs moventur, & ad apeitionem tubulorum ſollicitantur, qui ſunt conformes objecto, aut amplexando, aut fugiendo; & pariter illæ tubulorum valvulæ adaperiuntur, quæ ad fugiendum v.g. ſunt accommodatæ, & hujus membri, & non illius: influente profectò ſpiritu ex directione interna animalis, inflantur muſculi, & attolluntur e.g. tendones, ſicque oſſa, quibus tendones ſunt inſerti, & alligati, concurrentibus etiam oſſium artubus, & commiſſuris, hac, vel illa lege efformatis; & hinc conſtat motus progreſſivus.

Pro qualitate, & diverſitate paſſionum animæ varii ſollicitantur ſpiritus, & per varia organa, ad diverſas corporis partes pertinentes: alia enim organa, aliaque membra movet ira, alia triſtitia, &c. Quid verò ſint paſſiones animæ, ſeù affectus, dicam articulo ſequenti.

AR-

ARTICULUS QVARTUS.

Breviter deſcribuntur paſſiones Animi.

1. ANimi paſſiones, ſeù animi affectus plures recenſentur à Philoſophis, ac Theologis, & in ſpecie, Amor, deſiderium, ſpes, deſperatio, audacia, gaudium, metus, odium, fuga, triſtitia, ira; & D.Thomas *1.2.* qu.23. art.4. quinque facit conjugationes paſſionum; in concupiſcibili tres, in iraſcibili duas; in primo amorem, & odium, deſiderium, & fugam; gaudium, & triſtitiam: In ſecundo ſpem, & deſperationem, timorem, & audaciam, pariterque iram, quæ ſola eſt, cum non habeat animæ motum contrarium: ſed ſolam ceſſationem motus, & putat eſſe effectum triſtitiæ cum appetitu vindictæ.

2. Et, ut aliquid dicere incipiam ab ira, quæ eſt appetitus vindictæ propter malum, quod patitur, quærens repellere in authorem, dico meritò eſſe effectum triſtitiæ, præſertim à conſtitutione viventis ortæ. Qui enim mentis ægritudine laborant, facillimè iræ experiuntur obnoxii; & ratio naturalis ducitur eo quia, qui ſpiritu triſti torquentur, ſimilique paſſione laborant, ſunt ob idipſum diſpoſiti, ut ſpecies imaginativæ facilè ſuſcitentur, evolvanturque propter ſpiritus animales, tali morbo infectos; hinc eſt, ut, quaſi reflectentes evolvendis cogitationibus operam dare videntur, huicque occupationi torpido motu incumbunt: dum autem à tali occupatione impediuntur ab illis cogitationibus diverſi, malum ſentiunt, triſtanturque, quærentes repellere, quod eis diverſionem cauſaverit. In contrarium verò videtur, quod, cum triſtes homines multiloqui non ſint, ſed potiùs ſilentia ament, graves caperatæ frontis, cur ſtatim exardeſcant, contra quod expectabatur, mirum eſt? Id autem dicimus eſſe effectum triſtitiæ congeneæ, cum ſit

quandoque actualis, undecunque provenientis; ergo à fortiori habitualis, quæ eſt deplorandus hominis cruciatus. Melancholia ergo affecti, ſpiritibus ſunt inſtructi animalibus, ex tali ſanguinis geneſi promanantibus, quorum conditio eſt, veluti ſurdo motu nervos excurrere, cerebrumque ita inficere, ut ſenſationes internæ eorum ope, quaſi perpetuò de objectis obvolvantur, in eisque imaginandis torpeſcant, & talem laxationem muſculorum efficiant, ut triſtis ſpeciem exhibeant: quia ergo, occupatione impediti, quaſi à ſtatu naturali dimoventur, ſicque ſpiritus animales commotionem patiuntur diſconvenientem, ad quam fugandam, ejusque authorem, iraſcuntur, pro varietate impetus ſpirituum, aut vaſorum promptitudinis ad eorum excurſum.

3. Hinc eodem prorſus modo, ſcilicet, vaſorum contractione, retractione, laxatione, compreſſione explicantur diſpoſitiones corporis, nempè, irati, ſævi, gravis, difficilis, amari, &c. Ariſtoteles putavit, melancholia laborantes, ingenio pollere, quod legens Cicero, dicebat, tardiore ingenio eſſe malle, & ab hoc humoris genere longiùs abeſſe: certè eſt tanta paſſionum vis ægritudinis præſertim, quæ niſi valida ratione moderetur, plures exindè conſequuntur effectus, vigiliæ, laxitudo, morbi, &c. quis ergo, qui nolit opinioni Ciceronis ſe ſubſcribere? Absque dubio peccati originalis pœnas maximè deplorant in proprio animo juxtà illud Poetæ, iſtorum ſtatum exprimentis.

Anxius, & niger eſt, timet omnia triſtia, dormit
Et violentus atro manat ab ore furor
Inſomnesque agitat violento examine curas.
Mole ſua bilis, quem nimis atra premit.

4. Quod autem ingenio polleant, ſi rationem quæras, hac mihi dictum Ariſtotelis ſuaſum videtur, ſcilicet iſtius generis homines, dum objectum aliquod difficile ſibi repræſentant, ſtatim ſociatur admiratio, quatenus, quod durum, & difficile occurrit, aptum eſt in admirationem rapere; hinc

eſt

eſt, ut triſtitia admirationi conjuncta animum evellat, atque ſpiritibus animalibus reflexionem, & vim adaugeat, ut malum illud repellat, ut objectum illud, ut ſuppoſui, perſcrutetur, &c. nemo enim negabit, plurium ſpirituum animalium copiam pro efformanda imagine objecti difficilis, utilem eſſe ad majus, intenſiusque ſtudium.

5. Si autem quæras, cur, dum prædicta paſſio inſurgit, illicò vires corporis langueſcunt, frontis ſerenitas perit, pluraque indicia in vultu manifeſtantur. Scias corpori mæſtitia inſurgente affecto, parcam ſpirituum generationem contingere, ventriculorum cordis conſtrictionem; ſanguinis motum cohiberi, & conſequenter quodammodo refrigeſcere; ſed ſpecialioribus verbis, magisque concretis ſcire oportet ex anatome, dum in phantaſia ægritudinis notio excitatur, diffundi per nervum, ad cor protenſum, quem vocant coronarium, ſpiritus quosdam, quorum ope perſtringens cor ipſum, ejusque cavitates occludens, impedimento eſt copioſioris ſanguinis introitui; hinc eſt, quod prætacti effectus ſequantur; & ſat ſit ex occaſione pro triſtitia, quæ definitur: *dolor de aliquo malo præſenti.*

6. Ira itaque eſt appetitus vindictæ, quærens repellere malum in authorem, quod, ſi non poſſit, ſupra iram additur indignatio. Audacia eſt boni ardui, ſed poſſibilis obtentu. Metus eſt boni amiſſibilis. Deſperatio eſt boni impoſſibilis obtentu. Spes eſt boni obtinendi, ut quodammodo ardui. Triſtitia, ut dictum eſt, eſt dolor de aliquo malo præſenti; gaudium eſt boni præſentis. Fuga eſt odium mali abſentis. Deſiderium eſt boni abſentis. Odium eſt averſio à malo ſecundùm ſe. Amor eſt boni ſecundùm ſe. An poſſit dari amor ſine deſiderio, certum eſt; amor enim præſcindit à deſiderio, ſpe, & deſperatione, quia eſſe poteſt amor cum ſpe, & ſine ſpe, cum deſiderio, & abſque deſiderio: non tamen eſſe poteſt deſiderium ſine amore; hic quippè eſt origo omnium paſſionum, & ſumptus ſpecificè, eſt una paſſio primaria, &

K 2 prin-

principium cæterarum; ſumptus verò genericè, contrahitur ad deſiderium, ſpem, deſperationem,&c. quatenus omnes iſti actus ſunt quidam amores, ſumpto amore generaliter, & in ſuppoſitione latiſſima ſecundùm ſuam prædicationem; prout verò dicimus,atque numeramus pro una paſſione amorem, pro alia deſiderium; tunc ſumitur amor,ſpecificè retento hoc vocabulo amoris, nam, ut dictum eſt mox, poteſt aliquod objectum amari ſecundùm ſe, ut bonum, ut gratum,& non deſiderari, ideſt non ordinari ad fruitionem, ſive ad poſſeſſionem,ac conſecutionem per gaudium;hicque amor non eſt cupidus. Iſtam cupiditatem ſeparari ab amore, ſpecificè uſurpato, tunc conſtat, dum amamus aliquem propter bonum, quod nobis indè reſultat, & tunc dicitur amor, cupiditati commixtus; ſi verò bonum nobis indè derivare ceſſaret, adhuc amantes, tunc eſt amor ſpecificè acceptus.

7. Dubitabis: dictum èſt, quod nequit eſſe deſiderium ſine amore, licèt poſſit eſſe amor ſine deſiderio; ſed dicitur, quod Amor eſt una paſſio diſtincta ab aliis; ergo poteſt eſſe deſiderium ſine amore. Sed ſolvitur dubitatio, deſiderium non poſſe eſſe ſine amore, generaliter ſumpto, poſſe autem ſine amore ſpecificè ſumpto, & ſubdiſtinguo, abſque contractione ejus, itaut non ſit deſiderium, conſtitutum per contractionem amoris, ſpecificè accepti, concedo;ſic quippè una ſpecies contraheretur per aliam,quod eſt abſurdum; abſque præſuppoſitione amoris, ſpecificè ſumpti, nego,nam ad amorem ſequitur deſiderium, nec nos ſumus cupidi alicujus niſi amati, atque nobis deſiderantibus grati.

8. Omnes, & ſingulæ recenſitæ paſſiones ſuos habent motus, & effectus peculiares, qui exercentur, aut à peculiaribus ſpiritibus, aut à peculiaribus nervorum tubulis, & fiſtulis, aut ab utriſque ſimul. Qui ex amore cupidus fit alicujus objecti, ſtatim ex hac cupiditatis paſſione ſpiritus vitales animales ea membra, eaſque corporis partes aggrediun-

diuntur, quarum vis, conſtitutio, & conformatio habilis eſt ad hujus paſſionis vim exequendam. Cum iraſcitur eò diriguntur ſpiritus, ubi opus eſt dirigi, ut hoſtem v. g. terreat, comminetur, inſequatur, &c. dum impudica cupiditate torquetur, tunc quidem ſpiritus, rationi rebelles, eam ſuffocant, niſi ſit iſta maximè vigil, & aſſiduas teneat excubias; aliter eas excurrunt thecas pro iis movendis membris, quæ ſunt veneri deputata. Utinam perduraſſet felix innocentiæ ſtatus, ratione cujus D. Auguſtinus de pecc. orig. contra Pelag. & Cæleſt. lib. 2. cap. 35. ſic ſcriptum reliquit: *ſi autem peccato non fuiſſet deboneſtata natura, abſit, ut opinemur, tales futuras fuiſſe nuptias in Paradiſo, ut in eis ad prolem ſeminandam non natura voluntatis, ſicut pes ad ambulandum, lingua ad loquendum .... Sed æſtu libidinis membra genitalia moverentur:* his poſitis, quæ raptim dixi.

Explicatur diſcurſu quomodo fomes peccati non fuerit in Adam, nec inordinatæ paſſiones.

9. MIrum videbitur alicui, quod eo tunc, ut inquit S. Auguſtinus, non æſtu libidinis, ſed natura voluntatis generationis membra, quæ, ut alibi docet, pudenda non erant, ſed opera Dei laudanda, ad prolem ſeminandam movebantur, ſicuti nunc movetur pes ad ambulandum, manus ad ſcribendum, lingua ad loquendum, & idem dico de aliis ſimilibus.

10. Ad omnem autem difficultatem removendam, in memoriam opus eſt revocare, quæ ſunt à nobis præmiſſa, & interim adnotare nunc, non obſtante carnis concupiſcentia plurimos in nobis eſſe motus, qui non renuunt rationis imperium, v. g. non ita ſubiicimur nutritivæ potentiæ, ut inordinatos gulæ motus compeſcere non poſſimus; ſicuti ergo nunc non ita gula premimur, ut rationis imperium, & dominium renuat; non mirum in illo beato ſtatu motus vene-

ris

ris rationis, & voluntatis dominio ſubiici. Item habemus nunc vim applicandi intellectum ad cogitandum hoc, aut illud, & eum ab hac, aut illa cogitatione removendi; igitur quid mirum, ſi nobis volentibus ex imperio tranquillæ charitatis illo felici tempore potentia generandi applicabatur; & ne à D. Auguſtini exemplo diſcedamus, manus ad ſcribendum, lingua ad loquendum, rationis nutui ſubditur, etiam nunc poſt originale. (Etſi quandoque repentino caſu quodam poſſint citra voluntatem, & libertatem moveri) mirum ergo non eſſe debet eo tunc, dum vigebat potentiarum concordia, generationis organum non moveri ſine voluntate movendi; quippè, ſi nunc pes ordinariè nobis volentibus movetur, quandoque, vel leviter citra noſtram omnem voluntatem, nemini difficultas eſſe debet ad credendum, tunc membra generationis ſemper prævia libertate movenda fore, ſicuti è contra nunc ſine voluntatis imperio ex peccato originali.

11. In hoc autem puto recurrendum eſſe ad organorum vitium, humorum, & ſpirituum, atque iſtis, deperdito illo gratuito dono, attribuendum eſſe majorem æſtum, ac ex propria conditione ferventiorem perturbationem: Cum igitur hic æſtus concitatior ex ſpirituum, & humorum affluxu pendeat, colligi poteſt generationi ſervientium organorum, inordinatum motum minimè rationi ſubditum, ejusque juſſa detrectantem, ab affluentia humorum pendere, cujus retardandæ, aut imminuendæ poteſtas nobis non ineſt poſt originale peccatum vitio, ut dixi, nedum humorum, ſed etiam adde organorum, quæ dicto affluxui conſentiunt, ejusque directioni. Pro exemplo ſuſcipere non diſpliceat, Lector, quod evenit in ludicris fontibus, in quibus aquarum fluentia jacula per artem beneficio tubulorum, & clavium ordinatim diſtribuuntur; ſi verò claves infringuntur, aut fiſtulæ, & tubuli interiori aquarum preſſione vitiantur, ſtatim ſpecioſus ille aquarum jactus deſinit, &

tumul-

tumultuariò profluit. Veneris organa ergo infracta fuerunt per peccatum originale; nam juſtitiæ dono deperdito originalis, humores, & ſpiritus venerei ſine lege, & menſura in ſuis conceptaculis affluxerunt, ideoque remanſit humor ille ultra modum effervefcens. Vel tandem, quia potentia generandi, ejusque organa omnium graduum entis ſit inſima, quippe quæ gradum vegetativum, qui plantis convenit, ſequitur; indè fit, ut non ſit tam obſequens appetitui rationis, ſed veluti ſit opus naturæ non ſenſus, ſeù ſequens naturalem directionem non voluntariam appetitivam, arbitrariam, ſicuti motus pulmonum, qui eſt partim voluntarius, partim naturalis. In ſtatu cæterùm beatitudinis naturalis per donum mirabilis juſtitiæ ſic erat homo conſtitutus, ut etiam motus organorum potentiæ generativæ ſubderentur voluntariæ directioni, &, quod nunc eſt opus ſolius naturæ, & ut minimum, rationis, & arbitrii, tunc erat opus ſolius voluntatis, ſeù arbitrariæ directionis, ut loquitur D. Auguſtinus.

12. His obiter dictis, ſi præmiſſa in memoriam firmiter ſubeunt, omnis removebitur, tùm in dicto Auguſtini, tùm univerſaliter circa fomitis avulſionem in Adam ante peccatum, difficultas; quod, ut clarè explicem, quæ conveniunt naturæ, præſcindendo ab integra, & lapſa videnda ſunt.

13. Homo, cum ſit ſenſu, & ratione præditus, operatur, & modo brutorum, & modo ſuo peculiari intelligentiarum, ſcilicet, prout ſenſus habet ferri in objectum ſenſibile, & prout ratio in objectum intelligibile; nec poteſt imaginatio aliquid percipere, quin redundet ſpecies in intellectum, nec intellectus concipere, quin moveantur ſpiritus animales in imaginativa; dum autem ex ſenſu in intellectum redundat ſpecies ſenſibilis, patitur voluntas, quia motu objecti ſenſibilis prævenitur, hæcque præventio ſecum affert corporis commotionem aliquam. Ratio eſt in promptu, quia, motis

ſpi-

ſpiritibus animalibus in phantaſia vi ſpeciei impreſsæ, ſtatim implentur nervi, & muſculi eorum effuſione, ex impetu inclinationis, etiamque commoventur humores; undè eſt, quod videamus plures paſſionis effectus, pallorem, ruborem, &c. ſecundum quod eſt aut varia paſſio, aut varia ex paſſione commotio, nam humorum, & ſanguinis inſolita ſuffuſione, cutis, parſque corporis exterior alium induit particularum ſitum, aliamque texturam; indè varia reflexio lucis, variuſque color. Id eſt commune homini abſtrahendo à ſuis ſtatibus, ſeù convenit homini, quatenus prædito ſenſu, & ratione: Nunc autem videndum eſt quid habuerit in ſtatu Innocentiæ. Status innocentiæ talis eſt, quo non habet homo nec ſibi, nec aliis nocere; ad id autem explicãdum ad Maignanum confugio, cum quo puto, duo requiri. Primum eſt fuiſſe ita comparatam organicam facultatem appetitivam corpoream ſecundum ſua intrinſeca, ut ex parte ejus nullus fuerit inſultus, nullus tumultus, nulla rebellio; ſecundum eſt Adæ intellectum fuiſſe ſemper vigilem, & continuis excubiis, à Deo ſubminiſtratis fræctum.

14. Quoad primum ſupponendum eſt, ſpiritus animales, ex quibus compacta eſt anima ſenſitiva, componi, & coaleſcere ex plurium generum ſpiritibus. Secundò de facto non ineſſe idem temperamentum humorum, & ſpirituum in diverſis hominibus; alii enim ſunt iracundi; alii mites; alii voraces; alii laſcivi; alii caſti, & ſobrii; pro quo hic confundo temperamentum cum complexione, nam etiam plures philoſophi, docent hæc duo vocabula non diſtingui, ſed idem importare, etſi uſus obtinuerit majorum complexionem ſumi per ordinem ad animantes, & quatuor humores corporis, præſertim humani; eo magis quia, ſeù temperamentum, & complexio ſint idem, ſeù diſtingu antur parùm refert. Tertiò iracundos eſſe, quia in eo dominantur ſpiritus calidi v.g. alios eſſe triſtes, quia dominantur ſpiritus melancholici. Imò diverſis temporibus diverſa eſt

paſſio

paſſio, prout ex cibariis, poculentis, aut aliter regnant, & vigent hi, aut illi ſpiritus, & humores: ergo ad auferenda penitus incentiva paſſionum, requiritur, quod omne prædominium tollatur; hoc enim ablato, æquè omnes rationis imperio ſubditi erunt, cum non ſit major ratio, cur iſti potiùs, quàm alii moveantur, ſecluſo rationis imperio.

15. Sic certè factum fuit in Adam pro ſtatu innocentiæ, nempè, ſuum corpus, tùm quoad organa, tùm quoad ſpiritus animales fuit harmonicè temperatum, itaut nullum fuerit prædominium, nullus exceſſus, nullus defectus, quo poſito voluntas non urgebatur à dictis ſpiritibus inclinatione in bonum ſenſibile, ſed ipſi ſpiritus movebantur ſecundùm rationis dominium. Objectum ſiquidem, licèt ſe offerebat ſenſui, & eo medio imprimebat ſui ſpeciem imaginationi, ſeù facultati imaginatrici, iſtamque ſua bonitate alliciebat, Imaginatio, ejusve ſpiritus exprimebant objectum ſimul cum anima ſpirituali, quæ ulteriùs ſuum actum intelligendi eliciebat; at ſpiritus illi ex delibatione objecti non inclinabant corpus, aut voluntatem in objectum propoſitum, ſecluſo voluntatis imperio, & appetitus rationalis, quia, cum fuerint tunc harmonicè temperati, ſeù ad æquilibrium, non habebant tumultuari, & præcipitem motionem facere. Habemus tamen ex adnotatis, fuiſſe pariter tunc temporis rationem ſemper vigilem; ſi enim hæc pars non eſſet, evenire potuiſſet motus ex objecti ſpecie impreſſa, rationis renuens imperium; ergo benè dicitur duo requiri, unum ex parte ſenſûs, & appetitus; alterum ex parte rationis vigilis.

16. Si ergo dices æquilibrium ſufficienter auferri poterat à ſpecie vehementi objecti, putà formoſæ mulieris. Reſpondetur hoc verum eſſe, niſi aliundè vigilaret ratio, quæ continuò æquilibrium firmaret, quod evertere tentaret objectum, ſui ſpeciem imprimens. Nunc verò, quia complexio humorum, & ſpirituum data eſt, & permiſſa curſui natu-

rali, ſicuti, & conformatio vaſorum, atque organorum; illam ex parte corporis perdidimus fortitudinem, qua fruebatur, ut ſemper, inquit Auguſtinus, Adam ante peccatum, dum vocat eum fortiſſimum.

17. Inſtabis: vel ex ſpecie formoſæ mulieris v.g. capiebat Adam delectationem, vel non. Si capiebat delectationem; ergo ex vi talis titillationis inclinabatur, etiam ſecluſo rationis dominio. Si non delectationem percipiebat; ergo non remanet intacta, & ſalva ratio ſenſitivi, & dum hominem decoratum prædicamus, ejus naturam, & ſenſus deſtruimus.

18. Reſpondeo, noſtros primos parentes ex delectatione per viſum guſtaſſe vetitum pomum; ergo quis negare audebit, objecta jucunda, viſui, & ſenſibus hominum in ſtatu innocentiæ eſſe grata, & delectabilia. At in hoc eſt diſcrimen utriusque ſtatus naturæ innocentis, & naturæ lapſæ; nam in illo delectabatur per ſenſus externos internus, at non inclinabat contra rationis imperium. In iſto verò de objectis externis delectamur, & ſimul, non expectato voluntatis conſenſu rapimur, & inclinamur cum quodam animæ rationalis impetu. Tunc ergo ad præſentiam venuſtiſſimæ mulieris, licèt delectationem caperet homo in ſenſu, non tamen ideò inclinaretur ex vi talis delectationis; niſi condelectaretur voluntas, ad cujus nutum ſpiritus animales excurrerent nervos, implerent muſculos, attollerent membra.

19. Sed, ſi curioſiùs quæras, cur non inclinaretur homo ille, ſtante tali delectatione, ſeù, cur non pateretur inſultus ex parte concupiſcibili, propoſita præſertim vehementi boni jucundi impreſſione. Jam patet reſponſio ex dictis ejus humores, & ſpiritus animales eſſe harmonicè temperatos; nec de ſe eſſe magis proclives, aut reddentes hominem proclivem ad iram, luxuriam, &c. quaſi in aliquo horum æſtuantes: igitur, ſtante tali harmonica complexione, eſt penes ratio-

rationem, quàm aliundè ſuppono vigilem, ſpiritus ſenſitivos dirigi potiùs ad actum venereum, quàm ad actum contrarium; ad iram, quàm ad manſuetudinem exercendam. Aliundè etiam ſuppono, ex parte organorum, eſſe ita aptata vaſa, ut non facilem potiùs præbeant ductum iſtis, quàm illis ſpiritibus. Organa conferre ad ſtatum innocentiæ, indè manifeſtum eſt, quod homines vitio aliquo dediti, & habitualiter peccantes, facillimi ſunt ad id genus peccati; & in eodem genere facillimos inſultus, ac frequentes ad quãvis, vel minimam occaſionem ſuſcipiunt. Ratio eſt, nam ductus ſpiritus continuo ſpirituum motu, & excurſu evadit promptior, & habilior ad eoſdem ſimiliter ſuſcipiendos; via enim continuo curſu fit magis plana, & expedita, & alveus per aquam, continuò decurrentem, fit magis politus, & aptatus; ad ordinandam ergo eo tunc in ſtatu beato concupiſcentiam in homine, fuit quoque neceſſaria debita vaſorum conformatio.

20. Si autem ratio non ſupponeretur vigil, ut ſupra ſuppoſui; certè ex vehementi impreſſione objectorum externorum everteretur æquilibrium, & ſic pateretur voluntas. Ratio autem quare æquilibrium everteretur, eſt, ut puto, quia tunc objectum ſimul cum ſpiritibus animalibus agerent per modum unius; duo agentia ſunt quid fortiùs, quàm unum ſolum; ergo tunc ſpiritus ratione objecti agentis præponderarent, & hæc duo, ſimul conjuncta, æquivalerent ſpiritibus, cum prædominio genitis. Hinc eſt, quod diximus à principio in ſtatu innocentiæ Deum, & feciſſe ſpiritus harmonicè temperatos, & rationem ſupernaturalibus præſidiis vigilem, ex quo utroque capite omnis concupiſcentia eſſet ordinata; ſi enim ſumantur ſolùm ſpiritus temperati, aut ratio vigil dumtaxat; non habetur, quod deſideratur.

21. Objiciunt forſitan aliqui, ex hac ſententia ſequi, ſtatum illum fuiſſe naturalem, quia explicatur per cauſas naturales, ſed reſpondeo, non eſſe naturalem ſtatum illum, ſi

fuiſſet ad exigentiam doni ſupernaturalis; ego quidem non nego, concupiſcentiam fuiſſe ordinatam modo dicto ad exigentiam juſtitiæ originalis, aliundè præſuppoſitæ, aut, ſaltem ex divina ordinatione. Ad hæc, ad illum felicem ſtatum, alia conducere, ut infra; & interim dico, juſtitiam originalem hic importare ſubjectionem, & obedientiam potentiarũ; hæc autem ſubjectio explicata fuit effectus alicujus doni ſupernaturalis, exigentis, ſaltem divina inſtitutione, illam ſubjectionem, & temperiem ex parte ſpirituum animalium, & organorum.

22. Verùm, ut aliquid ultra dicam, & quæ difficultatem in principiis philoſophiæ Maignaniſticæ, quod mea intereſt, videntur ſapere, diſſolvam: Notandum eſt, ſpiritus animales eſſe inter ſe diverſos; nam, ut clarè conſtat legenti curſum Maignani, alii ſunt ſpiritus viſivi, alii auſcultatorii, & alii imaginatricis: Uno verbo: Eſt eorum in corpore etherogeneitas: Sed, ſi in ſtatu innocentiæ omnes eſſent reducti ad æquilibrium, quomodo ſalvaretur iſta diverſitas, & conſequenter conſtitutio animalis, & hominis in parte ſenſitiva: Videtur enim ſequi evidenter, aliam eſſe temperiem ſpirituum viſivorum, aliam auditus, ſi eſt eorum ſpirituum diverſitas in vi, & efficacia; aliundè, ſuppoſito omnium æquilibrio, ruit iſta diverſa temperies; ergo, &c.

23. Dubitatio iſta ceſſabit, ſi attendamus compoſitionem ſpirituum, imò eorum fontium, & univerſaliter rerum corporearum genitarum, videlicet, diverſitatem temperamenti, non ſolùm oriri ex varia doſi miſcibilium, ſed ex varietate eorumdem miſcibilium. Hoc poſito, ſtare poteſt æquilibrium temperamenti omnium ſpirituum cum eorum diverſitate in vi, & efficacia: Id clarè conſtat nunc in hoc ſtatu naturæ; non enim nunc eſt idem prædominium in hominibus omnibus, eſt tamen in omnibus quoad partem ſenſitivam compar, & ſimilis natura vis, & efficacia ſpirituum; ergo diverſitas ſpirituum in vi ſenſitiva præſcindit à prædominio, & æquilibrio.

24. Dices:

24. Dices: ſi ſtat æquilibrium, non ſubſiſtit diverſitas naturæ ſpirituum, quia non ſtat diverſitas temperamenti; Igitur neque diverſitas naturæ. Reſpondeo, ſi ſtat æquilibrium non ſubſiſtit prædominium; hoc enim video ſequi, & inferri: Undè reſpondeo ſecundò non ſtat diverſitas temperamenti, deſumpta ex varia doſi miſcelæ, tranſeat, ex varia doſi miſcibilium, nego. Patet quid velim dicere, principia quippè componentia humores v.g. ſunt diverſorum generum, puta ignis, aquæ, aeris, terræ, Solis, Lunæ, Martis, Jovis; ſic naſci poſſunt varii humores, varii ſpiritus in corpore, licèt quilibet in ſua conditione prædominium non habeat: Diverſitas profectò, de qua agitur, eſſet penes vim ſenſitivam, non penes diverſum prædominium, nam, licet unus non ſit calore prædominans, alius frigore vigens; tamen unius natura, ſeù nativa conditio eſt diverſa à conditione alterius cum ſimilitudine in temperamento æquilibris. Imò, ut puto, ni fallor, etiam ſuppoſita eadem ratione miſcibilium, poteſt ſubſiſtere diverſitas temperiei cum æquilibrio; v.g. ſi conjungantur duæ partes ignis, duæ aquæ, duæ aeris, duæ terræ, habetur unum mixtum unius temperamenti: Si autem jungantur quatuor ignis, quatuor aquæ, quatuor terræ, & quatuor aeris, habetur aliud temperamentum. Adde, quod idem dici poſſet de diverſis, ſecundum ſubſtantiam mixtis, ſeù de temperamentis diverſarum, & diſſimilium rerum.

25. Neque dicas, non eſſe eo tunc diverſa mixta, ſed differre ſecundum magis, & minus; aliter non darentur diverſa diverſarum rerum temperamenta: Siquidem in ſententia Peripateticorum omnes formæ ſubſtantiales, etſi diverſiſſimæ non ſupponunt diverſam temperiem in ſubjecto, niſi ſecundum magis, & minus; neque dicere poteris, quod intelligatur ſecundum magis, & minus prædominio; nam, ſi ſtat diverſitas mixtorum penes magis, & minus cum prædominio, cur non poterit ſecundum magis, & minus in

equi-

æquilibrio,videlicet,ſi unum mixtum differre poteſt ab alio per hoc, quod in uno prævaleat major calor; in alio minor calor adſit, etiam in prædominio, licet non tantum;cur non poterit unum differre ab alio per majorem elementorum doſim in uno cum æquilibrio, & per minorem in alio cum æquilibrio.

26. Æquilibrium ergo, cum ſit ad tollendum prædominium,non importat negationem diverſarum complexionum, nam, omni ſecluſo prædominio, ſtat temperamentorum diverſitas;ergo cum hac ſtat æquilibrium. Antecedens patet: nam ſecludi prædominium,eſt,quod in mixtione nullum miſcibile præ aliis dominetur; ſed cum hoc, quod eſt, nullum miſcibile præ aliis dominari, ſtat, quod diverſa ſint miſcibilia in uno, quàm in alio; ergo ſtat diverſitas temperamentorum cum excluſione prædominii.

27. Vel ad tollendam omnem loquendi ambiguitatem in præſenti, dicam ſic. Dum dicitur, diverſitatem temperamentorum eſſe fomenta ad ſuſcitandas diverſas paſſiones, tunc ſumitur diverſitas, prædominiorum, v.g. alii ſunt ex complexione iracundi, alii mites, alii alacres, alii pigri; hæc enim diverſitas idem ſonat, ac diverſum prædominium, & certum eſt cum diverſitate prædominii non ſubſiſtere æquilibrium, quia cum diverſitate prædominii ſtat, & præintelligitur prædominium, ſicuti ſpecies ſupponunt genus; Iſtas ergo diverſitates, quæ ſunt incendia diverſarum animæ paſſionum, excludit optatum æquilibrium, non autem excludit diverſitates, ſimpliciter dictas, ſine prædominio; ergo, vel loquimur de diverſis temperamentis, quæ ſunt incentiva paſſionum, & ſic præſupponitur prædominium, ſeù intelligitur de diverſis prædominiis;vel loquimur de diverſis temperamentis in vi agendi, & ſentiendi, ſicque non præſupponitur prædominium, nec intelligitur de diverſis prædominiis. Concludendum eſt igitur, quod æquilibrium eſset in omnibus ſpiritibus, & humoribus; ſed non ideò

ideò non eſsent, aut eſse non poſsent diverſi ſpiritus, & diverſi humores in temperamento, non ſolùm in eodem homine, verùm in pluribus, ideſt, non ſolùm ſpectata diverſitate ſpirituum ad invicem, ſed etiam ſpectata diverſitate quoad plures homines; nam æquilibrium eſſet unum, & idem in omnibus, ſed æquilibratum non eſſet idem, quia eſſet aut alia, aut aliorum miſcibilium doſis. Id totum clarè probatur: Æquilibrium ſine dubio nil aliud importat, quàm nullum miſcibile dominari, vigere, regnare, &c. Sed eſſet hoc totum cum diverſitate temperamenti, nam eſſe tot in uno, quot in alio, non eſt idem, tot eſſe unius, quàm alterius elementi; ad æquilibrium requiritur unum non dominari, ſed æquè vigeant in mixtione, & conſequenter ſumantur miſcibilia in eodem gradu; ſed ſumi miſcibilia in eodem gradu, non eſt idem, ac ſumi tot in uno homine, quot in alio homine: Etenim in uno, eodemque numero homine ſtare poteſt, quod elementa ſint in eodem gradu, non eatenus intelligitur eſſe in eodem, & tanto, ut ſic dicam, gradu, quo ſunt in alio individuo; ergo, &c.

28. Ex dictis nunc colligitur non mirùm, quod in ſtatu innocentiæ non æſtu libidinis, ſed natura voluntatis generationis organa ad ſeminandam prolem movebantur, ut inquit Auguſtinus; ſpiritus enim illi, deſtinati ad veneris organa cienda, ita temperati erant, ut non poſſent moveri ſine voluntatis imperio, auferente æquilibrium.

29. Objicies contra id, quod dictum eſt ſupra de æquilibrio, ſuppoſita miſcibilium ſimilitudine. Æquilibrium videtur ſonare temperamentum ad pondus; ſed, ſi in uno eſſent duæ partes ignis, duæ aquæ, &c. in alio tres partes ignis, tres aquæ, &c. in iſtis non eſſet temperamentum ad pondus; ergo, &c.

30. Reſpondeo, æquilibrium directè excludere prædominium; cum excluſione prædominii benè ſtat duo diverſa temperamenta, & non ad pondus eſſe, nam ad pondus non

eſſe,

eſſe, non eſt idem, ac unum prædominans; cum quodlibet temperamentum eſſet ſine prædominio: ſicuti enim unus gradus caloris temperatur per gradum frigoris; ſic duo caloris temperarentur per duos gradus frigoris; ergo non intelligitur prædominium; ergo, licet non intelligantur eſſe ad pondus, tamen intelliguntur ſine prædominio; ergo cum æquilibrio. Ex vi ſtatus innocentiæ non fuiſſet, ut puto, neceſſarium; quod idem omninò temperamentum in duobus hominibus fuerit, ſecundum adnotationem tamen, factam num. 27. ſed ſufficeret, quod in ambobus fuerit cum æquilibrio; & conſequenter in eodem homine non eſt neceſſe, quod cum ſimili omninò temperamento ſpiritus animales fuerint, ſed ſufficit cum ſolo æquilibrio, nempè cum excluſione prædominii. Concedo ergo, temperamentum non eſſe ad pondus, ſi intelligatur ſimilis, & eadem quantitas elementorum, nego autem, ſi intelligitur prædominium excluſum! Undè non mirum, in corpore etherogeneitatem eſſe ſpirituum animalium.

31. Dices: ſaltem unum mixtum, ſeù meliùs unum temperamentum prædominaretur alteri, & una complexio, præ aliis, nempè, præponderaret; ubi autem eſt præponderantia non eſt temperamentum ad pondus; ergo, &c.

32. Reſpondeo, prædominium attendi debere penes prævalentiam unius miſcibilis; ut ſuppono, nullum ex miſcibilibus in corpore prævaleret; ergo unum non prædominaretur. Quòd, ſi dicas, mixtum ſecundum ſe, & ratione omnium ſimul ſumptorum miſcibilium in ſua quantitate prædominaretur alteri ſecundum omnia ſua ſimul ſumpta miſcibilia in minori quantitate, v.g. & ſic facta ad invicem comparatione, daretur prædominium. Reſpondeo, hoc modo ſumptum prædominium non eſſe illud, quod removetur ob removendas paſſiones inordinatas, incentiva peccati, fomitem, &c. Adde impropriè ſic dici, nam nullum ens dominatur ubi non eſt; cum ergo temperamentum Petri, non

ſit

Digitized by Google

ſit in Paulo, non dicitur prædominari in Paulo, licet temperamentum Petri ſit ex hypotheſi majus illo Pauli.

33. Et, ut id à ſimili clarè conſtet, quod dictum eſt de temperamento vario ex varietate doſis cum firmitate æquilibrii, notandum eſt in ſtatu innocentiæ potuiſſe eſſe nunc majorem, nunc minorem copiam ſpirituum; patet de Chriſto, qui defatigationes paſſus eſt, quæ intelligi nequeunt ſine ſpirituum minori copia, & parco affluxu; & ne diſparitatem aliquam aſſignes, idem dico potuiſſe accidere Adamo: ſicuti ergo idem homo pro ſtatu innocentiæ intelligi poteſt nunc affluentibus ſpiritibus, nunc parcè effuſis; ſic quoque cum ſupradicta etherogeneitate ſpirituum, nam memorata diverſitas eſſet penes majus, aut minùs ſimile temperamentum, dico ſimile ratione miſcibilium, non ratione doſis, & quantitatis, quod majus temperamentum ratione quantitatis comparari poteſt majori copiæ, & affluxui ſpirituum; ergo, ſicuti, ſive cum majori, ſive cum minori copia ſpirituum ſemper ſubſiſtit ſtatus innocentiæ: ita ſimiliter ſubſiſtit æquilibrium, pro eo ſtatu requiſitum, cum dicta ſpirituum diverſitate.

34. Monitum verò volo hic Lectorem, me non agere de membris corporis, & partibus, nam tunc erant etiam oſſa, nervi, carnes, ligamenta, cor, pulmo, lyen, cerebrum, pedes, manus, fæmora, tibiæ, & ſimilia, de quibus omnibus conſtat, eſſe diverſa temperamenta ſubſtantialia, ſicuti erant diverſæ res, & diverſæ ſubſtantiæ, & ſunt nunc etiam pro viventis fabrica conſtruenda. Verum tamen eſt, quod tunc cor non alterabat cerebrum, aut jecur, nec erat ad invicem contraria diſpoſitio partium organicarum diverſarum, cerebrumque erat debitè temperatum, & harmonicè, itaut neceſſet in prædominio calidum, nec frigidum, nec ſiccum, nec humidum; neque cordis complexio eſſet in prædominio, neque hepatis, aliorumque organorum, & partium officioſarum.

M 35. Tan-

35. Tandem ſupereſt explicare modum, quo ratio ſemper vigil imperaret potentiis inferioribus, nec pateretur à præſentia objecti jucundi tumultum, inſultum, &c. hic autem modus in eo conſiſtit, quod ſimul, & ſemel excitabatur notitia jucundi, & notitia honeſti: cum enim intellectus Adæ ſupponatur inſtructus principiis ad honeſtatem requiſitis, & quidem ex vi illius felicis ſtatus; ſtatim ac objectum ſenſibile mediis ſenſibus alliciebat intellectum, excitabatur notitia honeſti pro data occaſione convenienti, nam Adam omni caſu, & omni circumſtantia erat vigil, & optimè, ut decebat inſtructus. Poſita verò tali honeſti excitatione, non poterat appetitus ſenſitivus inclinari antequam inclinaretur voluntas; ſicque ſolius erat voluntatis inclinari, aut non inclinari ad objectum conſequendum, ut de facto voluntatis fuit inclinari ad eſum pomi vetiti, & libertatis fuit vitium non conditionis ſtatus; quia illo feliciſſimo innocentiæ tempore nil ſibi inerat, quo ſibi Adam noceret, aut nocere poſſet, ſecluſo libertatis dominio, ſeù voluntatis imperio.

36. Sed, ut totam hanc diſputationem in epilogum colligamus, omnia placet retexere, & ſub unum aſpectum oſtendere. Primò corporis æconomia regitur per ſpiritus animales, eorumque vaſa, quod attinet ad ſentiendum, & appetendum; & nunc non alius eſt fons paſſionum, quàm prædominium ſpirituum, nam, quia hi, aut illi ſpiritus vigent in homine, ideò hæc, aut illa viget paſſio. Secundò ad auferenda paſſionum incentiva ex parte corporis, ſeù ad conſtituendam illam felicem æconomiam, hoc requiritur, nempè, quod humores, & ſpiritus corporis fuerint ad æquilibrium temperati, & ad talem menſuram redacti, ut non dominentur potiùs hi, quàm illi: Deus quoque ſpeciali Providentia illos cuſtodire habebat, ne adventitiis cauſis vitiaretur temperamentum. Tertiò non obſtante hoc harmonico temperamento, ſubſiſtebat ſpirituum animalium di-

diverſitas in vi ſentiendi non ſolùm ob diverſa miſcibilia, verùm etiam diverſitate doſis. Organa erant diſpoſita ita perfectè, ut nullam inſultandi occaſionem præberent ſpiritibus, & vaſa ita concinna, & temperata, ut non magis ad iram, quàm ad manſuetudinem conferrent. Cerebrum, licet complexionis diverſæ ab organo cordis, erat debitè, in debita menſura attemperatum, ut fuerit aptum fovendis, retinendis, excoquendis, depurandis ſpiritus; nec nimia ſiccitate præmebatur, nec nimio calore, nec nimia humiditate, ut nunc accidit, dum dicimus, illius eſſe calidam cerebri complexionem, alterius ſiccam, alterius frigidam, alterius in exceſſu humidam: Et licèt dicatur ſubſtantia cerebri humida, & frigida, intelligitur in debita menſura, ideſt non calida, neque ſicca ex ſua natura propter ſuum, à natura deſtinatum, uſum, etſi de facto aliqui eam habeant calidam in complexione, ideſt minus frigidam. Tunc ergo in ſtatu innocentiæ non aderat iſta complexionis cerebri diverſitas aliter, ſicuti nunc, ſic tunc iidem provenirent effectus. Erat ergo tunc æquilibrata alio ſenſu, ſcilicet, per negationem indebiti exceſſus, & indebiti defectus, quatenus tota varietas, quæ nunc eſt, tunc non erat. Demùm ratio vigil erat, ne æquilibrium ab objectis everteretur, ſicque in poteſtate erat hominis æquilibrium auferre, adjectis momentis rationis, & arbitrii. Undè duo capita advertimus pro ordinanda concupiſcentia ex parte corporis; unum ex parte intellectus: Ex parte hujus vigilantiæ ſtatum explicatæ; ex parte corporis temperiem humorum, & ſpirituum talem, quæ faciat æquilibrium. Ultimò hic ſolùm vides conſideranda ea, quæ faciunt ad benè operandum moraliter in illo ſtatu.

37. Supra dicebam num. 21. ad beatum ſtatum innocentiæ alia conducere, & quidem confert ordinata voluntatis concupiſcentia. Suum, ut ſic dicam, quodammodò ſenſum habet voluntas, putà, inclinatio ad ſe amandum; quapropter etiam Angeli dici poſſunt habuiſſe concupi-

M 2 ſcentiam

ſcentiam ad ſe amandum; ad tollendam ergo iſtam, & in ordinem reducendam, quonam modo uſus fuit Deus, dicam, poſtquam dixero, undè hæc voluntatis concupiſcentia.

Caput Quartum.

Proponitur Sententia veriſimilior circa fomitis avulſionem in Adam, & Heva ex parte animæ rationalis.

1. VOluntatis ardor ad ſe amandum, indeque ad amandum bona externa, cuique notus eſt, hujuſque ardoris radix eſt neceſſitas amandi ſe. Objecta, extra ſe poſita, licet profectò amet liberè (excepto Deo ſummo bono, clarè propoſito) tamen amor ſui eſt neceſſarius, quod probatur: Objectum equidem amoris eſt bonum conveniens, & niſi ſit conveniens, non movebit voluntatem; ſed non poteſt dari magis conveniens voluntati, quam ſeipſa; nec poteſt haberi pro convenienti non neceſſario, & indifferenti; ergo non poterit eſſe amor ſuipſius liber; ergo neceſſarius. Item voluntas eſt ſibi ipſi bonum ſummum poſt Deum; ergo neceſſariò amat ſeipſam; nam amor neceſſarius boni eſt cognitio boni præſentis non indifferentis; ergo ſi cognitio boni eſt boni neceſſarii puri, & ſummi præſentis, amor erit neceſſarius; ſed voluntas eſt ſibi purum bonum non indifferens, neceſſarium; ergo, &c.

2. Dices, Voluntas poteſt ceſſare ab amore ſui; ergo ſui amor non eſt neceſſarius, ſaltem in exercitio. Reſpondeo, poſſe ceſſare à ſui amore directè, & expreſsè; non autem indirectè, & virtualiter; dum enim amat cætera bona externa, amat, ut convenientia ſibi; ergo amat ea in ſe; ergo aliquo modo ſemper amat ſeipſam; ergo non poteſt ceſſare à ſui amore, & conſequenter ſui amor neceſſarius eſt. Licet

autem

autem amor iſte ſit neceſſarius; ut tamen fiat cum laude, & non ſit vitio imputandus, debet ordinari in Deum, nam voluntas ipſa eſt bonum ſummum ſibi poſt Deum; ergo cum laude, ut amet ſeipſam, debet non ſibi ultimatè amare, ſed ipſi Deo, quod eſt ſimpliciter bonum ſummum.

3. Redices: ſui amor eſt neceſſarius etiam in exercitio; ergo non poteſt fieri cum laude, aut cum vitio, nam non imputatur ad vitium laudem, ubi non eſt libertas. Reſpondetur, amorem ſui eſſe neceſſarium, ſed amorem ſui ultimatè eſſe liberum; quod enim ſibi amet cætera, etiam Deum abſtractivè cognitum, & per fidem, eſt libertate voluntatis, nam liberum eſt voluntati defectibili, poſſe ſe amare in Deo, aut è contra Deum amare in ſeipſa; ergo liberum eſt ei amare ſeipſam aut cum laude, aut vituperio, etſi ſimpliciter neceſſarium ſit ſeipſam amare.

4. Obijcies: Voluntas poteſt nedum non amare in exercitio ſeipſam, ſed etiam neque in ſpecie, ſcilicet poteſt odio habere ſe, ut patet, cum ob commiſſa peccata contra Deum, ſe odit, averſatur, reſpuit, &c.

5. At jam dixi, voluntatem neceſſariò amare ſeipſam, quia eſt bonum purum; in caſu dicto non eſt bonum purum; ergo non mirum, &c. nam, ceſſante ratione boni puri, ceſſat neceſſitas amoris. Secundò dico, in caſu propoſito voluntatem adhuc amare ſeipſam neceſſariò, nam, odio habens peccata, tanquam ſibi, & ſuæ naturæ diſconvenientia, eſt indirectè amare ſeipſam, ſecundum quod eſt bonum ſibi, neceſſariò conveniens, & propter conſervationem ſuæ vitæ, & naturalis conditionis, quæ eſt capacitas ad beatitudinem, & quæ per peccata veluti maculatur, & impeditur. Demùm dicam, argumentum nihil aliud probare, quàm non amare ſeipſam ultimatè, ſi velit cum laude amare.

6. Obijcies ſecundò: Anima poteſt ſe odio habere, etiam ſecundum phyſica, ſcilicet, propriam ſuæ naturæ deſtructionem appetere, ſi ſic Deo placuerit, vel ne peccet

con-

contra Deum; ergo. Reſpondeo voluntatem, ſic appetentem appetere ex recto rationis ordine, & juxtà naturalem ordinem amandi; cum enim creatum ſit juris divini, & non ſui, ejus amor non eſt ſecundum naturalem ordinem, ſi præjudicat divinæ voluntati, & bonitati; ergo poteſt odio habere ſe, dùm eſt ſibi malum; ſed eſt ſibi malum, cum nocet ſibi; nocet ſibi, cum offendit Deum, à quo accepit eſſe, & continuò indeſinenter accipit per conſervationem: Undè ſequitur dicendum eſſe, voluntatem amare ſe neceſſariò, ſed non ultimatè neque quoad exercitium, neque quoad ſpeciem.

7. Obiicies tertiò: Deus, quia ſummum bonum, dum clarè proponitur, neceſſitat voluntatem ad amandum; ergo voluntas, cum non ſit ſummum bonum, non poterit neceſſitare ſeipſam ad amorem.

8. Reſpondeo, poſt Deum voluntatem eſſe bonum purum, bonum ſummum, bonum neceſſarium; ergo non poterit voluntas ſe odiſſe, nec ceſſare quit à ſui amore, ſeù directè, ſeù indirectè. Antecedens patet, quia voluntas ſibi ipſi eſt bonum conveniens, non indifferens; ergo neceſſarium; nullo malo admixtum; ergo bonum purum; reſpectu cæterorum creatorum, maximè, & ſummè ſibi conveniens; ergo poſt Deum bonum ſummum.

9. Supradictum voluntatis humanæ ardorem, item alia ratione evinci poſſe ex hoc conſtat, quod ſubſtantia rationalis creata per prius, & fortiùs trahitur ad ſe, quàm extra ſe; nam, ſicuti prius eſt in ſe, & ad ſe, quam ad alia, ita prius eſt ad ſui complementum, perfectionem, commodum, utilitatem, &c. ergo natura rationalis creata, v. g. homo, licet poſſit ferri extra ſe, non tamen extra ſui commodum; ergo ad bonum morale, quod non eſt bonum naturale concupiſcentiale, ſed bonum in ſe, non poteſt ferri homo; & huc facit, quod docet D. Aug. lib. 4. cont. Julian. cap. 3. *Abſit autem, ut veræ virtutes cuiquam ſerviant, niſi illi, vel propter*

pter illum, cui dicimus: Deus virtutum converte nos, proindè virtutes, quæ carnalibus delectationibus, vel quibuſcumque commodis, & emolumentis temporalibus ſerviunt, veræ prorſus eſſe non poſſunt; veræ quippè virtutes Deo ſerviunt in hominibus, à quo donantur hominibus; Deo ſerviunt in Angelis, à quo donantur, & Angelis; quidquid autem boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere, vera ſapientia præcipit; etſi officio videatur bonum, ipſo non recto fine, peccatum eſt.

10. Cum ergo natura ipſa rationalis ardeat amore erga ſeipſam, & erga ea, quæ concernunt ſuum commodum; opus fuit, iſtum ardorem reduci in debitum ordinem. Item alio præſidio opus erat, Adæ voluntatem ſtrenuam fieri, nam, cum ſtupor ſit in ea univerſaliter ad amandum bonum, niſi delectet; ideoque dixit Auguſtinus in expoſitione capitis quinti epiſtolæ ad Sal. *Quod ampliùs nos delectat ſecundum id operemur, neceſſe eſt*. Et in expoſitione capitis ſexti: *Manifeſtum eſt certè ſecundum id nos vivere, quod ſectati fuerimus, ſectabimur autem, quod dilexerimus*. Quæ certè verba Auguſtini occaſionem præbuerunt Doctoribus ſe diſtrahendi in varias partes; opus ſiquidem fuit alio præſidio voluntatem Adæ muniri.

11. Doctor autem Maignan reducit neceſſitatem delectationis ad voluntatis ſtuporem, veluti cauſam, & originem; fontem verò hujus ſtuporis, dicit conjunctionem eſſe intellectus cum corpore, & ſenſu. Rationem aſſignat à priori, quia intellectus ſecundum naturæ inſtitutum operans, dum eſt conjunctus ſenſui, operatur dependenter à ſenſibus, & per ſpecies ad modum ſenſatarum accomodatas juxta commune effatum: Nihil eſt in intellectu, quod priùs non fuerit in ſenſu, ſed appetitus corporeus non movetur ad fugam, aut proſecutionem, niſi bonum ſit jucundum, & delectet; & è contra, malum ſit moleſtum; ergo appetitus rationalis neque movebitur ad bonum honeſtum, niſi præ-

ce-

Digitized by Google

cedente aliqua delectatione; minor conſtat ex natura ſpeciei impreſsæ, cujus eſt non ſolùm repræſentare objectum, ſed etiam mulcere potentiam, & allicere; & dum imaginatio cognoſcit, appetitus, qui non diſtinguitur ab imaginatione, ex vi talis cognitionis delectationem percipit, ob quam inclinatur, & fertur ad objecti proſecutionem; ſi verò moleſtiam capit, & delibat, illicò appetitus inclinatur ad fugam; ergo, &c.

12. Quod, ſi velis, poſſe intellectum proponere voluntati amandum bonum, adhùc pro ſtatu viæ ex vi rationis, & ſic amando præſcindit à ſuavitatis prælibamento, delectatione, illecebris, aliter non amaret rationis ductu; & dictamine; ergo, &c. Reſpondeo ex iis, quæ habet Doctor Maignanus prima par. ſuæ phil. ſac. delectationem eſſe conditionem, ſine qua non pro ſtatu hujus viæ, & unionis cum corpore, amat bonum voluntas; Vndè ratio amandi rectè eſt propter honeſtatem, ſed non niſi præcedente delectatione; pro quo intelligendo optimum exemplum affert Maignanus, acus pro ſuendo panno, quæ nihil aliud agit, quam viam filo ingreſsuro aperire, quo facto, ipſa abit; ſic delectatio requiritur, ut amet voluntas, ſed ipſa abit, & ſolùm propter honeſtatem amat, dum ritè rectè amat.

13. Obiici poteſt attamen: Bonum utile non delectat, & amatur; ergo nõ præit delibatio ſuavitatis boni ad ipſum amandum. Reſpondeo, bonum utile eſſe delectabile ratione finis, ſicuti eſt amabile ratione finis. Equidem medicina, licet non ſit jucunda ratione ſui, eſt tamen ratione ſalutis, quæ optatur, nam non amatur ratione ſui, ſed ob bonum ſalutis.

COROLLARIVM.

14. EX dictis ergo colligendum eſt, ad avulſionem adæquatam fomitis, non ſolùm requiri ſpirituum animalium temperiem, rationem vigilem; ſed etiam or-

ordinationem ardoris voluntatis ad ſe amandum, atque privilegium tale, quo poſſit voluntas ſine delectatione moveri. Indè conſtat, donum innocentiæ fuiſſe ſupernaturale, non ſolum quia temperamentum ſpirituum fuiſſet ex vi juſtitiæ originalis in voluntate, aliundè præſuppoſitæ; ſed etiam ob dictum privilegium, quo voluntas Adæ non indigebat delectationis proritatione, ut amaret; neque vigebat inordinatus ille ardor amandi ſe.

15. Id autem quomodo in Adam factum fuerit, aut cogitandum eſt, ſpecierum caſtarum ſuggeſtione, puriorum vim habentium abſque ullo ſenſu delectationis movendi ſolo rectæ rationis intuitu, & ſolo amore recti; aut, ſi fortè opus fuit aliqua delectatione, cæleſtem Deus pro terrena commutavit, ut homo inhæreret non ſibi, ſed Deo, tanquam fini ultimo ſupernaturali affectu caſto, ideſt, delectationem, etſi puram, non attendente, ſed ſolam rectitudinem.

16. Obiicies contra dicta: Nunc etiam homo, cujus intellectus ex conjunctione cum ſenſu inducit torporem, & ſtuporem in voluntate ad amandum bonum, niſi delectet, poteſt amare abſque intuitu delectationis, ſed ſolùm amore rectitudinis; aliter non amaret honeſtè, & propter honeſtatem, ſeù motivo rationis; ergo, quod dictum eſt modo non confert ad explicandam juſtitiam originalem.

17. Reſpondeo, etſi homo nunc pro hoc ſtatu amans motivo rationabili, amat propter honeſtatem; tamen non taliter amat, ut in ipſo eodem affectu non includat delectationem, tanquam rationem amandi non objectivam, aliter non amaret ratione rectitudinis, ſed more pecudis, ſed inclinativam, ut conditio, ſine qua non, ſpectato ordinario naturæ curſu, & inſtituto, modo, quo dictum eſt ſupra num. 11. Tunc verò Adam ante caſum ſolo motivo rectitudinis, ſolo motivo honeſtatis independenter ab omni delectatione, & omni ſuavitatis guſtu, amabat, ſicut poterat; etiamſi ſpecies delectationis habuiſſet, divinitùs ſuggeſtas, nam iis

N non

Digitized by Google

non utebatur, quaſi, ut ſic dicam, vehiculis amandi, quibus voluntas pro hoc ſtatu ūtitur. Nimirum hæc eſt ratio: Adam, cum eſſet creatus rectus, non niſi rectè operabatur ob ſolum finem rectitudinis.

18. Non eſt, ut hic repetam ultra ſpirituum harmoniam, vaſorum conformationem, rationis vigilantiam, atque torporis excluſionem, neceſſaria fuiſſe pro illo felici ſtatu explicando, & ad totalem fomitis avulſionem, ſed dico, hæc omnia eſſe præſidia illa, quibus in phraſi S. Aug. creavit Deus Adamum fortiſſimum.

Caput Quintum.

De præſtantia libertatis in prima conditione vitæ ex parte Adam ſecundum ſe.

1. TOta ratio petenda eſt, quia omnia erant in pace, & cum ſumma tranquillitate, nec erat ad opus virtutis arduitas, ad bonum difficultas, & pugna ex adverſo juxta illud Apoſtoli: Aliam legem ſentio in membris meis, repugnantem legi mentis meæ; & jam ex Aug. deſcripſi cap. 1. diſcrimen illius ſtatus à præſenti, quoad uſum liberi arbitrii; undè non eſt, ut hic immorer. Quomodò autem hæc omnia erant ante lapſum in Adam, jam ex dictis cap. 3. art. 4. à num. 9. ubi conſtat per conſequentiam legitimam, non potuiſſe non eſſe eo tunc libertatis nimium vigorem, eo quia minimè gerebat, undè certamina toleraret; ex ſola ergo deſcriptione ſtatus innocentiæ, ſcilicet, juſtitiæ originalis, quam uſque adhuc explicuimus, eſt accerſenda notio præſtantiæ libertatis in Adam ante caſum.

Ca-

Caput Sextum.

Quomodo intelligenda ſit libertatis præſtantia eo tunc ex parte gratiæ auxiliatricis.

1. MAignanus in ſua phil.ſac.cap.35.prop. 12. & 13. fusè id explicat. Ego autem paucis dicam, ex Auguſtino non difficulter intelligi, ſi legatur liber de correct & grat. cap. 11. ubi ſic habet: *Quid ergo Adam non habuit gratiam Dei? Imò verò habuit magnam, ſed diſparem: Ille in bonis erat, quæ bonitate ſui Conditoris acceperat, &c. Ille non opus habebat eo adiutorio, quod implorant iſti, cum dicunt: Aliam legem video in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Ieſum Chriſtum, Dominum noſtrum, quoniam in eis caro concupiſcit adverſus ſpiritum, ſpiritus autem adverſus carnem; atque in tali certamine laborantes, ac periclitantes dari ſibi pugnandi, vincendique virtutem per Chriſti gratiam poſcunt; ille verò nulla tali rixa à ſeipſo adverſus ſeipſum tentatus, atque turbatus in illo beatitudinis loco ſua ſecum pacem fruebatur: Proindè, etſi non interim lætiore nunc, potentiore gratia indigent iſti.*

2. Hinc colligitur ex D. Auguſtino, gratiam auxiliatricem in prima vitæ conditione differre à gratia pro iſto ſtatu; quatenus cum Adam ſua ſecum pace frueretur, à ſeipſo minimè tentatus, atque turbatus, in ſua poteſtate erat diſſentire, atque conſentire potiori titulo, potiorique jure fundato in hoc, quod eſt non habere concupiſcentias, inducentes ad malum. Poſt lapſum verò ratione concupiſcentiarum ineundum eſt certamen, atque, dum bonum peragere volumus, maximè colluctandum. Gratia ergo,

quæ datur hic, & nunc eſt magna, ſeù major quam quæ data fuerit Angelis, & Adamo; debet enim nunc eſſe potentior, quia ad pugnandum eſt neceſſaria, quomodo non erat gratia Adæ collata, licet alio ſenſu magna fuerit, alioque titulo, ut dicit Auguſtinus.

3. Ad juſtitiam ergo originalem confugimus, dum libertatis præſtantiam ex parte gratiæ auxiliatricis in primo vitæ ordine extollimus; nam indè gratia eo tunc in modo auxiliandi ab iſta differebat, quæ modo poſt lapſum confertur. Tunc quippè, ait Maignan, illuſtrabat intellectum, nec opus erat, ut voluntatem ſtimularet, quaſi exuens illum ſtuporem, quem de facto habet voluntas ad amandum bonum benè. Adami innocentis voluntas, ut ad bonum ſe moveret, minimè indigebat delectatione, quia ratione juſtitiæ originalis erat benè affecta, nec ſeipſam amabat, aut, quod ſuum eſt, quærebat; ſicuti enim rationi ſubijciebatur appetitus, ſic ratio Deo. In hoc autem ſtatu voluntas hominis lapſi, & propterea ſubditi ſuis concupiſcentiis, ad bonum non ſe movet, niſi delectet: item gratia nunc voluntatem languidam ſuſcitat, ſtimulat, &c. ulteriùs gratia nunc eſt major non ſolùm in ratione auxilii, ſed etiam in ratione beneficii; quia ſi beneficium eſt, quod gratis tribuitur negativè non digno; multo magis eſt, cum tribuitur gratis idem poſitivè indigno, & merenti oppoſitum; atqui poſt peccatum homo pœnam meretur, eſtque adeò indignus gratia, quam ei Deus largitur; ergo, &c.

4. Dum tamen dicitur: *Gratia potentior nunc*, ita intelligendum eſt, inquit Maignan, ut cæteris paribus ex parte boni operis ardui faciendi, aut vincendæ gravis tentationis, gratia vi ſua compenſet id, quod viribus arbitrii, nunc infirmi, deeſt. Si nempè e. g. tentatione ingruente, ut ſex, vires tunc fuerint ſecundum ſe pariter, ut ſex, neceſſaria fuit gratia, ut unum, ad hoc, ut vis tota, hinc ex gratia, hinc ex arbitrio conſtans, eſſet, ut ſeptem, & ſic tentatio-

nem,

nem, quæ eſſet, ut ſex, poſſet ſuperare, niſi enim eſſet major, aut ſuperior non ſuperaret. Hactenùs Maignan.

5. Ne ambagibus quis hìc laboret quoad Maignani verba hæc recenſita, non eſt putandum liberum arbitrium ſuperare præcisè quia ſuperior, & major eſt vis; ſed ſuperare liberè ex intrinſeco dominio in ſuum actum, aliter eſſet libra non libera poteſtas: ut autem habeat dominium in ſuum actum, vis ipſius arbitrii non debet eſſe minor, aut æqualis tentationi vincendæ, ſed major, ut libertas ex dominio vincere poſſit. Hoc ex Auguſtino manifeſtum eſſe debet, nam, dum docet, nos gratia potentiore indigere, quia aliam legem ſentimus in membris noſtris, repugnantem legi mentis, ſequitur, quod, ſi tunc ad faciendum opus aliquod requirebatur gratia, ut duo; nunc ad idem opus, & ſervata paritate ex parte operis, requiritur gratia, ut quatuor, nempè, ſi ſupponamus, ut duo à primo ſtatu lapſum eſſe hominem de primæva fortitudine. Duo ergo includuntur in hoc exemplo Maignani, numero præcedenti allato, unum eſt, quod facta collatione ſtatus cum ſtatu, intelligitur modò, gratiam per Chriſtum eſſe potentiorem. Alterum, quod gratia cum libero arbitrio, ſeù facultas voluntatis, ex integro in ratione operandi accepta, ſit ſuperior ſive in uno, ſive in alio ſtatu; itaut, dum voluntas producit ſuum actum, jam contentum in ſua vi non ſolùm effectrice, quod eſt omnium cauſarum, ſed etiam in ſua vi dominatrice, & arbitra, debeat eſſe major in ordine ad vincendum contrarium, videlicet, ut dixi, tentationem gravem, ſeù opus arduum bonum faciendum; nam, dum dicitur à Maignan: *Cæteris paribus, ex parte operis ardui faciendi, aut gravis tentationis vincendæ*, idem dicit in ſignificato, quod importatur, & quæritur in præſenti, etſi duplici dicendi formula; ergo, cum majoritas ſit in ordine ad vincendum; ſic quoque, & pro tentatione vincenda, & pro opere arduo faciendo, quæ ſunt duo, in exemplo poſita, intelligitur: Aequè

què enim intelligimus, dum gravis tentatio eſt vincenda; ac cum opus arduum bonum eſt faciendum, nam, dum tentatio eſt vincenda, ſuperat voluntas difficultatem, quam etiam ſuperat dum opus arduum bonum facit: equidem, ſicuti à tentatione, quam ſupponimus vinci, voluntas non retrahitur ab opere, quod jam facit, ſic etiam ab opere virtuoſo, & bono arduo faciendo non retrahitur, ideſt, non deſiſtit, quaſi metu perculſa.

6. Neque obſtet tibi, Lector optime, innocentiæ ſtatus, in quo non videtur, potuiſſe eſſe opus arduum, quod ſonat difficile. Nam, ſi tibi, nec umbram affert difficultatis, tentationem eo tunc potuiſſe ingruere, ut in exemplo; cur opus arduum faciendum, quod etiam ponitur in exemplo?

7. Dices forſitan opus virtutis, ſeù bonum nunc eſt arduum ob peccatum originale; nam difficultas, & ignorantia ex Auguſtino contra Pelagium ſunt naturæ ſupplicia, non naturæ primordia; ergo. Sed, ſi tentatio potuit tunc eſſe, ut de facto fuit; cur non potuit eſſe opus arduum ex tentatione? Per peccatum originale igitur difficultas eſt ad bonum generaliter ex intrinſecis, tamen ab extrinſeco ob dæmonis ſuggeſtionem, aut ob gravem objecti ſpeciem, quæ quædam eſt tentatio, tunc etiam eſſe poterat opus virtutis, ſeù opus bonum arduum. Opus quippè in propoſitione, ſeù à mente voluntati propoſitum, aut præcepto, aut aliter; ut faciat, pati poteſt difficultatem, aut tentatione, aut ſignanter objecti ſpecie impreſſa, in contrarium alliciente, aut operis boni quantitate, ſeù ex intenſione, ſeù ex genere, quod tamen ſit factibile; aliter non arduum, ſed impoſſibile diceretur, & ſic extra quæſtionem. Pro hoc opere faciendo, licet ſit poteſtas faciendi, non tamen facilis, & prompta, ideſt impedita; hæc autem negatio facilitatis, & promptitudinis, quæ oriri poteſt ex cauſis dictis, ut etiam ſe opponentibus dictæ operis quantitati, eſt ſuperanda, & vincenda ab arbitrio cum Gratia Dei; ita, ut hoc comple-

xum

xum ex arbitrio, & gratia vincat, & vincere poſſit tentationem ingruentem, operisque arduitatem, undecumque hæc arduitas proveniat. Ut tamen vincat, & vincere poſſit, opus eſt, arbitrium eſſe ſuperius, & majus; nam, ſicuti gratia in arbitrio, & cum arbitrio retrahit à malo, & dirigit ad bonum, ſic tentatio dirigit ad malum, & retrahit à bono faciendo; ergo tentatio non debet eſſe æqualis, aut major, ſed infra; aliter non vinceret arbitrium ipſam.

8. Et ne quis hallucinetur in his, quæ diverſum poſſunt ſenſum ingerere, præſertim Theologis, qui in materia de Gratia in tot abiere ſententias; non infertur ex hoc, quod duo homines cum eadem gratia, ſi unus non operatur, neque alius; neque, quod gratia ideò faciat operari, quia plus trahit, quod docet noſter P. Filoramo poſt lapſum originalem, ſed ſolum habetur, gratiam, cum libero arbitrio conjunctam, debere eſſe quid majus, ſeù ante lapſum, ſeù poſt lapſum, tentatione ingruente ex ſuppoſitione vincenda: quod verò plus trahat, aut minus trahat impertinens eſt, ſcilicet opus non eſt, ut magis trahat ad hoc, ut voluntas operetur, aut operari poſſit, aliter, quæ non operatur defectus eſt gratiæ illius, quæ magis trahat. Stat ergo operari, ſicuti eſt vera proxima, expedita potentia, ſi vult, & utitur ſuo arbitrio; dum complexum ex arbitrio, & gratia quid majus eſt, & hoc eſt neceſſarium; non verò oportet, ut gratia magis trahat ad hoc, ut homo operetur, quaſi, dum gratia minus trahit, homo non operetur, ſed remaneat in ſuo poſſe, ut dicit Filoramo, quod mihi videtur incredibile, & potiùs dici deberet, quod remaneat in ſuo non poſſe; cum nemo à tot ſæculis operatus fuerit, nec operabitur.

9. Hoc ſolùm admitto, quod quando gratia plus trahit, facta collatione gratiæ ad contrariam cauſam, moraliter, ſeù faciliter homo operatur; ſi verò non plus trahit, non tam faciliter operatur, ſed, ſicuti poteſt operari, quod

non

Digitized by Google

non negatur; ſic quoque operabitur quandoque; undè ly plus trahere, & minus trahere ſunt in genere operandi faciliter, & difficulter, & in genere potentiæ minus, & magis facilis. Quod patet, nam non negat Filoramo, illum, cui gratia minus trahens confertur, non poſſe operari, ſed quod non operatur, allectus magis concupiſcentiis; nec ideò, quod ſit magis inclinatus à concupiſcentiis, dicit non poſſe operari bonum, quaſi ſolùm poſſit operari malum; ſed, quod operetur malum. En quomodo clarum jam eſt, quod ly plus, minusve trahere pertineat intra genus potentiæ operativæ: illa ergo gratia eſt neceſſaria, quæ conſtituit potentiam liberam, potentem ex dominio operari; tunc autem potentia eſt ſic potens, quando, occurrente tentatione gravi, v. g., ut ſex, facultas arbitrii, ſecundùm omne id, quod eſt neceſſarium in ratione principii eſt, ut ſeptem. Quod verò poſtea tentatio ſit magis alliciens, aut è contra gratia magis ſtimulans, quod gratia ſit ſuavior, quod tentatio ſit minus ſuavis, parùm refert, ſed ſolum opus eſt, ut principium phyſicum ſit, ut ſeptem; illud enim ſolùm confert ad poſſe operari faciliter, ad poſſe operari ſuaviùs, &c.

10. Id totum manifeſtum eſt, nam in ſententia P. Filoramo homo, non operans, non eſt defectu principii proximè potentis, ſed quia ſinit ſe vinci concupiſcentiis, fortiùs allicientibus; ergo, non obſtante fortiori concupiſcentia, adhuc homo poteſt reſiſtere, & ſuperare; ergo Maignanus aliud non prætendit exemplo ſupra allato, quam inſinuare, ne quis credat, majorem eſſe nunc gratiam ſecundùm entitatem, & ſecundùm vires intrinſecas, quam fuerit in primo ordine vitæ, dum dicitur, quod nunc eſt potentior ex Auguſtino, ſed ſolùm intelligitur, quod, ſi tunc temporis ad idem opus requirebatur gratia, ut unum, nunc ad idem opus requiritur major, quantum deeſt de viribus naturæ lapſæ. Cæterùm voluntas ſe applicat ubi vult, non obſtante majori motu gratiæ, aut majori motu tentationis, nam,

ſive

ſive major motus concupiſcentiæ ſumatur in ordine ad minorem motum gratiæ, ſeù ſumatur in ordine ad minorem motum concupiſcentiæ, ſeù in diverſis hominibus, ſeù diverſis temporibus in eodem ſemper tamen motus, qui dicitur fortior concupiſcentiæ eſt infra virtutem arbitrii, ut elevati, & ſupernaturalizati, nam non ita trahit, ut extrahat voluntatem à ſua vera indifferentia; ergo, licet hìc, & nunc in voluntate operatura ſit fortior concupiſcentia reſpectivè ad gratiam trahentem; ſemper tamen voluntas operatura eſt ſupra motum concupiſcentiæ ſecundùm ſuas vires.

11. Id totum, quod hactenus per modum commentarii dixi, eſt evidens hoc diſcurſu: ſi enim, non obſtante, ſeù fortiori, ſeù debiliori concupiſcentia, adhuc voluntas liberè ſe determinat, & liberè ſe accommodat uni, aut alteri motui, ut omnes fatentur, eſtque neceſſarium, nam voluntas non eſt ideò extracta à ſua indifferentia, quaſi fuerit neceſſitata, infertur clariſſimè, voluntatem eſſe ſupra concupiſcentiam, aliter non ſe illi accommodaret liberè, ſed accommodaretur neceſſariò: Illud ergo fortius, & debilius eſt ad inducendam voluntatem, ut ſe accommodet; cæterùm ſtat in poſſe voluntatis, ſi velit induci ad hoc per hunc motum, aut ad illud per alium, etſi debiliorem. Ipſum poſſe voluntatis dico, quod eſſe debeat majus tentatione ingruente, ut iſtam ſuperet, & vincat, & vincere poſſit; nam, ſi tentatio eſt major, voluntas ſuffocatur, & ad malum per hoc inducitur; ſi eſt æqualis, ipſum poſſe voluntatis non poteſt ſe extrahere à ſua indifferentia, quia non poteſt ſe determinare, & determinatè applicare, nam non poteſt vincere. Tandem, ut paucis me explicem; nam totum hunc diſcurſum contexi, ut amphibologias in ſimilibus dicendi modis repellerem. Dico, Doctorem Maignanum cohærenter docere, ut in exemplo allato cum iis, quæ docuit, de libertate cap. 21. & 28. nam ibi loquitur de indifferentia, jam conſtituta phyſicè, dicitque non moveri ad

O inſtar

inſtar lancis, nec ideò moveri, quia verſus unam partem præponderat; nunc verò aſſerit, potentiam liberam in ſuo phyſico poſſe, quod habet per gratiam, junctam cum viribus arbitrii debere eſſe majorem tentatione; & patet, nam loquitur de cauſa phyſica non morali; nam includit in æqualitate, aut ſuperioritate virium ipſummet arbitrium; arbitrium non mulcet ſeipſum, ſed mulcetur, aut à gratia Divina, aut à concupiſcentia, tentatione, &c. ergo non loquitur de voluntate, ut includente cauſas morales actus faciendi; nam ex una parte (& in hoc ſtat exemplum bilancis) ſumit tentationem; ex altera arbitrium cum gratia ſimul. Loquitur igitur de Gratia, ut dante vires phyſicas, non, ut dante vires morales, ſeù pondera ſua; nam, ſi ipſum arbitrium includitur ex una parte in exemplo bilancis, jam quia arbitrium non eſt id, quod mulcet, & allicit, ſed, quod mulcetur, & allicitur, & eſt id, quod ex dominio determinatur jam conſtat, non loqui de gratia, ut cauſa morali, ſed, ut cauſa phyſica, ſeù de gratia loquitur auxiliatrice, ut ſe tenet ex parte principii, non ex parte objecti. Hæc dicta ſint per modum commentarii.

12. Id verò eſt abſurdum, ponere, ſcilicet, libertatem ad inſtar bilancis, quaſi eo moveatur motu ſuæ operationis, quo allicitur, & conſequenter flectitur; neque dicas cum P. Filoramo, quod eò voluntas flecteretur liberè; nam incredibile eſt, quod omnes homines, tali gratia adjuti, ſemper eò flectuut ſe, quò gratiæ auxilium impellit, ſeù mulcet; & è contra homines, quia tali adjutorio carent, & conſequenter motus concupiſcentiæ ſunt fortiùs trahentes, nunquam moventur in bonum, ſed ſemper peccarunt, & nemo erit, qui non peccabit. Iſtud genus æquilibrii in hominibus poſt lapſum eſt impoſſibile, eſt incredibile; quatenus ex una parte ponitur gratia, & ex alia tentatio; & in medio, veluti libertas; quæ ibi flectitur, quò majus eſt pondus; ſic eſſet libertas verè libra, verè lanx. At in noſtro,

uſque

uſque adhuc agitato, propoſito res eſt diverſa; nam ex una parte ponimus v.g. tentationem gravem; ex alia liberum arbitrium, adæquatè ſecundùm ſuas vires acceptum, in quo nil aliud fit, quàm duas vires librare.

13. Patet denique ex dictis, quæ, & quanta fuerit libertatis excellentia in Adamo; & ſimiliter conſtat diſcrimen pro utroque ſtatu gratiæ auxiliatricis, tum ex parte Adæ ſecundum ſe. Cætera, quæ deſiderari poſſunt, quoad præſtantiam arbitrii Adami ex parte adiutorii gratiæ, quiſque dignoſcere poteſt apud P. Maignanum. Quapropter non eſt amplius hic immorandum.

Caput Septimum.

De præſtantia Adæ ex parte gratiæ ſanctificantis.

1. PRimum hominem gratia ſanctificante præditum fuiſſe, non eſt, ut in dubium revocari poſſit; cum enim fuerit rectus creatus, rectitudine præſertim ſupernaturali, & elevatus ad gloriam cum jure ad iſtam, ſequitur evidenter, eum non caruiſſe gratia habituali ſanctificante, vi cujus reddebatur filius Dei adoptivus, amicus, & cum jure, ut dictum eſt, ad beatitudinem, quatenus, ut loquuntur Theologi, Gratia eſt ſemen gloriæ, & radix cujuslibet rectitudinis, & honeſtatis ſupernaturalis.

2. Eſſe autem formam, nobis intrinſecam, eodemque modo Adæ completè juſtificantem, & realiter diſtinctam à fide, per quam peccata in nobis, dum juſtificamur, verè, & propriè, & non per ſolam non imputationem deſtruuntur, eſt in Conc. Trid. definitum ſeſſ. 6. cap. 7. Hic adverto, aliquos gratiam habitualem Adæ vocare gratiam ſanctificantem, in nobis verò gratiam juſtificantem; ſed eſt diſcrimen per accidens.

 3. Ha-

3. Habitualis gratia, Adæ collata, ſicuti ea, quæ nobis confertur, eſt gratia intrinſeca, ſeù habitus, & qualitas natura ſua permanens: etenim ex Conc. Trid. habetur, quod gratia, quam hæretici damnati negant, ſupponitur eſſe habitus, & qualitas, ex natura ſua permanens. Accedit, gratiam collatam infantibus in baptiſmo, eſſe qualitatem permanentem, non enim eſt actus aliquis vitalis fluens; ergo gratia, collata ex vi Sacramentorum, eſt qualitas permanens, quia Concilium de quacunque gratia eodem modo loquitur; ſic ergo quoque gratia Adami. Hoc quidem certum eſt apud omnes.

4. Si verò de mente, & ſenſu Doctoris Maignani agatur; dum hæc conſcriberem in ſperato occurrit legere opuſculum philoſophico-Theologicum de gratia, cujus Authorem ex ſtylo Doctrinæ Maignaniſtam eſſe optimè novi; quinimmò relatione didici, eumdem fuiſſe vitæ Maignani Scriptorem. In hoc opuſculo, quod inſcribitur Syſtema gratiæ, video, gratiam habitualem ſanctificantem, nonniſi explicari per Spiritus Sancti motionem, omni, procul abacta, forma accidentali, in hærente, hoc eſt intus hærente; dum, ſi de Doctoris mente agendum eſt, idem ſentit apertiſſimè in prima parte ſuæ Philoſophiæ ſacræ, & in 2. cap. 3. prop. 10. 11. 18. In hoc tamen à cæteris philoſophis diſſentire videtur, quod more ſolito, ſecundum jacta philoſophandi principia, prætendit, gratiam juſtificantem eſſe ſubſtantiam concipiendam ad inſtar lucis, inhærentem animæ, ideſt, nè quis in verbo decipiatur, intus animæ hærentem, intimèque conjunctam. Quod probatur, nam, gratiam eſſe accidens phyſicum ariſtotelicum, eductum de potentia ſubjecti ſpiritualis, puta animæ, repugnat ex conceptu phyſicæ eductionis, ac generationis; nam cum fiat ex potentia ſubjectiva animæ, quæcumque dicatur illa, neceſſe eſt, ut animæ non inhæreat, tanquam aliquid entitativè diſtinctum ab ea.

5. Quod

5. Quod ſi dicas, non educi, non generari, ſed creari. Contra eſt, nam accidens creari in anima, vel eſt idem, quod creari aliquid, quod poteſt adeſſe, & abeſſe præter ſubjecti corruptionem; vel aliquod, quod intenditur propter aliud; vel aliquid, quod intenditur propter aliud, adæquatè diſtinctum. Sed quomodocumque dicatur, ut dixi, art.1.num.8. ſemper verum erit hoc accidens eſſe verè, & propriè ſubſtantiam; ergo. Probatur minor. De ſubſtantia quoque verum eſt prædicari poſſe adeſſe, & abeſſe, ut patet de anima in corpore, & ſimilibus. Rurſus eadem anima intenditur propter corporis complementum, & materiæ perfectionem, ac propter hominem conſtituendum. Tertium neque juvat, nam, licèt anima non diſtinguatur adæquatè ab homine, diſtinguitur tamen à corpore; ſicuti albedo in eorum philoſophia, licèt non diſtinguatur adæquatè ab albo, diſtinguitur tamen à pariete albo; ergo, ut dicebam loco citato; vel albedo eſt ſubſtantia, vel anima eſt accidens; vel utrumque eſt ſubſtantia, & accidens reſpectu diverſorum, quod ego intendo.

6. Conceptus porrò accidentis nonniſi reſpectivus eſt; alterum quippè reſpicit, cui ſcilicet accidit, ſeù accidens dicitur; & eo magis id patere debet, quod ea, quæ vulgò dicuntur accidentia, nonniſi ſubſtantiæ affectiones, conditionem, &c. pro rato tenent; puta, id quod eſt ſubſtare, nam gratia ſanctificans e.g. ſubſtat intenſioni, remiſſioni, inæqualitati, diverſitati, ſimilitudini, &c. ergo propriè eſt ſubſtantia, licèt reſpectu alterius præſuppoſiti in ſuo eſſe conſtituto ſit, & dicatur accidens; eo modo, quo lux eſt ſubſtantialis defluxus, etſi aeri, criſtallo ſit accidens, quatenus ea præſupponit conſtituta in ſuipſorum eſſe.

7. Hanc verò ſubſtantiam ſanctificationis accidentalis concipiamus ad modum lucis, animam perfundentis, illuſtrantis; eo magis quia peccatum, quod ei opponitur, nonniſi maculæ, ſordium, tenebræ figuram habet. Quòd, ſi

quæ-

quæras, accedente peccati lethalis macula, ubi, & quomodo deſtruitur lux ipſa gratiæ? Miror, quòd, ſic quærens, ſubſtantiæ deſtructionis captum, non tàm facilè tenere poſſis, cum teneas accidentis. Fortaſſe accidens non eſt verum ens, & ſolida entitas realis phyſica, non minus ac ſubſtantia, ſalvo eorum diſcrimine, ut vis in aleitatis, & perſcitatis? Reſponſum igitur à te, qui quæris, petendum eſt. Riſu tamen excipi debet, qui dixerit, Deum auferre gratiam ab anima, accedente peccato: Quaſi ſit Deo faſtidium, gratiam reproducere, ſi eſt ſubſtantia volenti iterùm eam animæ infundere acceſſu amoris, dilectionis, aut contritionis. In hoc certè elucéſcit vanitas accidentium ariſtotelica lege, ut non pro entibus habeant ipſimet adverſarii, qui propugnant ea eſſe in rerum natura.

8. An autem ad mentem Maignani dici oporteat, gratiam ſanctificantem eſſe aliquid phyſicum phyſicè conjunctum animæ, mei nunc, etſi ex tempore, eſt inſtituti: Maignanus equidem, licet omnes eliminandas eſſe qualitates, ſimileſque accidentales formas putaverit in toto ſuo curſu naturalis, & ſupernaturalis philoſophiæ: cum autem ventum fuerit ad gratiam ſanctificantem habitualem exponendam, ad inſtar venatoris, prædam inſequentis, nunc hinc, nunc illinc deambulantis, in 1. par. ſuæ Phil. ſac. loquutus eſt, in qua, dum loquitur ſupponit juxta communiorem Theologorum ſententiam, habitus virtutum Theologalium infuſos, reducens omnes infuſos habitus ad numerum ternarium, Fidem, Spem, & Charitatem. Loco autem dicto, licèt aſſerat, aliquos poſſe explicari per operationem Spiritus Sancti; qui tamen ſint in facto, omninò non exprimit, forſan, quod etiam ibi legitur, expectans meliorem de his rebus conſultò tractandi opportunitatem, locumque proprium. Ego, antequam loca Maignani afferam citatæ pr. par. ſuæ phil. ſac. & eadem conferam cum locis citandis ſecundæ partis, in qua, tanquam in loco proprio, agitur ab eo

de

de gratia, interim conſidero, gratiam ſanctificantem non ſolùm eſſe principium operativum, ſed etiam dignificativum, imò, ſecluſa gratia actuali, nullatenus operari poſſe; pro certo autem habetur eſſe formam dignificantem. Quod, ſi lumen gloriæ, & alia ſimilia explicentur per operationem divinam, non mirùm quia ordinata ſunt ad operandum, & conceduntur propter operari, & propter principium operativum: At gratia ſanctificans eſt ad animæ ornatum,& pulchritudinem, ad eam dignificandam, &, ut eſt inconfeſso apud omnes, ſtat pro forma dignificativa; ergo,licèt fruſtra ponuntur accidentia (abſtraho nunc à modo intelligendi accidentia) dum ſunt ordinata ad conſtituendum principium completè operativum: Advertat tamen hìc quisquis eſt, gratiam non tam ad operandum, quàm ad interiùs renovandam, dignificandam animam ex modo loquendi ſcripturæ, Patrum, & Conciliorum infundi.

9. Maignanus ergo cap.21.prop.10. recipit ſententiam Chriſto fuiſſe datam ſanctitatem, non modò increatam per unionem hypoſtaticam, ſed, & creatam omnis generis, & num. 8. ſe refert ad propoſitionem undecimam, ut exponat quid in re habitus infuſi ſint. Hac propoſitione num.11.hæc habet poſt cætera: *Sed, ut revertar ad ſupernaturales qualitates infuſas; ſi eas intelligere oportet ad inſtar illarum, quæ naturaliter multorum repetitione ſimilium actuum acquiruntur, vocanturque habitus; non eſſet ſanè opus entitates pro eis ponere diſtinctas ab entitate ſubjecti, & ſimul à ſpeciebus circa objectum uſu confirmatis: ut de naturalibus habitibus puto eſſe probatum in phil. nat.cap.24.num.34. & num.67. & cap. etiam 32.num.25. Sed, cum hæ ſint acquiſitæ, illæ verò infuſæ, magnum eſt inter utraſque diſcrimen ... Ac proindè infuſi iſti virtutum, &c.ſupernaturalium habitus nihil quoad entitatem,vel modum entitatis commune habent cum habitibus naturalibus. Et licèt nomen habituum ego retineam cum omnibus ſcholaſticis; rem tamen eo nomine ſignificatam exiſtimo eſſe*

mul-

Digitized by Google

multo ſolidioris entitatis in his infuſis habitibus, quam dixerim eſſe in acquiſitis; eamque, ut dixi ſub analogia multiplicis è cælo in hæc inferiora derivatæ, ac diverſimodè à corporibus participatæ lucis, intelligo, velut multiplicem divinarum, ad ſanctitatem, pertinentium, virtutum receptam in animis juſtorum, participationem. Et hæc modo ſufficiant, quoad entitatem gratiæ, virtutum..... In ſubſtantia ſupernaturalium rerum natura ſua permanentium. En hic locus ſufficeret conſtare de mente Maignani, gratiam eſſe rem natura ſua permanentem, & multò ſolidioris entitatis, quam ſint habitus acquiſiti. Num. 26. (ut alia loca primæ partis phil. ſacræ relinquam) ſic concludit: *Ex dictis hactenus de diſtinctione, vel indiſtinctione gratiæ, virtutum, donorum adde, & charecterum, intelligi poteſt magnam ſegetem, jam eſſe demeſſam entitatum accidentalium ſupernaturalium; de quibus initio conquirebatur, quid nam phyſicæ rei eſſent: Reducta enim ſunt omnes, ferè jam ad tria capita; nempè ad virtutes Theologicas tres. Siquidem, ſi gratiam habitualem quis aſſerat, idem re eſſe cum charitate, non quatuor jam ſunt, ſed ſolùm tres entitates. Si deindè virtutes quatuor morales, aliaſque eis adjunctas, quis neget eſſe infuſas; & ſolùm dicat eſſe ſupernaturales propter dictamen rationis divinæ, per fidem cognitæ, ut ſupra eſt explicatum: Stat ſemper ſupernaturalium phyſicarum entitatum ternarius numerus; qui etiam ſervatur, ſi dona quis dicat, idem eſſe cum virtutibus ſeptem, ut explicatum eſt, ſolo addito vehementi (qualis nempè requiritur ad actus heroicos) motu divinæ inſpirationis. Ac demùm ſupererit idem ternarius illæſus, ſi characteres tres Baptiſmi, Confirmationis, & Ordinis ponantur juxta dicta num. 7. in poteſtate, collata homini, abſque nova entitate inducta, ſed cum ſola relatione. Poſito autem ſolo entitatum ſupernaturalium ternario; non erit difficile explicare, quid illæ ſint phyſicè ſub analogia lucis ex dictis à num. 3. itemque à num. 12.*

10. Ex hoc num. 26, nemo eſt, qui non videat, Maigna-

gnanum ſubſcribere ſententiæ de phyſica entitate gratiæ creatæ, & receptæ in anima; &, ne multiplicentur entitates iſtæ ſupernaturales in negotio ſanctificationis animæ, omnes reducit ad ternarium numerum virtutum theologicarum, ut ipſe hoc capite explicat. Dicere ergo, gratiam ſanctificantem non eſſe entitatem in anima receptam, non eſt loqui ad ſenſum, & mentem Maignani. At dicet forſitàn quis Maignanum hìc locis citatis non fuiſſe locutum deciſivè, nam eodem num.26. in fine ait: *Et de his modò ſatis, quia non eſt hujus loci; & ego ſolùm ex occaſione, ut monui n.1.* Videantur loca ſecundæ par. ſuæ phil. ſac. quæ eſt proprius ei de gratia locus.

11. Inter loca ſecundæ partis cum locis primæ conferenda ſit propoſitio 11. ubi oſtendit, quod gratia habitualis detur, & per totam legenti conſtat apud eum, gratiam eſſe entitatem ſupernaturalem receptam, quod clarè patet num.20. ubi demonſtrat, gratiam dari parvulis, & omnibus ritè ſuſcipientibus ſacramenta gratiam conferri, ut eiſdem detur Spiritus Sanctus.

12. Item propoſitione 16. quo loco aſſignat phyſicam cauſam effectivam gratiæ juſtificantis, nempè Deum Creatorem. Prop.17. clariſſimè probat, gratiam ſanctificantem creari à Deo, cujus titulus hic eſt. *Habitualis gratiæ cauſa materialis per modum ſubjecti ex quo nulla eſt, ſed ſolùm per modum ſubjecti in quo; eaque eſt ſubſtantia animæ rationalis;* & relinquendo hujus propoſitionis probationem à quocumque legendam, ſolùm in medium profero, quæ dicit num.9. *Ex his confirmatur propoſitio præcedens, quâ dicitur, gratiam habitualem juſtificantem, à Deo Creatore infundendam fieri actione, quæ ſit propriè creativa; ideſt ex nihilo adæquato ſui: Et, quod indè ſequitur, ex nihilo ſubjecti ex quo; quatenus nullum illi tale ſubjectum eſſe poteſt; ſive animæ ſubſtantiæ, ſive ejus potentiæ: eò quod animæ v.g. eſſe eſt nihil gratiæ; ut & viciſſim gratia ſecundum ſuum eſſe eſt nihil animæ, &c. Diſtin-*

guuntur enim hac adæquatè ſecundum ſuum eſſe; cum tamen neceſſe ſit, ut quod non ex nihilo ſubjecti ſit, fiat ex aliquo ſubjecti, ſive ex toto ſubjecto; quo illi eatenus, vel ſecundum ſe totum, vel ſecundum aliquid ſui verè, atque realiter ex vi definitionis, inſit, tanquam eſſe totum, vel tanquam aliquid ejus, ipſique intrinſecum; ex quo ſcilicet intrinſecè fiat: præſertim, cum, ut communiter etiam docetur, cauſa materialis ex qua (ut & cauſa formalis) ad aliarum cauſarum, quæ ſunt efficiens, finalis, exemplaris diſcrimen; ſit cauſa intrinſeca; nempè intrinſeca ſuo cauſato; cui enim ſi non illi? Ideò autem dicitur cauſa intrinſeca, quia eſſe ſuum proprium confert cauſando ex vi modi proprii cauſandi; cum efficiens, &c. conferat eſſe diverſum à ſuo, & ſimiliter finalis, & exemplaris. Cum ergo nec anima, nec ejus voluntas, nec aliud quid habituali gratiæ juſtificanti conferat, vel conferre poſſit influxu cauſativo ſuo quocumque, ſuum proprium eſſe; quippè cum ab hujuſmodi cauſis quibuſcumque gratia diſtingnatur ſecundum eſſe ſuum totum phyſicum adæquatè ſumptum; at aliundè ſupponatur habere eſſe, ut ſpiritale ita ſimplex: impoſſibile eſt, ut fiat ex aliquo præjacente ſubjecto. Adeòque iſtud unicum illi ſupereſt, ut (quemadmodum fert propoſitio confirmanda) à ſolo Deo, & ſola creatione propriè dicta fieri poſſe.

13. Quis ergo erit, qui dubitabit, an Maignan docuerit, gratiam juſtificantem eſſe aliquam phyſicam entitatem, phyſicè productam à Deo in anima; niſi dubitaverit, an creatione propriè dicta, prout opponitur generationi, fiat aliquid ſecundum eſſe, & in entitate de novo; At hoc dubium, cum ſit mentis potiùs inſania, quàm dubitatio, ſequitur dubitationi non eſſe locum, Maignanum docuiſſe ſanctificationem habitualem animæ fieri vi entitatis ſupernaturalis, ſpiritalis receptæ in anima. Ne autem credat Maignanum admittere accidentia hoc caſu peripatetico more, legatur propoſitio ſequens 18. quam totam exſcribo, cujuſque titulus eſt: *Habituali gratiæ juſtificanti propriè conve-*

venit eſſe accidens, eſſe formam, eſse qualitatem , quod ab eo probatur: *Cum habitualis gratia juſtificans habeat ex dictis prop.17. ſubjectum in quo , & conſequenter ſubjectum informationis licet non eductionis, & ex quo; habet eatenùs rationem formæ, etiam propriè, nempè tàm propriè , quàm propriè habet ſubjectum in quo, cui infunditur , quod , & gratum Deo facit, juſtificat, &c. Cum autem ita ſit forma , ut non ſit eſſentialis ſubjecto, quod informat; eſt hoc ipſo eidem accidentalis: Imò eatenùs eſt revera accidens, & quidem ſecundum utranque accidentis definitionem Porphyrianam ſcilicet, atque Ariſtotelicam , de quibus actum eſt in philoſoph. En. cap. 7. nam quoad primam adeſse poteſt animæ , atque abeſse ab eadem abſque ejus corruptione : Et quoad ſecundam , quæ ſic ſe habet, in ſubjecto eſse dico, quod in aliquo quidem eſt, & non, uti pars: Vt ſit autem ſeorſim ab eo, in quo ineſt, fieri nequit . Jam primò habemus, gratiam eſse in anima; & ſecundò ſat conſtat, illam ſic eſse in anima, ut non ſit ejus pars : Ac tertio ſic item eſse in anima, ut extra eam eſse nequeat, ſaltèm de lege ordinaria. Præterea, gratiam habitualem eſse propriè qualitatem facilè intelligitur ex eo quod non modò ariſtotelica definitio qualitatis, ſed etiam alia magis idonea; de quibus in phil. entis cap. 9. conveniant; quatenus per gratiam anima eſt qualis, ſeù potiùs talis nempè grata Deo, ſancta, &c.*

14. Ex hac propoſitione ſat conſtat gratiam eſſe accidens non tamen excludentem eſſe ſubſtantiale , ut dicebam num. 6. eo modo, quo lux eſt ſubſtantialis defluxus , etſi aeri, criſtallo ſit accidens, quatenus ea præſupponit conſtituta, & conſequenter non pertinet ad ea conſtituenda ; Et miror quoſdam, quos audivi, prætendere, Maignanum docuiſſe gratiam ſanctificantem conſiſtere in quadam Spiritus Sancti operatione, decepti forſitàn, quia cum non legerint loca citata à Nobis, idem ſentiret de gratia habituali , quod legerant ſentiiſſe de lumine gloriæ. At latum diſcrimen à nobis allatum num. 8.

15. Cum ergo de mente Doctoris dubitandum non ſit, ſolvere ſolùm reſtat rationes, quibus movetur, Author opuſculi philoſophico-Theologici de gratia ad aſſerendum, gratiam habitualem conſiſtere in quadam operatione Spiritus Sancti, quem anonymum authorem num. 4. dicebam, Maignaniſtam eſſe. Omnes rationes, quas adducit ſex articulis breviter in ſumma perſtringam; quarum idonea, ut ſpero ſolutione conſtabit nunquam ſequi, gratiam non eſſe aliquid animæ infuſum habituale, permanens ex natura ſua.

16. Articulo primo num. 103. docet, poſſe acquiri habitum ſupernaturalem per actus ſupernaturales, & indè ait; quod gratia actualis, cum ſit explicata per actualem divinam illuminationem, quam, ſi cogitamus repeti à Deo, ac reimprimi ſæpè in anima, anima acquirit habitum ad tales actus, qui fuerint eliciti propter repetitionem impreſſam talis illuminationis: Deus autem poteſt efficere per unicam illuminationem quidquid per plures iteratas efficeret; Hinc habetur qualiter Deus poſſit ſtatim communicare animæ quemcunque habitum, qui in hoc caſu non vocabitur acquiſitus, ſed infuſus.

17. Num. 104. Illuminationem habitualem vocat, quæ repetitis multis actualibus æquivalet, & per eam contendit explicare noſtram ſanctitatem. Et quia hujuſmodi impreſſionis capax eſt anima, tàm in adultis, quàm parvulis, tàm vigilantibus, quàm dormientiebus, tàm amentibus, quàm rationis compotibus, concludit facilè ſalvari poſſe, quod à Tridentino definitur, ſcilicet per baptiſmum non tantùm remitti culpam, ſed infundi gratiam, & virtutes, eſſeque quid permanens in anima juſti, ſeù vigilantis, ſeù dormientis.

18. Num. 106. aliqua profert argumenta, quibus putat monſtrare non eſſe entitatem aliquam productam, qualem, & qualiter vulgò putant theologi produci; Nam ſeque-

quæreretur (& eſt primum argumentum) ſi gratia phyſica entitas eſſet trahere infinitas entitates, ſecum phyſicè producendas, puta virtutes theologicas, morales ſecundum omnes earum diviſiones, & ſubdiviſiones, quarum numerum nemo eſt, qui neſciat.

19. Num.110.probat 2. à pari gratiæ actualis, quæ, cum non ſit entitas aliqua diſtincta; ergo neque opus eſt entitate diſtincta ad explicandam gratiam habitualem.

20. Num.111. Comparat illuminationem habitualem ſupernaturalem cum illuminatione naturali, nobis pariter divinitùs communicata; at hæc non eſt animæ ſuperaddita; ergo neque illa.

21. Num.112. Moratur oſtendendo turpiter philoſophos loquendi formulis abſtractis induci ad cogitandas res, illis ſubſtratas. At hoc eſt illi in particulari caſu probandum.

22. Num.113. oſtendit, nos non habere efficacem rationem gratiam eſſe quid phyſicum, eo quia effectus gratiæ ſint phyſici. Et num.114. dicit ſtatum animæ ſupernaturalem non importare aliquid entitativum; cum neque, ut ait num.115. ſtatus filiationis naturalis aliud eſt, niſi anima ipſa formata ad imaginem Dei.

23. Num.116. refert objectiones ductas à ratione gratiæ productæ, & principii ſupernaturalis operativè remoti, quæ omnia num.117. & 118. ſeù ultimo putat diſſolvere.

24. Reſpondetur ad ſingula, & primò ad num.103. Male vocat gratiam habitualem illuminationem impreſſam, quamvis iteratam à Deo; ergo ex eo quod gratia actualis explicata ſit per actualem illuminationem divinam, non ſequitur gratiam habitualem eſſe illuminationem habitualem; quod oſtenditur, & reſpondetur ſimul ad num.104. nam illuminatio, quæ pluribus æquivalet idem eſt, ac fortior illuminatio, quæ eſſe poteſt etiam actualis: Si enim illuminatio actualis ad ſanctè cogitandum, & ſanctè volendum fortior,

tior, & vividior tanta eſſet, ut æquivaleret illuminationibus tribus languidis; Jam illa his æquivaleret: Eſſet autem actualis non habitualis. Et in naturalibus æquè poteſt acquiri habitus per actiones duas, aut tres vehementiores, quam per decem v.g. languidiores. Habitus itaque cum generetur ex actibus poteſt multò celeriùs acquiri per actus vividiores, quàm per debiliores, hocque ſenſu illuminatio una poteſt æquivalere pluribus; Non tamen ex hoc habetur, quod ſit, & vocari poſſit habitualis. Ut ſit ergo habitualis in caſu noſtro, debet eſſe quid permanens in anima per modum principii remoti ſupernaturalis, dignificativi, infuſi, ut loquitur Tridentinum, quod verificari nequit, ſi gratia habitualis eſſet motio Spiritus Sancti, cujus non eſt capax anima pueruli. Hæc motio ex parte Dei moventis eſt actus; ergo ex parte quoque animæ motæ eſt actus, ſeù motio logicè recepta in anima, ideſt, quatenus prædicatur de anima, quod ſit mota à Deo. Item motio eſt ad operandum; gratia de ſe non eſt propriè ad operandum, cum ipſa non ſit, ſecluſa gratia actuali, activa. Ulterius motio illa paſſivè ſumpta, non poteſt explicare rationem habitus ſupernaturalis; licet enim naturales habitus ex Maignano conſiſtant in veſtigiis quibuſdam, relictis in potentia, ex objectorum impreſſionibus; tamen id dici nequit de ſupernaturali habitu, nam hic non inclinat ſubjectum, cui ineſt; ergo, neque explicari poteſt per propenſionem ex motione divina.

25. Ad num. 106. Jam patet ex Maignano, demeſſam eſſe ſegetem accidentalium entitatum, cum ſint reductæ ad numerum ternarium, quod notabam ex eodem num. 9. ergo non ſequitur, quod ſi gratia eſſet phyſica entitas, traheret ſecum innumeras entitates phyſicè producendas.

26. Ad num. 110. nego paritatem, nam gratia actualis eſt ad operandum; gratia verò habitualis eſt ad dignificandam animam, ut per eam inhabitet Spiritus Sanctus, & ſolùm habet rationem principii operativi remoti.

27. Ad num. 111. non benè arguitur, eo quia illuminatio naturalis univerſalis paſſivè ſumpta non diſtinguitur ab anima, quod neque ſit diſtincta illuminatio habitualis ſupernaturalis. Imò efformo argumentum contra ipſum, nam ſicut illuminatione naturali univerſali reſpondet, tanquam terminus productus ipſamet anima creata, quæ eſt lumen naturale; ita illuminationi ſupernaturali habituali, activè ſumptæ, debet reſpondere terminus ſupernaturalis productus, in eadem anima receptus, quique vocatur gratia ſanctificans. Ad num. 112. jam reſponſum eſt ſupra num. 21.

28. Ad num. *113.* & *114.* reſpondeo, ſtatum animæ ſupernaturalem quoad ſanctificationem importare aliquid neceſſariò ſuperadditum, tùm per ea, quæ affert Maignan, ſuis locis videnda; tùm quia ſtatus filiationis naturalis (& reſpondetur ad num. *115.*) licet nihil ſit, niſi anima ipſa formata ad imaginem Dei; ſic quoque ſtatus filiationis ſupernaturalis, nihil aliud eſt, niſi ternarius numerus virtutum theologicarum, in quo reſplendet ſupernaturalis Divinitatis imago.

29. Ad num. *116.* in quo refert objectiones, ductas à ratione gratiæ productæ, & principii ſupernaturalis operativi remoti, quas putat diſſolvere num. 117. & 118. reſpondeo breviter, nuſquam ab eo probari, gratiam non eſſe diſtinctam ab anima, ſicuti hæc diſtinguitur à corpore; nam, ſicut anima de fide creatur, ſic quoque gratia verè infunditur phyſicè, & conſequenter verè creatur. Item non enim nos dicimus, ſupernaturalitatem gratiæ importare veram productionem, nam gratia actualis eſt verè ſupernaturalis, & veram productionem minimè importat; ſed ſolùm dico ex ſupernaturalitate permanente per modum principii operativi remoti, & propriè primò per ſe dignificativi animæ, vi cujus eidem animæ datur condignitas in merito operationis, inferri, gratiam eſſe aliquid animæ infuſum verè, & propriè; itaut anima ſit verè, & propriè ſubjectum, in quo,

ut aſſerit Maignan citatus num. 12. videamus,quæ congerit art. 2.

30. Art. 2. oſtendit quid rei phyſicè ſit, gratiam habitualem recipi, & manere in anima; & ad excluſionem entitatis productæ num. 123. exponit, noſtram juſtificationem importare divinam inhabitationem. Ejus pr.ratio num.124. hæc eſt. Anima, quæ habet Deum non inactivè, ſed activè, & ſpecialiter, ſupernaturaliter inhabitantem, obtinet omnem effectum veræ gratiæ habitualis;nam hoc ipſo unit animam ſibi, & unitam illuminat, & illuminatam aſſimilat, & aſſimilatam affiliat. Probat iſte author, poſſe Deum hoc totum præſtare absque entitate producta, & recepta ex eo quod talis inhabitatio ſit per ſeipſam ſufficienter operativa effectuum, ad quos ordinatur; quod exemplificat à luce ſolari, quæ non æget alia luce ad mundum illuminandum;ergo Deus, infert, ex vi iſtius ſolius inhabitationis, ſeù ex vi iſtius ſolius lucis inhabitantis illuminat animam, videlicet habitualiter ſupernaturaliter.

31. Sed reſpondeo non per hoc haberi effigiem permanentem divinæ lucis, & divinæ ſanctitatis, ſi excludatur entitas ſupernaturalis diſtincta, recepta in anima; nam modus loquendi Conciliorum, & Sanctorum Patrum indicat hujus entitatis neceſſitatem, tanquam prævia diſpoſitionis ad inhabitationem Spiritus Sancti; quæ omnia perſequitur Maignan ſuis locis.

32. Secunda ejus ratio num. 128. hæc eſt, ſcilicet, poteſt anima conſequi abſque tali entitate producta ſtatus divini formam, qua ſit conſors naturæ divinæ, qua inſtituitur hæres regni cæleſtis, & probat, quatenùs unaquæque res ſtatus ſui naturalis formam habet, non ideò tamen productam ſeorſim, aut diſtinctam; alioquin poſſet produci à Deo aliqua res abſque forma ſtatus ſui naturalis; quod dicit repugnare, quia non poteſt Deus conferre cuivis rei ſuum eſſe, quin ei conferat tale eſſe; & iſtam talitatem vocat

Digitized by Google

cat formam ſtatus naturalis rei productæ.

33. Reſpondeo concedendo ſtatum naturalem rèi non diſtingui ab ipſa re, ſi pro ſtatu, & forma ſtatus ſumitur talitas eſſendi; at probandum eſſet talitatem eſſendi animæ gratificatæ eſſe formam ſtatus ſupernaturalis, de quo loquimùr. Licet enim verum ſit quandoque etiam in ſupernaturalibus formam ſtatus non diſtingui ab ipſa re, cujus dicitur ſtatus, v. g. lumen gloriæ non diſtinguitur ab intellectu elevato, prout elevato, in quo nihil aliud includitur, niſi motio Spiritus Sancti, paſſivè accepta; at id non poteſt etiam dici de gratia habituali, tùm ob ea, quæ habet Maignan, quæque legi poſſunt, tùm ob modum loquendi Conciliorum, tùm ob ea, quæ notavi num. 8. ſcilicet, gratiam, non tàm dari ad operandum, quàm ad dignificandam animam, veluti permanens character divinæ amicitiæ. Lumen autem gloriæ ſolùm tribuitur propter operari; igitur plura ſunt diſcriminis capita. Habemus quoque exemplum in naturalibus, & corporeis, quorum aliqua ſtatum habent eſſendi, cujus forma non diſtinguitur à ſubjecto, cujus dicitur ſtatus, & forma ſtatus, v. g. album non importat diſtinctionem albedinis à ſubjecto, quaſi quod ſtatus eſſendi albus ſit per formam ſuperadditam eſſendi; & hoc in philoſophia recentiori, quam ſequitur author iſte. Alia ſunt, quorum ſtatus importat neceſſariò partium phyſicam conjunctionem v. g. aer luminoſus: hic nempè illuminatus, prout ſub hoc ſtatu illuminati duarum rerum phyſicam conjunctionem importat, videlicet ſuipſius, & lucis, à Sole derivatæ. Non mirum ergo eamdem diſparitatem etiam eſſe in ſupernaturalibus.

34. Cætera, quæ perſequitur in hoc art. 2. relinquo, utpote, quia ſolùm incumbit objectionibus ſolvendis, quæ ſolutiones non aliquid momenti habent, ut cogar in eiſdem refellendis tempus inſumere, eo magis quia per tempus non vacat, dicturus aliqua circa reliquos ejus articulos.

35. Art. 3. oſtendit quid rei phyſicæ ſit gratiam habitua-

tualem amitti, & docet, nihil aliud importare, niſi Dei ab anima diſceſſionem, quæ eſt ceſſatio intimæ ſupernaturalis, & habitualis divinæ inhabitationis abſque recurſu ad deſtructionem ullius phyſicæ entitatis. Hujus plura aſſignat motiva. Primum eſt, quod, quamvis deſtructa ſupponatur entitas illa, ſalvatur nihilominùs quidquid ſpectat ad omnem ſeriem effectuum gratiæ, dummodo ſit ſalva iſta divina inhabitatio. Alterum deſumit ex oppoſitione, quæ eſt inter receptionem gratiæ habitualis, & amiſſionem ejuſdem; & quia receptio gratiæ eſt quædam creatio, ſic amiſſio, eſt quædam annihilatio; ſed receptio gratiæ non eſt, niſi creatio ſtatus ſupernaturalis; ergo intelligitur amisſio per annihilationem iſtius ſtatus, ad quam explicandam ſatis eſt, ſi adducitur ceſſatio illius divinæ inhabitationis. Tertium motivum ſuggerit ex inasſignabilitate cauſæ, quæ deſtruat entitatem illam, quæ vocatur gratia.

36. Reſpondeo ad primum, gratiam phyſicè productam eſſe diſpoſitionem præviam, ut inhabitet Spiritus Sanctus, quatenus hic inhabitat animam in termino gratiæ productæ in anima, hæcque inhabitatio ſimul cum entitate gratiæ conſtituit gratiam adæquatè acceptam. Ad ſecundum dictum eſt num. præcedenti, ſtatum illum, ratione cujus anima evadit nova creatura, ſcilicet, ſupernaturalis, importare ex vi, & modo loquendi Scripturarum, & Conciliorum novam novæ entitatis poſitionem in anima. Ad tertium dico, Deum ſolùm deſtruere gratiam, accedente peccato; non enim peccatum poteſt deſtruere phyſicè gratiam, quia ſunt in diverſo ordine, ſed ex pacto divino, poſito uno peccato, ſtatim ceſſat gratia, & Deus recedit ab anima juxta illud, quod legitur Deuteron. 31. *Populus iſte derelinquet me, & irritum faciet fœdus, quod pepigi cum eo, & iraſcetur furor meus contra eum, & derelinquam eum.*

37. Art. 4. conatur inſinuare quid rei phyſicæ ſit gratiam habitualem eſſe ſanctificativam animæ, in qua recipi-

tur, pluribusque rationibus oſtendit, non poſſe animam ſanctificari ab aliqua entitate in anima producta.

38. Prima ratio hæc eſt: num. 163. Non poteſt anima ſanctificari, niſi per actionem, cui conveniat verè eſſe ſanctificativam; at nulli actioni, niſi divinæ convenit eſſe verè ſanctificativam, quia talis actio, non poteſt eſſe, niſi agentis, non ſolùm propriè ſancti, ſed inſuper volentis communicare ſuam ſanctitatem; Igitur non poteſt anima ſanctificari, niſi per actionem aliquam divinam.

39. Secunda ratio num. 164. ſanctitas animæ non eſt affectus ad ſanctè vivendum, qualiſcumque materialiter acceptus, ſed acceptus formaliter, ideſt cognitus, & amatus; ubi loquitur de ſanctitate adultorum. At talis affectus, ſecundum quod eſt cognitus, & amatus non poteſt communicari, niſi per operationem divinam, qua videlicet manifeſtetur animæ quam bonus, quam appetendus ſit ille affectus, quam gratus, &c. Quia enim omnis receptio, quæ fit in anima eſt quædam intellectuatio; hinc fit, ut receptio prædicti affectus nihil ſit, niſi illuminatio paſſiva, per quam anima inclinatur, & novit, & conſentit, ſe inclinari ad actus, tali affectui virtuoſo correſpondentes. Hæc autem illuminatio paſſiva fit per activam, quæ in Deo, & à Deo eſt, & ſanctificat animam: cætera ſubnectit, quæ relinquo.

40. Tertia ratio num. 165. Nihil, quod non ſit ſanctum, ſanctificare poteſt animam, ſicut nihil, quod non ſit divinum deificare illam poteſt; at entitas à Deo pro anima ſanctificanda producta non eſt ſancta ad eundem modum, quo non eſt credens, non eſt ſperans, non eſt humilis, non eſt patiens, quia omnis tùm cognitionis, tùm amoris eſt expers, imò incapax; ergo ſanctificare non poteſt animam.

41. Quarta ratio ejus num. 166. hæc eſt: ſi anima ſanctificatur per entitatem de qua agitur, iſta entitas, vel retinet ſanctitatem, quam confert; vel confert, ſed non retinet; atqui neutrum poteſt admitti; & primò quidem non retinet,

quia, ſi retineret, non conferret: undè ipſa quidem maneret ſancta, ſed anima non evaderet ſancta propter illam. Secundò, ſi confert ſanctitatem, ſed non retinet; nunquid hoc ipſo, quod ſanctitatem contuliſſet, otiosè, & inutiliter remaneret in anima? Quid ergo evaderet iſta entitas poſtquam per elargitionem ſuæ ſanctitatis evaſiſſet non ſancta?

42. Reſpondetur ad primam concedendo majorem, & minorem, & diſtinguo conſequens: igitur non poteſt anima ſanctificari efficienter, niſi per actionem divinam, concedo conſequentiam; non poteſt ſanctificari formaliter, niſi per actionem; nego conſequentiam. Non deſunt ex peripateticis exempla, v. g. albedo albificat parietem formaliter, non efficienter, ſic gratia gratificat formaliter animam, non efficienter. Solus Deus eſt cauſa efficiens noſtræ ſanctificationis; at dubium eſt, an id efficiat productione alicujus novi termini in anima, ratione cujus dicatur nova creatura. Quod verò hæc forma minimè ſit neceſſaria non probatur neque in ſecunda ratione, ad quam reſpondeo, ſanctificationem animæ uno eodemque modo contingere in adultis, ac in parvulis; undè non approbo, quod dicit, nempè animam inclinari, & noſcere ſe inclinari ad actus, affectui ſupernaturali correſpondentes, primò quia falſum eſt de parvulis, pro quibus abſurdum eſt dicere, inclinari, & noſcere, ſe inclinari, & conſequenter abſurdum eſt dicere, eorum ſanctitatem eſſe affectum ad ſanctè vivendum formaliter acceptum, ideſt, cognitum, & amatum. Secundò gratia habitualis, cum ſit ſupernaturalis, non inclinat, nec eſt de ſe operativa abſque incentivo gratiæ actualis, ut paſſim docent Theologi.

43. Ad tertiam dico gratiam non eſſe ſanctam, non eo prætextu, ut ipſe dicit quo non eſt credens, nec ſperans, &c. nam hoc modo neque ſanctificatio parvulorum eſſet vera ſanctificatio, quia ſunt incapaces cognitionis, & amoris; ergo ſanctificari non poſſent. Solùm dico non eſſe ſanctam eo

modo

modo, quo albedo non eſt alba, ſed formaliter facit album, anima non eſt animata, ſed animat. Ita entitas illa ſupernaturalis eſt ſanctitas non ſancta, ſeù ſancta, ut quo, non ſancta ut quod. Quod autem hæc diſtinctio uſurpetur hìc, non autem in aliis myſteriis ſupernaturalibus explicandis, non eſt ex regula philoſophica generali, cum omnes iſtas formas in philoſophicis exterminandas eſſe exiſtimamus. At ob Conciliorum loquendi modos, & ad ſalvandum, uniuſmodi ſanctificationem evenire in parvulis, ac adultis, ideò cogimur admittere ſanctificationem formalem.

44. Ad quartam dico dilemma non eſſe ſufficiens, nam entitas, de qua agitur, cum ſit ſanctitas, confert ſanctitatem formaliter, quatenus, ea poſita in anima intelligitur Spiritus Sanctus inhabitare in ea. Non enim recurro ad actionem hujus entitatis, quaſi agat in animam, cui eſt conjuncta, nam, ut dictum eſt, gratia habitualis non eſt operativa; ſecluſa gratia actuali; igitur ipſa, ut ipſa non exercet actionem aliquam.

45. Articulo quinto ſtudet ſolvere quidquid dici poteſt in favorem entitatis productæ; At abſit verbo invidiæ, an benè loca Tridentini explicet, viderit ipſe. Hìc enim ego ex tempore hanc materiam aſſumpſi diſputandam, nec animus fuit contra virum hunc calamum invehere. Sed quidquid dixi raptim dictum eſt: ſolummodò mens mea fuit, oſtendere id non poſſe dici ad mentem Maignani, ut conſtat per loca ſupracitata. Videamus ergo, quæ ſubdit art. 6.

46. Articulo hoc prætendit veriùs explicari quidquid ſpectat ad gratiam habitualem ponendo, quod non ſit accidens productum; licet ipſe ſumat accidens in ſenſu theologico Ariſtotelico. Sed hoc parùm ad principale quæſtionis, profertque ſex argumenta. Primum eſt: Sanctificatio habitualis apud Theologos ſcholaſticos eſt ſupernaturalis animæ creatio, pro qua expreſſit Apoſtolus ad Gal. 5. *In Chriſto Jeſu, neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed no-*

va creatura. Et ad Epheſ.4. *Induite novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt*; ſed,ſi naturalis creatio animæ nullam importat productionem entitatis ab ipſa diſtinctæ,nullam quoque importat ſupernaturalis creatio ejuſdẽ animæ.

47. Secundum argumentum eruit ex verbis illis ſecunda Pet. 1. *Per quem* (Chriſtum) *maxima, & pretioſa nobis promiſſa donavit; ut per hoc efficiamini divinæ conſortes naturæ*. Ex quo loco habetur vi gratiæ divinæ habitualis felix illud conſortium quo anima fit particeps divinitatis,ſed hoc conſortium non poteſt fieri per gratiæ entitatem diſtinctam, quod probat quia principium ſupernaturale operativum, quod animæ communicatur debet eſſe principium intellectivum, alioqui non eſſet ſimile principio divino ſupernaturali operativo. Secundò, quia principium operativum eſt intrinſecum operanti, ac proindè etiam indiſtinctum: Talis autem entitas diſtinguitur entitativè ab anima, quantumcumque animæ inſerta, undè concludit non poſſe explicari participationem, quæ fit in ea naturæ divinæ.

48. Argumentum tertium deducit ex iis ſacræ ſcripturæ locis, quibus exponitur noſtra juſtificatio per adventum Dei in animam, & ejuſdem manſionem in ea, quod totum non poteſt fieri per entitatem gratiæ,ſed prætendit evenire vi ſolius operationis divinæ.

49. Argumentum quartum depromit ex verbis 1 Joan. 3. *videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut Filii Dei nominemur, & ſimus*; nam putat, per affectum charitatis ſupernaturalem, qui inter cæteros eminet ſub ſanctitatis nomine; nullatenus verò per entitatem ullam animam affiliari Deo. Sic itaque ratiocinatur: Anima eſt naturaliter filia Dei non propter entitatem ullam extraneam, ſibi inſertam, ſed propter ſuam intrinſecam intellectualitatem affectam ad omne bonum ordinis naturalis. Secundò paritate prorſus oppoſita filiationi divinæ, ſecundùm quam nempè peccatores nominantur filii diaboli; ſed filiatio diabolica non impor-

portat aliquam entitatem in anima productam, ſed pravos affectus ad peccandum, a diabolo utcumque impreſſos.

50. Argumentum quintum ſic procedit: Id per quod anima eſt verè grata Deo, eſt id propter quod Deus verè ſibi in illa complacet; atqui, quamvis hæc entitas produceretur in anima, Deus non ſibi complaceret in eadem, quia non poteſt ſibi complacere propter aliquid, quod nihil eſt animæ, ſed totum eſt alienum ab illa.

51. Argumentum ſextum: Sanctificatio eſt mutatio quædam animæ intellectualis, & ſupernaturalis; at entitas illa non poteſt eſſe cauſa mutationis, &c. nam, quatenus intellectualis, exigit in mutante actionem intellectuandi; quatenus ſupernaturalis terminatur ad illuminationem ſupernaturalem paſſivam animæ, quæ omnia non competunt ulli entitati productæ, & receptæ. Ad ſingula breviter.

52. Ad primùm puto de facili ſolvi, ſolùm conſiderando paritatem, nam, ſi naturalis creatio animæ importat productionem ipſius animæ; ergo ſupernaturalis creatio ejuſdem animæ importat novam entitatem, cum anima conjunctam; Neque obſtat, quod ait num. 213. nam non eſt opus in creatione ſupernaturali creari aliquid, quod ſit eadem anima; Imò è contra, ex eo quia eſt quid ſupernaturale, non debet eſſe, niſi aliquid ſupra animam; ſi verè, & propriè creatio eſt.

53. Ad ſecundum optimè ſatisfit dicendo, conſortium divinitatis optimè fieri poſſe per entitatem, &c. nam gratia non eſt principium operativum in animam, ſic quippè deberet eſſe intrinſecum; ſed eſt tantùm dignificativum, etſi operativum dicatur, nonniſi remotum, quatenus jure gratiæ habitualis debentur auxilia ſupernaturalia. Quod patet de lumine gloriæ, quod non eſt diſtinctum ab anima prout elevata, quia lumen gloriæ debet eſſe ratio agendi ipſi animæ; quod, cum non conveniat gratiæ habituali, non ſequitur; &c.

Ad

54. Ad tertium,& quartū reſpondeo;quod licet anima ſit naturaliter filia Dei propter ſuam intellectualitatem; tamen ex hoc eodem capite non poteſt eſſe filia Dei ſupernaturaliter, niſi propter aliquam intellectualitatem ſupernaturalem creatam, puta habitum fidei,ſpei,& charitatis. Ad paritatem deſumptam à peccatoribus, qui vocantur filii diaboli non eſt, quod ultra reſpondeam, niſi monendo ſtatum ſupernaturalem eſſe poſitivum, & infuſum; ſtatum verò peccaminoſum eſſe defectuoſum, nec importare novam entitatem. Quod patet de parvulis, qui ſunt filii iræ, nec habent pravos affectus, à diabolo ſuggeſtos.

55. Ad quintum, & ſextum,Deum complacere ſibi in illa entitate, quæ, licet ſit nihil animæ, quatenus anima eſt; tamen eſt character divinæ inhabitationis. Neque opus eſt habere actionem intellectuandi, cum non ſit mutans affi cienter, ſed formaliter. Nec eſt ratio operativa, niſi remota, quatenus vi ejus tenetur Deus exhibere auxilia gratiarum actualium. Conſideranti omnia patent, nec eſt, ut immorer; nam, ut dicebam, ſcopus non eſt hunc virum impugnare, ſed ſolùm advertere ejus doctrinam ad mentem Maignani non eſſe.

56. Datur ergo aliquod ſubſtantiale ſupernaturale;ſed advertat Lector, id non ſolvere illam quæſtionem celebrem apud Theologos, an ſit poſſibilis ſubſtantia ſupernaturalis; nam aliud(ut vera, & certa ſecernamus à dubiis) eſt profectò in dubium vocare, an poſſibilis ſit ſubſtantia ſupernaturalis; aliud quærere utrum gratia ſanctificans ſit ſubſtantia. Hoc ſecundum pendet ex conceptu accidentium,ſeù ex notione, quam habemus de natura qualitatum; Cum ergo ex philoſophicis habeam, accidentia eſſe quandoque ſubſtantiales entitates accidentes;non mirum gratiam ſanctificantem eſſe ſubſtantiam, nam eo ipſo, quod eſt qualitas prætextu qualificandi animam, non excluditur conceptus implicitus entitativus, & identicus entis ſubſtantialis; proindeque

deque

Digitized by Google

deque certum eſt dari de facto ſubſtantiam in implicito,ſupernaturalem, & in explicito qualitatem. Primum verò oritur ex conceptu expreſſo ſubſtantiæ, cum ſumendo, quo ſubſtat accidentibus, ſeù ſuis proprietatibus,aut per potentiam naturalem receptivam, aut obedientialem, quo ſenſu militat quæſtio, v.g. ſi ſit poſſibilis ſubſtantia, quæ connaturaliter, tanquam ſuum accidens connaturale,lumen gloriæ e.g.recipiat; & in hoc ſenſu puto non implicare; & qui negant,nonniſi de vocibus litem habent. Non melius,quàm adverſantium argumenta proponendo, hujus opinionis veritas eluceſcere poteſt.

Poſſibilis eſt ſubſtantia ſupernaturalis.

57. SUpernaturale, ſcilicet, quod naturæ ſuperat jura, ipſique non eſt debitum, & quam elevare poteſt, duplex eſſe poteſt in præſenti, vel in ſubſtantia, & ſimpliciter dictum, vel in modo, & ſecundum quid, itaut ly *in ſubſtantia*,cum ſignificet ly *ſimpliciter*; ex oppoſito ly *in modo* in idem recidat,ſeù exponatur per ly *ſecundum quid*: & ne æquivocationem patiamur, ly *in ſubſtantia* coincidat cum ly *ſimpliciter*,& ly *in modo*, cum ly *ſecundum quid*; quod totum exemplo illuſtro. Si quis diceret lumen gloriæ nulli creaturæ de facto, & de poſſibili eſſe debitum; hoc ipſo lumen gloriæ eſt ſupernaturale in ſubſtantia, & ſimpliciter, quia reſpicit totam naturam creatam, & creabilem. Si autem quis propugnaret è contra, eſſe ſupernaturale lumen gloriæ creaturæ de facto exiſtenti, & pro hoc rerum ordine, & ſtatu, diceretur ſupernaturale ſecundum quid,ſeù ſupernaturale in modo juxta mox dicta.Hinc habetur, ſupernaturale non eſſe ſupra totam naturam: neque dicatur;ergo lumen gloriæ eſſet ſupernaturalē angelicum,eſſet ſupernaturalē humanum; nam id ultro concedo; Equidem nil indè ſequitur, niſi non eſſe ſupernaturale in ſubſtantia.

58. Dices ergo Angelus eſſet ſupernaturalis reſpectu muſcæ, quod abſurdum eſt. Reſpondetur, pravam eſſe illationē; nam vel ſequitur eo quia Angelus eſt perfectior muſca; vel quia muſca non poteſt aſſurgere ad faciendas operationes Angeli: Non ex primo, quia non dixi, ideò ſupernaturale, quia perfectiùs, & nobiliùs; ſed dictum eſt, cauſalem eſſe iſtam, quia non debitum, non exigitum; ſuperans ſua jura, &c. Non ex ſecundo, nam hoc modo etiam muſca dici poſſet ſupernaturalis reſpectu Angeli, quia Angelus non poteſt facere operationes naturales muſcæ; hoc ergo ſecundum nil aliud importat, quam diverſitatem ſpecificam in eſſendo ex ratione entis ſpecifici. Item ſupernaturale reſpicit ſubjectum receptivum obedientiale; Angelus autem non reſpicit muſcam, ut ſubjectum receptivum obedientiale; Solùm ergo importatur, Angelum ex gradu eſſendi ſpecifico importare majorem perfectionem, eximiam, & nobiliorem, quam importet muſca v. g. ex genere ſuo eſſendi ſpecifico differentiali.

59. Suppoſitis ergo ſupra traditis definitionibus & diviſionibus, ab omnibus, ut puto, admiſſis; nam Theologi omnes admittunt dona creata ſupernaturalia, & aliqui defendunt, dona ſupernaturalia in modo, & non in ſubſtantia, ut ſunt illi dicentes, poſſe dari creaturam connaturaliter videntem Deum; quorum ulteriùs quidam ſine lumine, alii cum lumine gloriæ; hi autem omnes negare nequeunt, poſſibilem eſſe ſubſtantiam ſupernaturalem creatam.

60. Ego autem, ſuppoſitis notatis num. , puto non implicare, nomine ſubſtantiæ intelligendo primam radicem eorum omnium, quæ ſunt in individuo. Ratio breviter ſic exponitur: Implicantia, quæ ab adverſariis affertur, per circulum oſtenditur; nam ideò accidens eſſe poteſt ſupernaturale, quia non eſt natura, ſed dicere, quod non eſt natura, eſt idem ac, quod non eſt ſubſtantia; ergo ideò accidens eſſe poteſt ſupernaturale, quia non eſt ſubſtantia; ergo ideò

ideò implicat, ſubſtantiam eſſe ſupernaturalem, quia non eſt accidens; ergo accidens poſſe eſſe ſupernaturale, probatur per hoc, quod non ſit ſubſtantia; ſed de hoc eſt quæſtio; ergo.

61. Cæterùm in rei veritate, alioque intellectu, accidentia ſunt natura, prout natura ſonat principium activum; quis enim negabit dicere, natura caloris, natura frigoris, albedinis, gratiæ; ergo, ſi accidentia, quæ ſunt natura hoc ſenſu poſſunt eſſe ſupernaturalia, poterit ſubſtantia, quæ eſt natura alia acceptione eſſe ſupernaturalis; probatur conſequentia, quia, ſubſtantiam eſſe naturam alio ſenſu, eſt eſſe radicem eorum omnium, quæ ſunt in individuo; at hoc nil aliud infert, quàm illam naturam non eſſe ſecundariam, & accidentalem,ſed primariam;ergo, ſi natura ſecundaria poteſt eſſe ſupernaturalis; natura primaria, quæ dicitur ſimpliciter natura, eſſe poteſt pariter ſupernaturalis. Videamus, quas repugnantias oſtendant adverſarii.

62. Georgius de Rhodes *diſp.2.* de Deo, *quæſt.1. ſect. 1.* pag.*34.* ſic probat impoſſibilitatem ſubſtantiæ ſupernaturalis: Si ſubſtantia ſupernaturalis daretur; ideò illa eſſet talis, quia convenirent ei accidentia ſupernaturalia; & accidentia dicerentur ſupernaturalia, quia convenirent ſubſtantiæ ſupernaturali; hoc dici non poteſt ſine vero circulo; ergo. Secundò ens ſupernaturale dicitur illud, quod excedit exigentiam omnis naturæ creabilis; nam, ſi excederet perfectionem tantùm naturæ creatæ, omnes creaturæ poſſibiles eſſent ſupernaturales reſpectu creatarum. Tertiò implicat id,quod eſt natura,eſſe ſupra naturam;omnis ſubſtantia eſt natura, & ens ſupernaturale eſt ſupra naturam; ergo implicat ſubſtantia ſupernaturalis. Major eſt nota;probatur minor:Illud eſt natura,quod eſt principium motus, & quietis ejus in quo eſt, &c. Nulla eſt ſubſtantia, quæ non ſit hujuſmodi principium; ergo nulla eſt, quæ non ſit natura.

63. Hæc argumenta evanida eſſe liquet ex eo, quia,

dum dico accidentia ſupernaturalia, intelligendum eſt reſpectu naturarum inferiorum, non autem reſpectu illius, cujus ſunt proprietates. Similiter, cum dicitur ſubſtantia ſupernaturalis, intelligo reſpectu accidentium ſupernaturalium non ſibi, ſed naturis inferioribus; aut intelligitur in ſenſu alienationis, quæ ſcilicet eſſent ſupernaturalia ſibi, non, quæ de facto, ut ſupponitur ſint. Undè ſubſtantia appellatur ſupernaturalis, quia ſunt ei proportionata accidentia ſupernaturalia; Accidentia verò dicuntur ſupernaturalia, non quia ſunt proportionata ſubſtantiæ, ſed quia ſunt ſupra naturas inferiores, licet debita illi. Cæterùm adhùc dici poſſent ſupernaturalia, quia ſubſtantiæ ſupernaturali conveniunt ad ſignificandum dari aliquod ſubjectum naturale receptivum accidentium ſupernaturalium; non ideò tamen eſſet circulus, quia aliundè conſtat debere dari hoc ſubjectum, reſpondens iſtis accidentibus.

64. Ad ſecundum negatur antecedens, & probationis ſequela: Etenim non dicitur ſupernaturale, quod eminet in perfectione ex vi præciſa gradus ſpecifici eſſendi, ſed illud, quoſt eſt independens à naturis inferioribus. Sic concedo, naturam ſuperiorem eſſe ſupernaturalem reſpectu inferioris, præſuppoſita poteſtate obedientiali in natura inferiori. Paucis verbis: Natura ſuperior tunc dicitur reſpectu inferioris ſupernaturalis, dum inferior aſſurgere poteſt ob potentiam obedientialem ad naturam ſuperiorem, ſeù ad ordinem ſuperiorem illius naturæ; aliter lumen gloriæ diceretur ſupernaturale reſpectu lapidis, cui tamen non eſt naturale, neque ſupernaturale, ſed diſparatum diſparatione principii.

65. Ad tertium dicitur, ſubſtantiam illam eſſe naturam ſupernaturalem, hicque terminus eſt reſpectivus in ordine ad naturas inferiores; undè, licet omnis ſubſtantia eſt natura, & ens ſupernaturale ſupra naturam; attamen natura illa eſset ſupernaturalis non ſibi, ſed aliis, quatenus illa acci-

den-

Digitized by Google

dentia, quæ ſunt reſpectu naturarum inferiorum ſupernaturalia, ſunt ipſi connaturaliter debita, atque proportionata. Objectiones ex aliis capitibus vide apud Authores ſolutas.

Caput Octavum.

De Proprietatibus Gratiæ habitualis Adæ.

1. NOn hìc loquor de illis proprietatibus conſtituendi ſubjectum gratia habituali decoratum, dignum amicitia Dei, Filium adoptivum, hæredem Regni, &c. nam etiam omnia dicta non pertinent ad eſſentiam apud eos, qui aſtruunt, poſſe gratiam divinitùs cohærere peccato mortali; Undè proprietates dici poſſunt. Solùm in præſenti ſermo eſt de gratiis actualibus, quas plures Theologi, & ſignanter Eminentiſſimus Sfondratus, vocant proprietatem gratiæ habitualis.

2. Has igitur gratias, vi gratiæ habitualis collatas fuiſſe Adæ copioſas, & affluenter, nemo negabit; nam Magiſter ſententiarum in 3. diſt. 2. inquit de Angelis: Angeli, qui natura magis ſubtiles, & ſapientia magis perſpicaces creati ſunt; hi etiam majoribus gratiæ muneribus præditi ſunt; & D. Thomas 1. par. quæſt. 62. art. 6. & quæſt. 63. art. 7. poſt multa: Angeli, qui meliorem naturam habuerunt, fortius, & efficaciùs ad Deum ſunt converſi; At in Adamo cum ſua gratia habituali erat maxima naturæ perfectio; non enim in eo erat, quo poſſet ad malum inclinari, nullum certamen, non ignorantia, non difficultas, non cupiditas; quæ omnia ſequebantur donum ſanctificativum in prima origine; ergo vi doni ſanctificantis in prima origine copioſiores gratiæ actuales debebantur, ultra illas titulo amicitiæ.

3. Quid verò fuerint gratiæ illæ actuales, pendet ex notione generali gratiæ divinæ, ut intelligitur à Theologis:

gis: Gratiam ſupernaturalem actualem internam communiter exiſtimant Theologi, eſſe vocationem, inſpirationem illuminationem, quibus verbis etiam utitur Tridentinum indè inferunt, eſſe actus vitales noſtros, ſcilicet, piam cogitationem, & indeliberatum bonæ voluntatis affectum.

4. Re autem perpenſa mihi videtur probabilior imò abſolutè vera, & demonſtrabilis ſententia Maignani, aſſerentis, gratiam prævenientem primam, non conſiſtere in actibus intellectus, & voluntatis quod evidenter probatur. Actus ſupernaturalis non poteſt fieri à potentia, non elevata, nec ſupernaturalizata in priori naturæ; ſed ſancta cogitatio, & ſancta inſpiratio ſunt actus ſupernaturales; ergo in priori naturæ ſupponunt potentiam proportionatam, ſcilicet, ſupernaturalem, & elevatam; ergo antecedenter ad cognitionem, & inſpirationem, debet præconcipi donum ſupernaturale Dei elevantis; ergo gratia prima præveniens non conſiſtit in actibus vitalibus; ſed in actione Dei, vi cujus erumpit intellectus in ſanctam cogitationem, & voluntas in ſanctam inſpirationem; ergo, &c. Argumentum Maignani afferam infra num. 11.

5. Cæterùm gratia actualis, qualitas, quod ſit, nulla ratione cogimur, ut indè collocetur in actibus vitalibus Adde nulla antecedens inter, & illationem relucet connexio; nam, dato, quod gratia actualis deberet eſſe qualita fluens; non ideò in actibus vitalibus collocanda. Dicerem itaque eſſe qualitatem tranſeuntem, & fluentem, non vitalem. Secundò, quo pacto conſtat actus vitales eſſe de genere qualitatis, & non potiùs actionis. Tertiò dico, gratiam actualem poſſe vocari qualitatem, quatenus denominat quale, ſcilicet, animam illuminatam. Dum autem illuminatam dico, ne opto, intelligatur formaliter vitaliter; ſic enim ſumerem actum vitalem; accipienda eſt ergo illuminatio, activè ſumpta, ex parte Dei illuminantis, cui reſpondet paſſivè intellectus illuminatus ad cogitandum, vi cujus cogitati o

gitatio producitur pia, ſeù fit anima ſanctè cogitans.

6. Nec eſt, ut quis inſurgat, aſſerens, gratiam actualem à Concilio Trid. vocari excitationem, locutionem, illuſtrationem; ſed illuſtratio, excitatio, locutio ſunt actus vitales, quibus excitamur, illuſtramur, nobis ipſis loquimur; ergo: fruſtra quidem inſurgit, nam Tridentinum intelligendum eſt de illuſtratione,excitatione, &c. effectivè ſumpta, & de locutione, prout diſtinguitur ab actu auditionis; Ea propter, ſi res perpendatur, noſtri actus vitales ſunt potiùs auditiones Dei loquentis, quàm locutiones exemplo illuſtrationis, & locutionis corporeæ. Qui profectò nos vocat, illuſtrat, non per actus noſtros, noſtrorum ſenſuum vocat,illuſtrat, &c. ergo à pari, nec ſimilitudo in aliquo deficit.

7. Miror autem, occaſione accepta, aliquos Theologos in materia de viſione, acriter prætendere,lumen gloriæ debere eſſe habituale ad ſupernaturalitatem principii; cum de facto hic habeamus ſupernaturalitatem abſque auxilio habituali, ſed ſolùm actuali, nempè gratia Dei actuali, quæ donum eſt ſupernaturale. Gratia actualis ideò actualis dicitur, quia opponitur habituali, & permanenti; conſequenter eſt fluens, & per modum actus ſecundi, ac, ut dicitur, de genere actus, actionis, &c. Eatenus autem durare quit hæc actualis gratia in nobis, in quantum indeſinenter ad datum tempus Deus ipſe auxiliatur, & auxilium actuale nobis exhibet, & exhibere non vult deſinere: at jam conſtat ſupernaturalitatem conjungi auxilio, quod de genere ſuo opponitur permanenti, & habituali.

8. Si quæras, in quo differant qualitas habitualis, & qualitas actualis, ſi hæc adhùc permanere poteſt. Dico, ſi qualitas actualis datur, ſeù quid actuale per modum qualitatis; puto, hanc dici talem, quia non permanentem ex ſua natura, ſed fluentem per modum actus ſecundi ad differentiam habitus permanentis, & ex ſe ſtabilis, habentis eſſe firmum, ſolidum, fixum; quod, ſi qualitas illa actualis ad longum

gum tempus duret, aut durare dicatur, non arguit entitatis permanentiam de ſe, ſed fluxus conſtantiam, indeſinentem continuationem, quatenus Deus, movens intellectum per aliquam qualitatem fluentem, ſi daretur, de genere actus ſecundi, non ceſſat movere, ſed inceſſanter agit, movet, &c.

9. Suarius, putans, gratiam conſiſtere in actibus noſtris, ſic arguit: omnis actio eſt via ad terminum; ergo divina motio, cum ſit actio, debet importare terminum; ergo ex parte animæ motæ eſt aliquis terminus productus; ergo gratia, producta à Deo in nobis, eſt aliquis terminus intrinſecus, productus in nobis, qui aliàs eſſe nequit, niſi ſancta cogitatio.

10. Huic argumento occurritur, effectum Dei in nobis, eſſe animam motam, quatenus motam, ut reſpondentem motioni, impulſui Spiritus Sancti, quæ quidem motio, paſſivè ſumpta, & reſpondens motioni, activè ſumptæ, eſt quid natura antecedens actum intellectus, & voluntatis; Imò ideò intellectus erumpit in ſanctam cogitationem, & voluntas in ſanctum ardorem, eò quia divina motione præventa ſunt: nec enim voluntas in amorem indeliberatum prorumpere dicere poſſumus, niſi adjuvante gratia Dei juxtà noſtram orationem: accende, Domine, in nobis ignem tui amoris. Ignis, qui accenditur, eſt ipſa motio animæ, in paſſivo acceptа, ratione cujus operamur non ſolùm liberè, ſed etiam neceſſariò, quatenus abſque noſtræ libertatis exercitio inflammamur, accendimur, &c.

11. Probatur denique evidenter propoſitio à Maignano ſic: Id, quod eſt actio Dei, auxiliantis, non poteſt eſſe idem cum eo, quod eſt operatio hominis, cui Deus ad illam actionem eliciendam auxiliatur; ſed vocatio, inſpiratio ſunt operationes Dei auxiliantis; ergo nequeunt eſſe idem cum operatione hominis. Hoc argumentum eſt demonſtratio.

12. Quidam in manuſcriptis poſt varias ſuppoſitiones in-

infringere credens, in caſſum tamen vim argumenti,reſpondet diſtinguendo majorem. Actio Dei auxiliantis nequit eſſe idem cum eo, quod eſt actio hominis formaliter,ſeù reduplicativè, & initiativè, concedit; ut ſic enim appellat,ſeù reduplicat ſupra Deum ipſum, à quo profectò omnis gratia eſt,& quidem in toto rigore; materialiter, ſeù terminativè, & completivè, negat; nam in hoc ſenſu poteſt etiam dici actio hominis, in quantum includit terminum, per eam actionem ponendum, quam dicit eſſe actum vitalem. Sicut ergo nullus actus vitalis eſt, quin ſit à ſuo principio creato vitali, & à Deo ſimul, qui ad illum actum concurrit;& cum hoc benè ſtat, quod per eandem actionem indiviſibiliter producatur, quæ, quatenus conſideratur pendens à Deo,dicitur concurſus Dei, & quatenus pendens à creatura, dicitur concurſus creaturæ:Sic operatio,qua Deus nobis ſuam gratiam infundit, in quantum Dei non poteſt eſſe in ſenſu formali creaturæ;cujus tamen eſt in ſenſu ſpecificativo,quia ſicut refertur ad Deum, referri poteſt ad creaturam.

13. Credidit jam,qui hanc doctrinam concinnavit,difficultatem enodaſſe; ſed eam eſſe à principio conſtabit minutatim reſponſionem examinando. Jam ergo primò dicit, actionem, ſeù potius actum vitalem noſtrum dependere ſimul à nobis, & à Deo, referrique poteſt relatione dependentiæ ad Deum, & ad nos; quod quidem univerſaliter verum eſt in omnibus productionibus creaturarum,quæ,cum ſint eſſentialiter ſubordinatæ Deo, indigent quoque influxu Dei. Pro quo ego adverto,vel iſte ſupponit, actum vitalem eſſe de genere actionis,aut de genere qualitatis,& termini producti per actionem diſtinctam; itaut per eamdem actionem diſtinctā producat indiviſibiliter tàm Deus,quàm intellectus actum vitalem; vel ſupponit, non dari actionem modalem diſtinctam ab agente, & paſſo, licèt non ſe explicet; quomodocumque autem ſupponat, ſemper argumentum Maignani eſt undique inconcuſſum, firmiterque per-

S ma-

manet in ſuo robore, ut mox patebit.

14. Secundò dicit, quod actio Dei operantis, non eſt actio hominis in ſenſu formali, in quantum, prout eſt Dei, & refertur ad Deum, non eſt hominis, nec refertur ad hominem; in ſenſu verò materiali completivo, ut ipſe dicit, eſt Dei, & hominis, quia refertur ad Deum, & hominem à quibus dependet. At, ſi ſupponit, non dari actionem, diſtinctam ab agente, & paſſo, malè dicit, quod actio Dei non eſt actio creaturæ formaliter tantùm, non verò materialiter; nam, cum entitativè Deus non ſit creatura, nec creatura Deus, ſequitur, quod entitativè, & materialiter actio Dei diſtinguitur ab actione creaturæ; quia Deus agens non eſt ipſa creatura agens; ergo non ſolùm in ſenſu formali reduplicativo, ſed etiàm materiali entitativo, completivo actio Dei non eſt actio creaturæ; quod, ſi loquatur ratione termini, adhùc contra eſt, ut ſucceſſivè mox conſtabit. Si verò ſupponat, actionem diſtinctam ab agente, vel actio productiva cognitionis intellectus creati diſtinguitur ab actione productiva Dei, ejuſdem cognitionis; vel non: ſi diſtinguitur; ergo non eſt eadem actio productiva Dei, & creaturæ, ſcilicet intellectus, & voluntatis, non ſolùm in ſenſu formali; verùm etiam materiali entitativo; ſi non diſtinguitur; itaut per eamdem actionem, qua producit intellectus cogitationem per eamdem quippè Deus producit cogitationem ipſam, & ſic verum eſt, quod eadem actio Dei, entitativè, & materialiter eſt quoque creaturæ, & hoc non mirum, quia quilibet effectus, productus à creatura eſt pariter productus à Deo; ſicque eſt Dei producentis, & creaturæ producentis; non verò in ſenſu formali; ſcilicet, prout eſt à Deo, non eſt à creatura, nam eſſet contradictio. Sed contra hoc invicta eſt ratio Maignani; nam illa actio, prout eſt à Deo, eſt à Deo ſupernaturaliter agente; prout eſt à creatura, eſt ab ipſa, ut elevata; ergo, prout eſt à creatura in tantum eſt, in quantum Deus movet creaturam, ut agat;

ergo

ergo alia actio Dei præſupponitur in intellectu creato, ut ipſe intellectus producat cognitionem; ſeù, ut ipſe intellectus eliciat actionem, quam pro nunc ſuppono diſtinctam, ut cogitationem producat; non enim producit cum Deo per vires naturales; nec actio exit à viribus ſuis naturalibus; ergo à viribus ſupernaturalizatis, ergo per actionem Dei, ſuſceptam in viribus naturalibus. Si verò ſupponit ipſam cognitionem eſſe actionem intellectus, ſeù eſſe de genere actionis; aut è contra dicat eſſe terminum productum, non per actionem diſtinctam, ſed immediatè ab agente, ſcilicet intellectu, & Deo, quia non vult generaliter admittere actionem diſtinctam ab agente. Contra etiam ratio Maignani eſt à principio; nam hic terminus, ſeù dicas, hæc actio, puta ſancta cogitatio, & pius affectus indeliberatus eſt ab intellectu, & voluntate, nòn ſecundùm ſuas ſolas vires naturales, & in ſtatu naturali ſumptas; ergo ſecundùm vires elevatas per gratiam Dei; Gratia Dei conſiſtit in motione, actione, &c. ergo illa actio, motio Dei non poteſt eſſe idem ullo modo cum actione, producta à creatura, quia creatura non intelligitur in præſenti agere, niſi adjuta, & præventa à Deo. Undè patet quam verum ſit illud agere Dei in nobis ſine nobis, vulgò dictum à SS. Patribus, ut, niſi excludat omnem noſtrum concurſum, involvit repugnantiam.

15. Ad reſponſionem ergo, fundatam in hoc, quod, ſicuti nullus actus vitalis poteſt eſſe, quin ſit à ſuo principio vitali, ſic pariter, quin ſit à Deo, ad illum concurrente; & conſequenter idem actus, qui eſt creaturæ eſt quoque Dei, ſpecificativè tamen, non verò in ſenſu formali, paucis verbis juxtà dicta reſpondeo, conſiderando, ſcilicet, differentiam concurſus generalis, & concurſus ſpecialis uberioris, uberiori modo exhibiti. Adde, ſi à naturalibus paritatem aſſumere volumus, ex ipſo contra ſemetipſum, ſic dico: Deus non concurrit cum creaturis hujus univerſi, niſi ſupponatur, ipſis dediſſe vim productivam ad illos effectus, ad quos

ſimul cum creaturis concurrere opus eſt; Ergo non poteſt cum creatura in ordine ſupernaturali concurrere, niſi creaturam antecedenter ſupponamus, Deum ipſum elevaſſe, atque principii vim compleviſſe.

16. Concludendum eſt igitur, quòd ſive ſancta cogitatio ſit actio, ſive terminus, productus per actionem; & actio, ſeù ſit diſtincta, ſive indiſtincta; ſive Deus agat per eamdem actionem creaturæ, ſive per diverſam (quod ultimum, neminem dicere credo in hypotheſi actionis diſtinctæ, & cogitationis per modum termini, & qualitatis) ſemper intellectus debet præſupponi elevatus per actionem Dei antecedenter ad actionem productam ab intellectu, ſeù, ut ambages depellam, ad ſanctam cogitationem; aliter gratia ſupernaturalis contineretur in virtute naturali intellectus; Igitur verum eſt, quod docet Maignan, actionem Dei, vi cujus adjuvat intellectum ad agendum non poſſe eſſe idem cum actione vitali intellectus: Quippè ſic effectus intellectus eſſet ad ſeipſum auxilium, & gratia ejuſdem intellectus.

17. Gratiam actualem, quam diximus habitualis proprietatem, cujuſque naturam hactenùs explicuimus, abundanter à Deo collatam fuiſſe Adamo, inſinuatum eſt num. 1. Et certè decebat ratione ſtatus rectitudinis; ſi enim, ut eſt de fide, & docet contra Pelagium Auguſtinus, ignorantia eſt ſupplicium naturæ non primordium; ergo lux contraria eo tunc vigebat, & Adam majori, & copioſiori luce illuminabatur ob ſtatus, ut dicebam, rectitudinem tùm naturalem, tùm ſupernaturalem. Quo modo autem operabatur in Adam, explicandum ſupereſſet; ſed jam cap. 6. per ea, quæ dicta ſunt, liquidò manifeſtum eſt, gratiam actualem eo tunc minorem fuiſſe tùm in ratione adjutorii, tùm in ratione beneficii, tùm denique in modo auxiliandi ob illius ejuſdem ſtatus præſtantiam; Unde te refero ad cap. 6. cum quo hæc minimè pugnant, ut mox expreſsè docui, præſertim, ſi re-

mi-

miniſcamur ſententiæ Auguſtini lib.de correct & grat. cap. 11. *Quid ergo Adam non habuit Dei gratiam? Imò verò, habuit magnam, ſed diſparem.*

COROLLARIUM.

18. EX his,dum aſſertum eſt,tunc in illo beato ſtatu, gratiam eſſe minorem, non aliud mente cogitandum eſſe admoneo;quam modò gratiam Chriſti eſſe medicinalem, & ſanare liberum arbitrium, ſauciatum per primi hominis peccatum,atque ſanando reſtituere priſtinæ indifferentiæ ad bonum benè faciendum.

Caput Nonum.

De Prædeſtinatione Hominum ante lapſum.

1. SUmitur à Theologis ſtrictè prædeſtinatio pro actu divinæ voluntatis æternæ, qua Deus aliquas intellectuales creaturas perducere decrevit per media efficacia ad finem gloriæ. Cum autem non ſit mihi pro nunc animus inquirendi, aut ſcribendi quidquid alii ſenſerunt; præcisè Doctorum varietate, atque communitate indicata meum promam judicium, ſecundum quod propoſui.

2. In hac prædeſtinationis materia poſt lapſum (ante caſum ferè paucis verba facientibus) aliqui docent, prædeſtinationem Electorum ad gloriam eſſe ante præviſa opera finalia; Alii quidem poſt præviſa merita per ſcientiam mediam; Alii poſt præviſa merita per ſcientiam viſionis. Illorum verò, qui docent, prædeſtinationem poſt præviſa merita ſub conditione futura, ſed ante eadem abſolutè futura; Quidam aſſerunt, id verum eſſe poſt lapſum, itaut Angelorum,

lorum, qui ſalvati ſunt, & Adæ ante caſum prædeſtinatio non fuerit efficax abſoluta, ſed conditionata promiſſoria: Docent autem ulteriùs, prædeſtinationem hominum Electorum ad gloriam fuiſſe de facto poſt prævifum Adæ peccatum; Antecedenter verò nulla fuit prædeſtinatio efficax, ſed ſolummodò conditionata ex ſe indifferens, promiſſoria; ſed de hominibus poſt lapſum infra. Solùm nunc inquiro, qualis fuerit in primo ordine vitæ, qui non perduravit, prædeſtinatio.

3. Prædeſtinationem ad gloriam in prima conditione, ut Angelorum, ſic Adæ, omniſque ſuæ ſobolis fuiſſe efficacem, conditionatam promiſſoriam; & nullo modo abſolutam ex D. Aug. colligitur apertiſſimè, dum ait lib. de corr. & grat. cap. 10. *Sic ordinaſſe Angelorum, & hominum vitam, ut in ea prius oſtenderet quid poſſet eorum liberum arbitrium; deindè* (ſcilicet poſt caſum) *quid poſſet ſuæ gratiæ beneficium*; & ſubjungit: *Denique Angeli quidam quorum Princeps eſt, qui dicitur diabolus per liberum arbitrium à Domino Deo refuga facti ſunt: Cæteri autem per ipſum liberum arbitrium in veritate ſteterunt, eamque de ſuo caſu nunquàm futuro certiſſimam ſcire meruerunt*: Et poſt loquens de Adamo, ait: *Sic hominem fecit cum libero arbitrio, & quamvis ſui caſus ignarum, tamen ideò beatum, quia non mori, & non miſerum fieri in ſua poteſtate eſſe ſentiebat, in quo ſtatu recto, ac ſine vitio, ſi per ipſum liberum arbitrium manere voluiſſet, profectò ſine ullo mortis, & infelicitatis experimento acciperet illam merito hujuſmodi permanſionis beatitudinis plenitudinem, qua, & Sancti Angeli ſunt beati, ut cadere non poſſint ulteriùs, & hoc certiſſimè ſciret*, & cap. 11. *Tunc ergo Deus dederat homini bonam voluntatem, dederat, & adjutorium, ſine quo in ea non poſſet permanere, ſi vellet; ut autem vellet in ejus libero reliquit arbitrio; poſſet ergo permanere, ſi vellet, quia non deerat adjutorium, per quod poſſet, & ſine quo non poſſet perſeveranter bonum tenere, quod vellet; ſed quia noluit permanere, profectò ejus cul-*

pa

pa eſt, cujus meritum fuiſſet, ſi permanere voluiſſet; ſicut fecerunt Angeli ſancti, qui, cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium ſteteruut ipſi, & bujus manſionis debitam mercedem recipere meruerunt.

4. Ex hac Auguſtini doctrina infero, gratiam, Angelis collatam, qui ſteterunt, aliam non fuiſſe ſecundùm entitatem ab ea, quæ fuit Angelis concredita cadentibus, & Adamo; aliter non dixiſſet: *Sicut fecerunt Angeli ſancti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium ſteterunt ipſi;* Non enim ad unitatem cauſæ, purà liberi arbitrii, reduci poſset Angelorum permanſio in veritate, aliorumque caſus, ſi gratia à gratia diſcriminaretur in eo primo beato ſtatu; ergo prædeſtinatio ad gloriam ante peccatum Adæ, non fuit abſolutè efficax antecedenter, ſed conditionata promiſſoria; cum ex Auguſtino ſic fuit prædeſtinatio Adæ, Angelorum, qui ceciderunt, ac Angelorum, qui ſteterunt, videlicet, conditionata efficax promiſſoria; non autem efficax abſoluta.

5. Licet noſter P. Filoramo quoad hoc ſuffragetur; ex Auguſtino tamen ſupracitato infert, non ſic fuiſſe prædeſtinationem hominum poſt lapſum originalem; at, pace ſua, quæ ſint diſcrimina gratiæ medicinalis à gratia ſanitatis in ſuperioribus ſatis, ſuperque dictum eſt. Siquidem ſimili modo dicam poſt lapſum primi hominis, nam in Chriſto Mediatore, qui humanum reparavit genus, & adhuc poſt originale voluit homines omnes ſalvos fieri, nullo dempto, ut eſt de fide tandem expreſſiùs definitum ab Innocentio X. & Alex. VII. omnes elevati fuerunt, ſicut ad gloriam, ita ad gratiam, &, ſicuti ſincerè, & verè ad gloriam, ſic quoque ad media gratiarum. Nec, hoc poſito, dici poſſe, puto, efficacem Dei prædeſtinationem poſt originale fuiſſe abſolutam antecedentem: ita procul dubio eſſet ex parte Dei aliqualis, poſitiva, initialis reprobatio periturorum ultra illam comminatoriam, factam Adæ, & Poſteris, caſu quo non

per-

permanſiſſent in accepta rectitudine à Deo conditore. Vt autem aliquid ſpecialiùs dicam in contrarium eorum, quæ infert P. Filoramo in ſuo opere de prædeſtinatione, admonitum volo lectorem, Patrem Filoramo dormitaſſe, dum num. 225. volens in epilogum reportare Maignani ſententiam circa prædeſtinationem dicit, Maignanum aſſerere omnes prædeſtinatos præveniri à Deo ſpeciali gratia in ratione beneficii, ob quemdam ſpecialem affectum; & ſolùm aliquos ſpecialiter prædeſtinatos præveniri gratia ſpeciali ſecundùm entitatem; nam Maignan ſpecialitatem gratiæ ex parte affectus, ſolùm pro eximiè, &, ut ſic dicam, privilegiata prædeſtinatione prædeſtinatis, aſſeruit; non autem pro omnibus electis, ac reſpectu omnium prædeſtinatorum. Theologiam Maignani, attentè perlegenti, conſtabit; & quia hoc clariſſimum eſt, ſolùm affero textum ex num. 6. prop. 14. cap. 36. pag 495. ubi inter cætera ſic habet, reſpondens objectioni: *At generatim non eſt neceſſe, ut perſeverantiæ donum...... Quia Deus non utitur ſpeciali affectu generatim erga omnes, qui actu ſalvantur, præ omnibus, qui non actu ſalvantur; ut conſtare poteſt ex dictis cap. 14. prop. 20. quamvis talem ſpecialem affectum habeat erga aliquos, qui propterea vocantur eximiè prædeſtinati, juxta dicta eodem cap. 14. prop. 19.* Dum autem Filoramo adducit rationes quatuor Maignani num 227. ut oſtendat, ſubſiſtentiam non habere, fallitur; quod, ut videas, exponendæ ſunt quatuor illæ rationes. Prima eſt, quod Adam aliquod jus indirectum habebat ad gratiam, dantem poſſe, quia, cum creavit eum innocentem, ſibi, ut optimo conditori, debet opera ſua facere perfecta; ideoque ratione hujus indirecti juris, quidquid auxilio gratiæ fuerunt benè operati Angeli Sancti, libero arbitrio fuit attributum. Secunda eſt, quod creatura rationalis non indigebat adjutorio, tangente voluntatem, ſed intellectum; & ideò tunc poterant opera bona attribui arbitrio. Tertia, quod, cum ſit neceſſaria poſt lapſum inſpirata

rata

rata dulcedo, quæ conſiſtit in actibus indeliberatis, jàm per hos applicatur voluntas; & ideò inſpirationi tribuenda eſt voluntatis applicatio. Quarta, quia gratia in natura lapſa eſt major in ratione doni, beneficii, &c. quam fuerit in natura innocenti, & ſana. Hæ omnes rationes concinnatæ ſunt à Maignano ob illud Auguſtini cap. 10. de Corr. & Gra. Sic ordinaſſe Angelorum, & hominum vitam, ut in ea prius oſtenderet quid poſſet eorum liberum arbitrium, deindè quid poſſet ſuæ gratiæ beneficium.

6. Ad primam dicit citatus Doctor, jus illud indirectum fundari in laude Dei, quam intendit in operibus ſuis; ergo, Deo danti gratiam, non libero arbitrio, debebit attribui laus operis. Sed conſideret, Maignanum dixiſſe, jus illud eſſe indirectum, non directum; ergo nihil facit, dum impugnat. Ad ſecundam concedit majorem indigentiam naturæ lapſæ, quàm ſanæ; ſed ait, quid indè? At dico ego, optimè ſequi, operationem in ſtatu naturæ lapſæ attribui Deo non libero arbitrio, & non ſolùm majus poſſe, quod ultimum concedit; & ex hoc puto ſequi primum, nam libertas non ſe determinat in hoc ſtatu, niſi cum ipſo majori auxilio ratione naturæ lapſæ. Ad tertiam aſſerit, quod in natura ſana intellectus immediatè moveatur, non voluntas, non propterea operatio non eſt ex iſto motu; Et ratio motus immediati, vel mediati eſt impertinens. Sed immediatè moveri voluntatem, negari non poteſt, majorem eſſe gratiæ influxum in opus de facto; ergo optimè ex hoc capite benè dicitur, opus attribui gratiæ potiùs, quàm libero arbitrio. Ad quartam dicit, gratiam eſſe majorem in ratione beneficii, & doni, pertinere ad poſſe, non ad operari. At quis non videt, quod, ſi ipſum poſſe cum opere conjungitur, ut conjungi, quandoque dicendum eſt, aliter non eſſet verum poſſe, nec verum inſtrumentum divinæ voluntatis; ſicuti concedit hanc majoritatem pertinere ad poſſe; ſic quoque concedere debet pertinere ad operari; &, ſicuti admittit poſſe attribuendum eſſe magis gratiæ, ita operari. Fruſtra

T ergo

ergo conatur inſinuare quatuor ſupradictas rationes fucatas eſſe, non ſubſiſtentes.

7. Ad propoſitum probari item poteſt concluſio, quia, ſi Electi ante peccatum Adæ fuiſſent prædeſtinati in vitam æternam ſpecialiter, ſequeretur, reprobos quoque fuiſſe antecedenter ad prævisum peccatum Adæ excluſos Dei voluntate à gloria, & Regno, ad quod ſupponimus de fide fuiſſe creatum primum hominem, & omnes ab eo deſcendentes; ergo neceſſariò fuiſſent eis prædeſtinata media, quibus peccatum induceretur, & non merito injuſtitiæ, ſed ſolo Dei nutu, quod impium eſt. Nec enim juvat adverſarios, ſi dicerent, non fuiſſe excluſos, ſed ſolummodò non incluſos; nam id eſt, quod dici non poſſe argumentum evincit. Imò, ut expreſsè circa hoc aliquid dicam; accedit, quod, ſi ante lapſum in prima conditione vitæ, electorum fuiſſet efficax abſoluta, antecedens prædeſtinatio, ſequeretur pro reprobis non ſolùm voluiſſe permiſſionem peccati, ſeù, quod idem eſt permiſiſſe peccatum; ſed etiam voluiſſe peccatum ipſum, ſaltem finale in illis, ſcilicet, qui non includebantur electorum, ſeù prædeſtinatorum numero. Probatur: eo tunc vi decreti efficacis, quo ex hypotheſi aliquos ſalvandos voluit antequam Adam fuerit prævisus peccans, alios verò non, niſi voluntate inefficaci, ut loquuntur, neceſſariò iſtis debuerit decernere auxilia, quibus non cooperarentur, & conſequenter permiſsionem peccati, quatenùs medium ad peccatum; undè permiſsio ipſa, quæ de ſe eſſet bona indueret rationem malitiæ; ergo Deus non ſolùm vellet ipſam permiſſionem, & bonum permiſſionis, ſed ipſummet peccatum. Neque dicas, quod eadem ratio fieri poteſt poſt Adæ caſum, ſcilicet, ſi prædeſtinatio poſt lapſum fuerit efficax antecedens abſoluta, nam ultrò concedo, & dicam prædeſtinationem hominum fuiſſe de facto efficacem abſolutam conſequentem. In præſenti autem argumentum magis urget ab hypotheſi primi ſtatus vitæ; nam nullum ſupponeretur inquinamentum in natura, & Deus nutu ſuo ex ſe ini-

tia-

tiaret reprobationem conferendo auxilia ſufficientia, quæ eſſent talia poſitivè ex parte Dei ſolius nullo ordine ad peccatum, cum iſtud non ſupponeretur: nunc autem poſt Adæ peccatum, etiamſi vellem concedere prædeſtinationem efficacem Electorum; tamen auxilia ſufficientia, quæ aliis dantur, quos adhùc Deus vult ſalvos fieri; ſi ſunt poſitivè ſufficientia, hoc naſcitur ex effectibus peccati originalis, puta, ex concupiſcentiis, quibus ſinit ſe homo ſuperari, non obſtante allicientia gratiæ divinæ; quod docent etiam adverſarii, qui, licet conveniant in hoc, quod eſt, prædeſtinationem ante lapſum fuiſſe dumtaxat promiſſoriam, & conditionatam, diſſident tamen docentes poſt lapſum de facto prædeſtinationem Electorum fuiſſe efficacem antecedentem, ut notavi in principio capitis.

8. Cum igitur nunc adſint motus concupiſcentiæ, & aliundè Deus ſpeciali, efficaci, ut ſuppono, Prædeſtinatione, electos ordinàverit ad vitam per media efficacia indefectibilia, ſequitur, quod, dum cæteris auxilia dat ſufficientia, hæc non ſunt ſufficientia poſitivè, niſi ob præſuppoſitionem concupiſcentiarum; tunc verò (infero ego) cum iſta non fuiſſet; eſſet gratia poſitivè ſufficiens ex intentione divina dumtaxat; nunc verò per aliquos, & ſpecialiter Patrem Filoramo ob ſolum eſt peccatum originale ſuppoſitum, cujus in aliquibus vult Deus exigere in parte debitum, in quantum dat ſolum auxilia, quibus homo poteſt benè operari, licet remaneat in ipſo poſſe; quod infra patebit, ad nihil inſervire, nam hæc doctrina, ideò videtur ſic concinnata, quia Doctor iſte pro Electis vult admittere ad diſcrimen reproborum gratiam majorem, magiſque influentem, & veluti moraliter determinantem. Secundò, non obſtante tota hac doctrina gratiæ ſufficientis, adhuc ex parte Dei excludendus eſt omnis ejus bonæ voluntatis erga ſalutem hominum poſt lapſum timor; ergo, licet ſupponatur peccatum originale, ſi ſtat efficax antecedens Electorum prædeſtinatio, hoc ipſo reſpectu reproborum ſtat initialis reprobatio

dando auxilia ſolùm ſufficientia ; ergo ſignum eſt etiam fuiſſe initialem reprobationem à gloria, & à regno, præſertim, facta collatione, cum decreto ſalvandorum; ergo, licet doctrina data de duplici intelligentia gratiæ ſufficientis juvet ad probandum, non fuiſſe ante caſum prædeſtinationem hominum efficacem, niſi conditionatam ; tamen adhuc non ſalvat, benè potuiſſe efficacem abſolutam eſſe poſt originalem lapſum, ut in prima probatione.

9. Quantum ergo attinet pro nunc, in hoc ſitum eſt diſcrimen, videlicet, nunc poſt lapſum, Deum ex ſe moveri ad dandum auxilia ſufficientia, tamen merito injuſtitiæ, puta peccati originalis ; ſicque daret media ad ſalutem ; quia autem homo non operaretur, remanerent ſufficientia, nam vinci ſineret ſe à concupiſcentiis; quapropter Deus ſolùm vellet permiſſionem peccati; hæc autem reſponſio, aut hoc dicas effugium, non habetur pro primo ordine vitæ; caſu porrò quo prædeſtinatio fuiſſet efficax abſoluta ante lapſum Adæ, reprobis daret auxilia, quibus non operaretur homo, non quia vinceretur à concupiſcentiis, quæ non ſupponuntur; ſed quia Deus ea vellet conferre, quibus voluntas non conſentiret; ſicque patet non præſuppoſitione concupiſcentiarum, ſed intentione Dei ità ordinari auxilia, ut remaneant vacua, & conſequenter videtur velle permiſſionem, ut medium ad peccatum; quod, cum non ſit dicendum, neque dicendum erit, prædeſtinationem ante Adæ prævaricationem fuiſſe efficacem abſolutam antecedentem.

10. Dices: Hoc argumentum poſſet generaliter applicari contra illam Dei voluntatem promiſſoriam, quam dicimus; ergo. Reſpondeo nil agere contra illam, nam non eſt ſpecialis unius præ alio antecedens efficax prædeſtinatio ; At verò poſito, quod ante lapſum eſset prædeſtinatiō efficax electorum, neceſsario ex vi hujus voluntatis, Deus aliis illa media daret, quibus non obtineretur ſalus; & ideò dixi hac hypotheſi, Deus uteretur permiſſione peccati ad peccatum, &c. Neque dici poteſt, quod ſimpliciter permitteret

ret peccatum, ut poſset, ſi prædeſtinatio Electorum aſseratur poſt lapſum Adæ; eo quia poſt lapſum ſupponuntur cōcupiſcentiæ, à quibus homo, niſi liberatur, non eſt defectu Dei, ſed concupiſcentiarum; Antequam autem primus homo excideret, tota initialis cauſa deficiendi, & reprobationis eſset ex parte Dei volentis,illa auxilia præbere,quibus permittitur peccatum, & ipſa permiſſio eſset volita propter peccatum.

11. Demum probatur, quod prædeſtinatio efficax, ut communiter ſumi ſolet, non fuerit talis ante lapſum in ſtatu naturæ ſanæ; Pro quo ſciendum eſt in prima conditione vitæ ſeù Angelorum, ſeù hominum decretum in ſententia plurimorum fuit promiſsorum, & conditionatum; atque gratia, eis data, qui ſteterunt,non fuit ſpecialiter differens ab ea, quæ fuit collata iis, ſeù Angelis, ſeù Adamo, qui ceciderunt, & malè operati fuerunt, ſeù qui in veritate non ſteterunt. Aliis verò placet, gratiam, datam Angelis, qui ſteterunt, fuiſſe eorum ſenſu efficacem; Angelis autem, & Adæ, qui minimè ſteterunt in veritate, fuiſſe inefficacem; Ex quo infertur in iſtorum ſententia,decretum Prædeſtinationis fuiſſe efficax in ſtatu Innocentiæ ſolùm pro Angelis Sanctis, putà pro illis, qui ſteterunt; ergo pro aliis Angelis, & Adamo non fuit decretum prædeſtinationis ſpeciale efficax antecedens; aliàs Angeli non cecidiſſent in condemnationem, ut jam in facto condemnati fuerunt, & vinculo damnationis adſtricti, nec Adam cecidiſſet in condemnationem, etſi voluerit, ut ex poſtfacto, in Chriſto miſereri generis humani. In iſtorum ergo ultimorum ſententia non poteſt dici prædeſtinationem hominum Electorum (adhùc gratis dato, quod pro Electis nunc, & prædeſtinatis adſit decretum ſpeciale efficax) fuiſſe ante peccatum originale; aliter Adam non potuiſſet cadere, cum ipſe quoque cum cæteris electis ſit de numero prædeſtinatorum, & ſalvandorum, ut ex poſtfacto de fide conſtat, & ſicut Angeli, qui ceciderunt, defectu gratiæ efficacis ceciderunt,ſic quo-

que

que Adam defectu gratiæ efficacis cecidit; & ſicut etiam pro Angelis, qui non ſteterunt, non adfuit decretum efficax ſpeciale prædeſtinationis, ut fuit pro Angelis Sanctis; ſic quoque pro hominibus electis ante caſum non fuit decretum efficax ſpeciale; aliter, ut dictum eſt, Adam, quem ſcimus eſſe prædeſtinatum, non potuiſſet excidere à gloria, prædeſtinata ipſi, & cæteri homines electi in ipſo, & cũ ipſo.

12. Dices forſitan, quod, licèt Adam non ſteterit, & conſequenter in damnationem inciderit, & cum eo genus humanum. Tamen, quia Deus decreto efficaci ipſum, & cæteros ex hominibus electos prædeſtinaverat, licèt permiſerit eum peccare; ex vi illius priſtini decreti admiſit conditionem, quod voluerit in remedium peccati per Chriſtum miſereri, & conſequenter, etiamſi Adam cecidit, non indè ſequitur, quod non fuerit efficaciter prædeſtinatus ante caſum; ſed ſolum ſequitur, quod ex vi ſuæ efficacis prædeſtinationis, non potuit negligere medium ſuæ reparationis.

13. Sed ego primò, id eſſe dico contra D. Auguſtinum, qui pro certo habet, prædeſtinationem eſſe poſt lapſum Adæ, ut oſtendit P. Filoramo. Secundò, ſi Adamo peccanti comminatus fuerat mortem, & excluſionem à gloria, ut jam omnes homines cum eodem damnationis vinculo detinebantur, & per peccatum originale detinentur, pro quo ſolvendo venit Chriſtus, quare dici poteſt, quod eis fuerat ante præſcientiam caſus prædeſtinata efficaciter gloria? Si enim hæc fuerat decreto efficaci, ut ipſi intelligunt, eis prædeſtinata; quo modo, ſi peccaſſet, poterat excludi à Regno? Aut enim non poterat permitti peccatum, aut, ſi permitteretur, non poterat vinculo damnationis aſtringi; nam vigebat decretum efficax ſalutis. Quomodò damnationi addici potuit, qui ſaluti efficaciſſimè addictus vi decreti ſpecialis ſupponitur.

14. Dices: Erat addictus Adam ſaluti, &c. ſed in caſu peccati, quod jam patravit, merebatur mortem comminatam, & jam reus damnationis fuit; at quia præſupponitur

vo-

voluntas efficax de ſua ſalute, voluit eum reparare à ſua miſeria; ergo non fuit addictus morti abſolutè, ſed conditionatè, ſcilicet, niſi voluerit miſereri. Sed contra, nam non ſolùm debet dici, niſi voluerit in Chriſto miſereri, ſed, quod non potuerat Deus non miſereri; ergo, ſi non potuerat non miſereri, nequit dici Adam addictus morti, neque hìc dici poteſt, quod eſſet morti addictus ſecundùm præſentem, ut dicitur, juſtitiam; nam aliquem non eſſe in gratia, ſeù eſſe injuſtum, & perverſum, non importat eſſe condemnatum, ſeù excidiſſe à gloria. Neque iterum dici poteſt, quod ſicuti (etiamſi decretum prædeſtinationis ante lapſum fuerit promiſſorium benè operantibus; & è contra comminatorium mortis æternæ malè operantibus) dicendum eſt, reprobationem conditionatam in ſuppoſitione peccati Adæ includere admixtam hanc conditionem, niſi Deus voluerit miſereri in Chriſto; Sic quoque non mirum, quod Deus non potuerit non admittere, ſeù non verificare hanc conditionem, cum ſemper verum ſit, quod Adam contraxit damnationem.

15. Nequit profectò id dici, quia diſpar ratio eſt; nam in ſententia non admittente decretum efficax prædeſtinationis in ſtatu Innocentiæ, ſed ſolùm decretum efficax, ſi tale mecum nuncupare volueris, promiſſorium benè operantibus, & Adæ permanenti, optimè ſequitur potuiſſe permitti peccatum Adæ, ipſumque Adamum, poſito peccato eſſe aptum ad interitum cum tota ſobole ſua, & damnatum ob conditionem obedientiæ non impletam; Potuit tamen Deus admiſcere hanc aliam conditionem, niſi voluerit in Chriſto miſereri; quia jam excidit à gloria per peccatum, ſtante decreto ſolùm promiſſorio, cum quo tamen conjuncta fuit illa conditio, niſi voluerit miſereri. At poſito decreto efficaci abſoluto prædeſtinationis hominum electorum ante lapſum, Adamo jam peccante, non poteſt dici excidiſſe à gloria, cum jam ſtet firmum decretum efficax, ut illi intelligunt efficax; ergo non poteſt dici Adam ligatus

vinculo

vinculo damnationis, ſcilicet, excluſionis, & rejectionis à gloria: Poſito autem ſolùm decreto promiſſorio, dici poteſt ex vi hujus, poſito peccato Adæ, Adam ipſe damnatus, videlicet à gloria excluſus, licet non fuerit abſolutè excluſus, ob illam admixtam conditionem. niſi voluerit miſereri in Chriſto. Melius igitur dicitur, Deum de facto prædeſtinaſſe homines poſt lapſum; itaut ante lapſum nullius, ſeù Angelorum, ſeù hominum fuerit ſpeciale, & efficax decretum prædeſtinationis, ut noſter Filoramo ait, eſſe ſententiam Auguſtini ex Apoſtolo. Quidquid autem ſit de his, quæ raptim dixi, aſſero in primo ordine vitæ non fuiſſe efficax antecedens decretum abſolutum prædeſtinationis, hoc argumento, quod ſupra promiſeram: In ſtatu naturæ ſanæ nullum fuit decretum efficax abſolutum antecedens reprobativum à gloria, ergo neque prædeſtinativum ad gloriam. Antecedẽs admittitur ab ipſismet, qui judicant prædeſtinationem fuiſſe ante caſum, electorum, &c. Et nemo eſt, quẽ ſciam, qui dixerit reprobationem antecedentem hominum ante lapſum; ad altiùs, ſiqui ſunt, qui talem reprobationem admittere non timent, defendunt poſt peccatum originale, ut apud Authores paſſim notari poteſt. Inſuper probatur antecedens; Eo tunc, ex parte hominum non erat undè Deus aliquos præ aliis reprobaret; neque ex parte ſui, cum ſupponatur, Deum ſincerè voluiſſe hominibus, conditis in Innocentiæ ſalutẽ æternùm beatam; ergo ex ſe non poterat aliquos excludere à gloria, & regno. Probatur conſequentia primi argumenti, nam ſi aliquos efficaciter abſolutè prædeſtinaſſet in vitam; alios explicitè non ſolùm negativè, ſed etiam poſitivè reprobaſſet ex ſe, ut patebit infra, cum de prædeſtinatione in ſecundo ordine vitæ.

Cætera, quæ dici oporteret de ſtatu Innocentiæ, puta de immortalitate, & ſimilibus, linquimus, cum ſint obvia apud Doctores. Sufficit mihi explicuiſſe ea, quæ ad rectè vivendum, & ſuaviter operandum conducebant.

DISPU-

DISSERTATIO SECUNDA

De ſecunda conditione vitæ, ejuſque diſcrimine à Prima.

POtiſſimùm, cum viſum fuerit, D. Auguſtino, Sanctorum PP. præclariſſimo, qualis fuiſſet homo, ſi ſtatus innocentiæ ille felix decantatus perduraſſet: Nunc ſimiliter ſub ejuſdem auſpiciis conſideranda occurrit infelix ſecunda vitæ conditio, qualis de facto jam eſt peccati merito, ut Apoſt. innumeris in locis inſinuat.

Animus mihi tamen non eſt omnia attingere, ſed ſolùm quædam, ſpeciali conſideratione perpendere, non tàm diſtinctè, & clarè conſcripta. Quæ conſiderare propoſui præſertim hæc ſunt; Adæ poſt lapſum alia libertatis conditio, peccatum originale, ejuſque effectus, prædeſtinatio; remedium à Chriſto inſtitutum peccati originalis, puta, baptiſmus, & ſimilia: Et id oneris nunc ſuſcipio, ut expreſſiùs dicam in commodum legentium, quod fortè ad ſolutionem uſque dictum ſatis non fuit à ſcriptoribus. Abſque aliquo lectorum commodo paginas infarcire, pruritum quemdam eorum, qui ſua prælo exponunt, ſi ſua dici tamen aliquali ratione poſſunt, neſcio qualem ſapit.

Caput Primum.

Secundæ vitæ infelix conditio deſcribitur.

1. POſtquam prævaricatus eſt Adam, omneſque in illo, ut cum Apoſtolo inquit Auguſtinus con-

tra Pelag. & Cœle: iis eſt ſpoliatus bonis, quibus ornatum fuiſſe Adamum in ſui conditione diximus, & divina fide antiquitùs tenemus; ergo jam patet, quæ ſit hujus vitæ conditio: Naſcitur enim homo nunc pronus ad malum cum ignorantiæ caligine, concupiſcentiis, ſine gratia, & abſque dono ſupernaturali,&c. Mala ergo,quæ incurrit Adam S.Scriptura recenſet, & D. Auguſtinus fusè perſequitur, tàm ſanctè, tàm doctè, ut nonniſi illuſtretur mens noſtra, & inflammetur voluntas ejus operum lectione. Equidem, dum cap. 10. de correct. & grat. ſcripſit: *Sic hominem fecit cum libero arbitrio... Tamen ideò beatum, quia non mori, & non miſerum fieri in ſua poteſtate eſſe ſentiebat....* Experimur ergo ex Auguſtino nunc mortis, & infelicitatis argumenta; & ſanè de illa infelicitate intelligendus S. Doctor, de qua cap. 11. locutus eſt: *Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, quoniam caro concupiſcit adverſus ſpiritum, ſpiritus autem adverſus carnem...* Liberum ergo arbitrium Adæ in perfectiſſimo illo viæ ſtatu in æquilibrio perfectum erat;Ita ut ſibi tantùm imputaretur conſentire, vel diſſentire; nunc verò,ut inquit Apoſtolus,cum ſit alia lex in membris,quam dicit legem peccati, repugnantem legi mentis, habet quaſi cum peccato cohabitationem juxta illud Apoſt. ad Rom. 7. *Si autem, quod nolo, illud facio, jam non ego operor, ſed, quod habitat in me peccatum*, quem textum explicui diſſertat. 1. cap. 2. num. 12. Totumque id emerſit, nam profectò nunc nō, ſicuti tunc, omnia ſunt in pace, & cum ſumma tranquillitate; Undè ad bonum arduitas, difficultas, inclinatio, & pugna contrariorum, cujus cauſa fuit unius hominis inobedientia, & indè membrorum, & carnis conflictus, inordinatio, perverſitas, inobedientia, incendia, libido pudenda, &c. ut D. Auguſtinus de nup. & concup. ad Valer. ſcribit cap. 5. lib. 2. loquens de primorum hominum erubeſcentia, *tunc autem erubuerunt, quando poſt inobedientiam ſuam inobedientia membra ſenſerunt.*

3. Cur

2. Cur autem, quod non erit conſideratione haud dignum apud eos, qui rerum naturas per cauſas curioſiùs, & utiliùs inveſtigare ſolent, poſt primi hominis lapſum, legem peccati ſenſit homo in ſuis membris; & tamen quaſi cæterorum habet imperium, in pudendis minimè. Non credam alicui diſplicere præſertim ex vi ſubjectæ materiæ, quæ pertractatur, hæc nomina, hoc dubium; nam contra ipſum dicam, quod dixerit Pelagio Auguſtinus à ſimili de nupt. lib. 2. cap. 6. *Sed inter tot nomina bonarum rerum, ideſt, corporum, ſexuum, conjunctionum libidinem iſte non nominat. Tacet, quia pudet, & mira, ſi dici poteſt pudoris impudentia, quod nominare pudet, laudare non pudet.*

3. Dignum quippè exiſtit, ut poſtquam ex Apoſtolo, & D. Auguſtino, Cōciliis habeamus omnes homines in Adam prævaricaſſe, omnes ex uno in condemnationem, & ex primi hominis prævaricatione rebellionem potentiarum, & virium inferiorum inſurrexiſſe, concupiſcentiam membrorum emerſiſſe, legem peccati, fomitem, deordinationem, &c. perſpiciamus qua ratione id potiſſimum de pudenda libidine verum ſit; qua de cauſa omnia membra imperio voluntatis videntur applicari; & ſola pudenda eſse inobedientia, quatenus volentibus, nolentibus, ad inſtar belluarum turpiter commoventur. Et certè augetur difficultas ex Auguſtino dicente merito inobedientiæ Adam ſenſiſse, & cum eo genus humanum inobedientia carnis membra. Cur ergo ubi propriè eſt pudor, imperium non habet voluntas; & erga cætera ſuum exercet arbitrium?

4. Sed gratias Deo, humani generis reparatori, qui, dum hæc mente revolverem rationem ex Auguſtino lib. 1. de nupt. & concupiſc. accepi. meo parcens labori S. Pater ſic quippè poſt alia ait. *Ibi enim homo primitùs, Dei lege tranſgreſſa, aliam legem repugnantem ſuæ menti habere cœpit in membris, & inobedientiæ ſuæ malum ſenſit, quando ſibi retributam digniſſimè inobedientiam ſuæ carnis invenit, talem quip-*

pè etiam ſerpens oculorum apertionem ſeducendo promiſerat ad aliquid, videlicet, ſciendum, quod melius neſciretur. Tunc in ſe quippè ſenſit homo quid fecit; Tunc à bono malum non carendo, ſed perpetiendo diſcrevit, injuſtum enim erat, ut obtemperaretur à ſervo ſuo, ideſt, à corpore ſuo ei, qui non obtemperaverat Domino ſuo. Nam quid eſt, quod oculi, labia, lingua, manus, pedes, inflexiones dorſi, cervicis, & laterum, ut ad opera, ſibi congrua moveantur, poſitum in poteſtate eſt, quando ab impedimentis corpus liberum habemus, & ſanum: Ubi autem ventum fuerit, ut filii ſeminentur ad voluntatis nutum membra, in hoc opus creata, non ſerviunt, ſed expectatur; ut ea, veluti ſui juris libido commoveat, & aliquando non facit animo volente, cum aliquando faciat & nolente? Audiamus quid ſubdat: *Hinc ne non erubeſceret humana libertas arbitrii, quod contemnendo imperantem Deum, etiam in membra propria, proprium perdidiſſet imperium; Ubi autem* (in quo reſolutum remanet dubium) *Convenientiùs monſtraretur inobedientiæ merito depravatam eſſe humanam naturam, quam in his non obedientibus locis, undè per ſucceſſionem ſubſiſtit ipſa natura? Nam ideò propriè iſtæ corporis partes, naturæ nomine nuncupantur.*

5. Tota igitur ratio in hoc ſita eſt, quod, cum per inobedientiam mentis conditori Deo, facta fuerint menti inobedientia carnis membra; rationabile, & congruum fuit, ut illud membrum inter cætera humani corporis inobediens experiatur, quo peccatum transfunditur originale in poſteros, ut cum Merſenno in principio adnotavi diſſert. 1. cap. 1. & nunc jam ſententia eſt D. Auguſtini: Ex quo colligere poſſum, ut Auguſtini ſubſiſtat ſententia, Deum vel reliquiſſe naturali formationis curſui, ſecluſa ſuaviori providentia, corpora poſt peccatum, à generantibus efformanda; vel potiùs voluiſſe in pœnam peccati originalis, ſeù ob continuam ejus memoriam talia conſtituere vaſa, veneri deſtinata, ut illorum membrorum commotio non ſubderetur

im-

imperio humanæ libertatis, atque directionis. Ego quidem dicerem, Deum juſtum ultorem, ſic voluiſſe diſponere vim activam generantium, ut tali conformatione emergerent organa Adæ poſt caſum; & tali generatione coagmentarentur filiorum, qua dictorum membrorum inobedientia oriretur; Aliter non fuiſſet in pœnam originalis. An autem ſic fuiſſet, ſecluſis ſtatu ſano, & lapſo, ſeù pro ſtatu puræ naturæ, dubium eſt, quod ſolvere, eſt arduum. Quomodo autem phyſicè id ſit, ſeù poſt peccatum evenerit, conſulendi ſunt anatomici; Imò nil hoc juvat, niſi pariter anatomicos corporis Adæ conſulamus; qui, cum non ſint, nec fuerint, præter Deum in ſtatu innocentiæ; Ex ſolo Deo ſcire poſſemus, qui tamen, cum hæc, & ſimilia, non revelaverit; puto, id nobis occultum eſſe, niſi per analogias diſcurramus; Sed jam pergamus ad radicem examinandam infelicitatis hujus vitæ, quæ non eſt, niſi propago peccati.

Caput Secundum.

Utrùm peccatum Adæ infecerit Poſteros.

1. Veritas iſta de propagine peccati conſtat innumeris S.Scripturæ locis. Articulus eſt ergo fidei, mirè propugnatus ab Auguſtino contra Pelag. & Cæleſtium. Aliqua igitur afferam teſtimonia ex S.Scriptura. In pſal. 50. dicebat David: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in iniquitate concepit me mater mea*. Sapiens in Eccleſiaſt. 25. *A muliere initium factum eſt peccati, & per illam omnes morimur*. Sap. 12. *Nequaquam eſt natio eorum, & naturalis malitia, & ſemen illorum maledictum ab initio*. Eccleſiaſt. 40. *Grave jugum ſuper filios Adam à die exitus de ventre matris eorum uſque in diem ſepulturæ*. Eccleſiaſtes 7. *Fecit Deus hominem rectum, ipſe autem ſe immiſcuit infinitis quæ-*

quæſtionibus. Job 25. *Quis mundus à ſordibus, etiam unius diei ſit infans ſuper terram.* 14. *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine.* Ipſe etiam Job cuncta mala, quæ nos, dum naſcimur, ſequuntur cap. 13. conſiderans, diem nativitatis ſuæ maledicens, dicebat: *Pereat dies, in qua natus ſum, & nox, in qua dictum eſt, conceptus eſt homo.* Iſaias cap. 53. *Omnes nos, quaſi oves erravimus, & unuſquiſque declinavit in viam ſuam; iterumque facti ſumus, ſicut immundi nos omnes, & quaſi pannus menſtruatæ omnes juſtitiæ noſtræ, & cecidimus, quaſi folia univerſi.* Oſeas cap. 2. *Ipſi autem, ſicut Adam tranſgreſſi ſunt, ibi prævaricati ſunt in me.* D. Paulus ad Rom. 5. *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccaverunt. Si enim unius delicto multi mortui ſunt, &c. Igitur, ſicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem.* Ad Epheſ. 2. *Eramus natura filii iræ.* In 1. Corinth. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur.*

2. Non defuerunt hæretici, puta Cæleſtius, & Pelagius, qui dixerint apoſtolica verba, *per unum hominem*, &c. intelligi, quod Adam peccaverit primùm; in quo de cætero quiſquis peccare voluerit, peccandi invenit exemplum. Sed, ſi profectò, ut docet Auguſtinus, Apoſtolus hìc imitationem intelligi voluiſſet; non per unum hominem, ſed potiùs per diabolum, peccatum in hunc mundum intraſse, & per omnes homines pertranſiſse, dixiſset; de diabolo quippè ſcriptura eſt Sap. 2. *Imitantur autem eum, qui ſunt ex parte ipſius;* Sed ideò per unum hominem dixit, à quo generatio utique hominum cœpit, ut per generationem doceret, ad omnes transfuſum fuiſse originale peccatum.

3. Hujus veritatis teſtes ſunt omnes SS. PP. quorum nonnullos adducam hùc. Ireneus Epiſcopus Lugdunenſis, qui non longè à temporibus Apoſtolorum fuit: *Non aliter ſalvari homines ab antiqua ſerpentis plaga, niſi credat in*

eum,

Digitized by Google

eum, qui ſecundum ſimilitudinem carnis peccati in ligno martyrii exaltatus à terra, & omnia traxit ad ſe, & vivificavit mortuos. Cyprianus Martyr,& Epiſcopus:*Si homines impedire ad conſecutionem gratiæ aliquid poſſet; magis adultos, & provectos, & majores natu poſſent impedire peccata graviora; porrò autem, ſi graviſſimis delictoribus,& in Deum multo ante peccantibus, cum poſtea crediderint, remiſſio peccatorum datur; Et à baptiſmo atque gratia nemo prohibetur, quantò magis non debet probiberi infans, qui recens natus nihil peccavit, niſi ſecundum quod carnaliter natus, contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxit, qui ad remiſſionem peccatorum accipiendam hoc ipſo faciliùs accedit, quod illi non remittuntur propria, ſed aliena peccata*. Hilarius Epiſcopus, cum de Chriſti carne ageret, ſic dicit: *Ergo, cum miſſus eſt in ſimilitudinem carnis peccati, non ſicut carnem habuit, ita habuit & peccatum, ſed quia ex peccato omnis caro eſt, & à peccato, ſcilicet, Adam parente deducta, in ſimilitudine peccati carnis eſt miſſus, exiſtente in eo non peccato, ſed peccati carnis ſimilitudine*. Ambroſius ſuper Lucam exponens: *Jordanus*, inquit, *converſus eſt retrorſum; ſignificavit ſalutaris lavacri futura myſteria, per quæ in primordia naturæ ſuæ, qui baptizati fuerint parvuli à malitia reformantur*. Rurſus idem ipſe: *Fuit*, inquit, *Adam, & in illo fuimus omnes; periit Adam, & in illo omnes perierunt*. Item Ambroſius in expoſitione lib. Tobiæ: *Diabolus Hevam decepit, ut ſupplantaret virum, obligaret hæreditatē*. Olympus Hiſpanus Epiſcopus in quodam ſermone eccleſiaſtico apud Auguſtinum; *Si fides unquam in terris incorrupta manſiſſet, ac veſtigia defixa tenuiſſet, quæ ſignata deſeruit, nunquā Protoplaſti mortifera tranſgreſſione vitium ſparſiſſet in germine, ut peccatum cum homine naſceretur*. Reticius ab Auguſtuduno Epiſcopus, de baptiſmo agens ita loquutus eſt: *Hanc igitur eſſe principalem in Eccleſia indulgentiam, neminem præterit, in qua antiqui criminis omne pondus exponimus, & ignorantiæ noſtræ facinora priſca delemus, ubi & ve-*

terem

terem hominem cum ingenitis ſceleribus exuimus.

4. Tandem Synodus Tridentina ſeſs. 5. cap. 2. & 4. *Si quis Adæ prævaricationem ſibi ſoli, & non jus propagini aſſerit nocuiſſe, & acceptam à Deo ſanctitatem, & juſtitiam, quam perdidit ſibi ſoli, & non nobis etiam eum perdidiſſe; aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum mortem, & pœnas corporis tantùm in omne genus humanum transfudiſſe, non autem & peccatum, quod mors eſt animæ anathema ſit, cum contradicat Apoſtolo dicenti: Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.*

5. Demùm porro, Adam fuiſse non ſolùm caput phyſicum, & naturale omnium poſterorum, ſed inſuper caput morale; Deumque potuiſse ipſum conſtituere caput morale, certiſſimum eſt de fide, & conſonum, ſeù nullo modo diſsonum rationi, ut apud Authores probatur paſſim. At, in quo conſiſtat peccati originalis quidditas, & quo pacto cõtrahatur, dubitatio non exigua eſt. Sit ergo

Caput Tertium.

In quo ſita ſit ratio de formali peccati Originalis.

1. Celebris eſt, utiliſque propoſita diſputatio; ut ſaltem id agnoſcamus, quod omnes homines à conceptione inficit; ut id videamus, in quo contracto, ſtolam perdidimus immortalitatis; Idque mente comprehendamus, quod continuò ore proferimus, cujus jacula ſæpè experimur, cujusque damna, vulneraque, noſtræ naturæ illata, frequenter deploramus.

2. Peccati ergo originalis, qua talis, formalem malitiam contemplaturus, ne pœnam peccati cum peccato con-

fun-

fundamus, atque anſam præbeamus hæreticis. Dico jam: Peccatum originale non eſt carentia, & privatio gratiæ: Supponendum tamen, quod Auguſtinus lib. 1. Retract. cap. 15. docuit, ſcilicet; *Sic enim oſtenditur ſine voluntate nullum eſſe peccatum, ſive in opere, ſive in origine*. Et lib. 1. ad Simplicia. quæſt. 2. *Eſt autem peccatum inordinatio, atque perverſitas, ideſt à præſtantiore conditore averſio, & ad condita inferiora converſio.*

3. Probatur noſtra poſitio primò, quia privatio gratiæ in poſteris Adæ eſt pœna peccati commiſsi ab Adam, ut clarè colligitur ex Tridentino ſeſſ. 5. canon. 1. 2. &c. & admittitur ab omnibus Theologis, ut dogma fidei; nulla autem pœna poteſt eſſe peccati, formalis ratio conſtitutiva; ergo, &c. Dupliciter probatur minor; etenim omnis pœna peccati eſt volita, & cauſata à Deo; nullum verò peccatum poteſt eſſe volitum, & cauſatum à Deo; ergo peccatum originale non eſt privatio gratiæ. Secundò probatur eadem minor, quia, ſi pœna peccati eſſet formaliter peccatum, eſſet novæ pœnæ meritorium, nam peccatum meretur pœnam; hoc autem abſurdum eſt; ergo.

4. Probatur 2. Si peccatum originale conſiſteret in privatione, in ejus utique boni privatione conſiſteret, quod amiſſum eſt ratione peccati Adæ; bonum autem, amiſſum ratione peccati Adæ, eſt Iuſtitia originalis, quæ eſt donum, diſtinctum à gratia ſanctificante. Certè non eſt ſola gratia juſtificans, quia reſtituta gratia per baptiſmum, aut pœnitentiam, non reſtituitur Iuſtitia originalis: Manet enim nihilominus rebellio carnis adverſus rationem ſuperiorem; atqui contraria ſubjectio eſt de conceptu eſſentiali Iuſtitiæ originalis; ergo peccatum originale, vel non conſiſtit in privatione gratiæ, vel etiam in privatione juſtitiæ originalis.

5. Ab aliis probatur ſic: Originale peccatum transfunditur in animam, mediante corpore, & propagatione cor-

porali; Ineſt ergo corpori primò, ac radicaliter, & eſt qualitas aliqua morbida, uti docent Henricus, Guillelmus Pariſienſis, & alii fundati in Auguſtino, dicente lib.1.de nup. & concnp.cap.25.Affectio eſt quædam malæ qualitatis, ſicuti languor, privatio autem gratiæ ineſt ſoli animæ, quæ videlicet, ſola eſt capax gratiæ; neque hæc privatio eſt affectio malæ qualitatis, ſicuti languor, ſed eſt ſola excluſio qualitatis bonæ; ergo peccatum originale non conſiſtit, ſaltem eſſentialiter, atque, velut in prima radice, in privatione gratiæ. Sed quidquid de hac ratione ſit.

6. P.Martinus de Eſparza quæſt. de pecc. Orig. *6.* pag. 75.ſolvere conatur, ac infringere vim rationum, mox ſupradictarum, ſignanter primæ. Dicit ergo ad primam, quod nulla pœna peccati poteſt conſtituere ullum peccatum ſecundum malitiam ejus moralem, imputabilem, immediatè ratione ſui; Poteſt tamen conſtituere peccatum originale, quoad actualem unicuique intrinſecam contractionem.

7. Sed hoc ego quippè quæro quomodò fiat hæc peccati ab unoquoque contractio poſt Adam, ſeù quiſnam ſit modus contrahendi peccatum, ab Adam commiſſum. Sicuti enim Adam per peccatum inobedientiæ ſpoliatus fuit gratia cæteriſque donis, ſic pariter tota poſteritas; ergo, ſicut fuit in pœnam Adæ, ſic in pœnam poſteritatis; ergo, ſicut non poteſt conſtituere peccatum ſecundùm malitiam ejus moralem imputabilem, &c.reſpectu Adæ, ſic nec reſpectu poſteritatis contrahentis, neque, qua contrahentis; cum hac tamen diſparitate, quod non poteſt conſtituere peccatum Adæ formaliter; poſteritatis verò neque cauſaliter, & privativè; Sed eſt aſsignandum aliquid, quod ſe habeat, ut culpa in poſteris, ad quod conſequatur, tanquam pœna carentia gratiæ: *Licet* enim ſolus Adam formaliter, & ſubjectivè habuit vim demeritoriam peccati; tota etiam poſteritas cauſaliter, & privativè vim aliquam habuit non phyſi-

phyſicam, ſed moralem demeritoriam; & hoc eſt aſſignandum, ad quod ſequatur pœna, ſcilicet, carentia donorum gratuitorum. Dicere ergo, quod pœna peccati, quoad contractionem peccati originalis poteſt conſtituere peccatum, eſt dicere, quod id, à Deo deſtinatum pro pœna conſequenter ad peccatum, non ſit pœna conſequenter ad peccatum. Imò hoc ipſo, quod eſt pœna, aliquod ſupponit, quod præconcipi debet in poſteris, habens moraliter, & privative rationem demeritoriam, & malitiæ, quam conſequatur, ut pœna ipſa negatio gratiarum.

8. Et, ut veritas hæc meo judicio demonſtretur, dico ſic: Ex Auguſtino non eſt peccatum, niſi voluntarium, aut in opere, aut in origine. Item, ut evidens eſt, cauſa negationis alicujus non eſt formaliter negatio illius; Adam per peccatum eſt cauſa negationis gratiæ, ſeù privationis ſibi, & poſteris; ergo, ſicuti peccatum Adæ non eſt formaliter negatio, ſeù carentia gratiæ, ſed quid cauſans negationem gratiæ; ſic in poſteris peccatum originale eſt cauſa negationis gratiæ in poſteris. Probatur in uno Adam peccante, peccarunt omnes; ergo in uno Adam demeruerunt omnes; ſed non dicuntur demereri per carentiam gratiæ, ſicut nec demeruit Adam, per negationē gratiæ; & ex alia parte eo tunc, quo Adam peccavit, peccarunt omnes; nam peccarunt in Adam, ut in origine, & radice; ergo, ſicuti Adam per actum phyſicum demeritorium ſpoliatus fuit gratia; ſic in Adam poſteri demeruerunt, ſeù in Adam phyſicè, & ſubjectivè demerente, moraliter, & privativè demeruerunt ſpoliationem gratiæ; ergo peccatum formaliter originale poſterorum non eſt non gratia; aliter cauſa negationis alicujus eſſet formaliter negatio illius. Item peccatum originale; quia peccatum, & malum, nempè peccati eſt voluntarium in origine; ergo aut per illum actum primi hominis peccaminoſum dicuntur originaliter peccare poſteri, aut eodem tunc intelliguntur contrahere peccatum: Non pri-

mum, quia originale peccatum intrinſecè ab unoquoque contrahitur, & contractione propagatur, & propagatione contrahitur; Actus verò Adæ phyſicè præteritus non contrahitur, nec eſt imputabilis poſteris, quaſi poſteri dicantur operari per illum actum; ergo eo tunc, ac Adam peccavit, tota poſteritas intelligitur in origine peccaſſe; ſed, dum concipitur Adam peccans, intelligitur ante privationem, & carentiam gratiæ; ergo eo tunc ſimiliter intelliguntur poſteri peccantes originaliter, & conſequenter antecedenter ad carentiam gratiæ. Et hoc antecedens, undè ſequitur carentia gratiæ, eſt privatio omnium eorum, quæ Deus promiſerat, ſi Adam non peccaret, puta in radice, veluti in nodo: Undè poſteritas intelligitur privativè demereri gratiam, quam demeruit phyſicè Adam. Profectò non dicitur malum peccati *non gratia*; nec peccans, *non habens gratiam*; ſed requiritur cauſa non habendi gratiam, puta, demeritum, malum quoddam, propter quod, & ratione cujus habetur carentia gratiæ; ergo ad hoc, ut poſteritas non habens gratiam, & ſpoliata donis, dicatur originaliter peccans, aliquid in ea præintelligitur, quod ſit cauſa talis carentiæ; ergo peccatum originale non poteſt eſſe formaliter talis carentia.

9. Dictus de Eſparza ſubdit in ſuis adnotationibus: Quapropter privatio gratiæ, quatenus pendet à voluntate divina, nolente condonare, & volente punire, peccatum habet rationem pœnæ; quatenus verò provenit à vi demeritoria peccati commiſſi ab Adam, habet rationem complentis ultimò peccatum originale.

10. Sed contra manifeſtè, nam poſteri in Adamo peccante, peccarunt ratione divinæ conſtitutionis Adæ in Caput tùm morale, ſeù quoad vitam ſpiritualem ſupernaturalem, tùm phyſicum quoad vitam temporalem; ergo aſſignari oportet in poſteris Adæ aliquid, quo dicantur contrahere peccatum originis, atque privativè demerentes in Ada-

mo formaliter, & phyſicè demerente, quodque conſequatur pœna, ſcilicet, carentia gratiæ ſanctificantis; ſeù aſſignandum eſt illud malum, quod eſt cauſa ipſius negationis formalis gratiæ, & hoc malum eſt id, per quod avertuntur poſteri à Deo, & convertuntur ad bonum commutabile; & ratione iſtius averſionis, tanquam ſequela debetur carentia gratiæ, aliorumque donorum. Peccante igitur formaliter Adamo, hoc ipſo redduntur poſteri cauſaliter peccantes, & averſi à Deo, & quia ab Adam cauſaliter fiunt poſteri averſi à Deo, hoc ipſo habetur formalis malitia peccati: Unde ratione iſtius averſionis cauſaliter ab Adam, quatenus in cauſa, perdiderunt elevationem ad gratiam, & gloriam, conſequenter, tanquam pœna ſequuta eſt formalis carentia gratiæ.

11. Hinc colligitur originale peccatum de formali conſiſtere in privativo, ſed antecedenti formalem privationem gratiæ ſanctificantis; undè formaliter peccatum originis non eſt formalis, ſed cauſalis negatio gratiæ; ſeù eſt formaliter cauſalis negatio negationis formalis gratiæ habitualis, quæ dicitur donum hominis ſanctificativum; quod peccatum originis non obſcurè expreſſi mox in fine num. 10. dum dixi, poſteritatem perdidiſſe elevationem ad terminum ſupernaturalem.

12. Dices: Per baptiſmum Chriſti acquiritur gratia ſanctificans; ergo peccatum originale, baptiſmo deletum conſiſtit in carentia gratiæ ſanctificantis. Reſpondeo ideò per baptiſmum conferri gratiam, quia jam homines per Chriſtum Redemptorem elevati ſunt ad gratiam, & gloriam, à qua, & à cujus elevationis jure exciderunt in Adamo peccante.

Caput

Caput Quartum.

De ſuppliciis originalis peccati.

1. SVpplicia primi generis, & immediata dici poſſunt carentia gratiæ ſanctificantis, aliorumque ſupernaturalium donorum; ſecundi generis autem, cæteris relictis, duo potiſsimùm ſunt, quæ ſæpiùs contra Pel. repetit Auguſtinus, videlicet, ignorantia, & difficultas. Licet autem homo poſt primi hominis reatum cum peccato naſcatur, ſcilicet ſine ordine, & abſque jure ad ſupernaturalem vitam, Chriſti Redemptoris tamen paſsione, acquiſito iterum jure illo deperdito, per Sacramentum baptiſmatis confertur gratia ſanctificans: at, ſeù ad agonem, ſeù, ut militia ſit vita hominis ſuper terram, ſeù in pœnam, & ſupplicium relinquuntur ignorantia, & difficultas.

2. Adnotandum verò principio occurrit, quod ſcripſit Auguſtinus lib. 3. de lib. arb. cap. 19. ad dubium: ſi Adam, & Heva peccaverunt, quid nos miſeri fecimus, ut, cum ignorantiæ cæcitate, & difficultatis cruciatibus naſceremur... Reſpondet S. Doctor poſt alia; *neque illud, quod vulnerata membra non colligis, ſed quod volentem ſanare contemnis, iſta tua propria peccata ſunt;* Et inferiùs ſubdit; *Nam illud, quod ignorans quisque non rectè facit, & quod rectè volens, facere non poteſt, ideò dicuntur peccata, quia de peccato illo liberæ voluntatis originem ducunt.*

3. Abſque dubio ignorantia, & difficultas non naturæ primordia, ſed naturæ ſupplicia ſunt; ut ſemper contra Pelagium inculcat D. Auguſtinus. Magnum ſiquidem ſupplicium, grandis hominum pœna, quam maximè experiuntur viri, litteris comparandis dediti, ſcientiis acquirendis occupati; ex illo fonte ergo originalis culpæ derivavit in ſuppli-

pli-

plicium humani generis ignorantia, & quidem tanta mentis cæcitas, & luminis obſcuritas, ut in iis, quæ maximè certa ſunt, quotidiè cæcutiamus. Relinquo nunc alias proximiores cauſas, ut plurimùm cæcutiendi; ſed ſolùm fontem primarium conſidero, qui quippè ſimilis ratio eſt, ut ad opera virtutis tantam experiamur difficultatem; ex qno manavit effatum illud, opus virtutis arduum; ac ad veritatis adinventionem. Tanto premitur pondere mens, tantaque ex humoribus varietate, ut, quæ jam nota accepimus in dubium revocamus, &, quæ dubia credebamus olim, iterùm pro notis, & certis habemus. Hic ſolum noſtræ naturæ ſtatum corruptum ex originali peccato, tanquam primarium fontem ſpectandum, ſuſcipio: Hinc tot animi noſtri quippè præjudicia, quæ ab infantia quavis de cauſa ſuſcepimus; quæ non fuiſſent in illo felici ſtatu, tantam vim habent in intellectu, ad eum in præceps trahendum, quantam ſenſibilium voluptates, atque terrenarum harum rerum guſtus erga voluntatem in peccatum, ut labatur.

4. Ignorantia autem, & cæcitas major eſſe nequit illa, qua quandoque mens, à ſenſibus, licet abſtracta, dubitat de rerum eſſe, atque hujus Mundi viſibilis certitudine: in hoc ſimul, diceres & noſtræ mentis imbecillitas, & vigor innoteſcit. Non erit autem abs re capita inquirere, & ſuæ imbecillitatis, & energiæ in propoſito exemplo, quod faciam velitando pro, & contra.

5. Supplicium igitur etiam fuit noſtræ naturæ in hoc orbe, humanæ diſputationi tradito, tot ſcholaſticorum diſcrimina in eadem indiviſibili veritate adeſſe; qua ratione non benè contra Maignanum invehitur Courbolezius, & de Benedictis ambo almæ Societatis Ieſu, quod plurimùm & frequenter utatur vocibus evidentiæ in ſuis poſitionibus; non rectè quidem, quaſi abliti ſint, quod non cuique ſtudentium veritatem adinvenire contingat; quod evidentia, & opinio non ſunt prædicata ſpeciei noſtræ humanæ conſtitutiva;

tiva; ideoque, ſi uni accidat opinari; non idem,& omnibus; aut, ſi uni noſcere cum evidentia, liceat adhùc aliis de rebus ipſis heſitare. Profectò, ut ait Maignanus illę tota Europa celebris append. 4. ſolùm lippientibus lux non exhibetur; quapropter evidentiæ lux mentibus quavis de cauſa, quovis præjudicio occupatis, lippientibus affulgere non poteſt; quamobrem ex occaſione aliquid dicam infra.

De rerum exiſtentia evidenti, in quo maximè noſtræ mentis cæcitas,& ignorantia, noſtræ naturæ ſupplicium, manifeſtatur.

6. REerum eſſe per ſenſibilia principia omninò conſpicuum ad intellectum quoque redundare evidentiam prorſus primo intuitu credebam; at ſeria meditatione id contemplans conſtitit rerum eſſe per principia intellectualia non tale, quale putabam ſenſuum firma certitudine evidens, atque certum deprehendi. Deo, ac meipſo exceptis nullam rem inviolabili mentis claritate, certitudine ve exiſtere, comperi.

7. Eſſe rerum promiſcuè loquendo eſt evidens; quis enim negabit ſydera, Solem, aquam, perennem, quem videt fluminum, fontium, aquarum fluxũ, curſumque, Deum, ſeipſum, & ſimilia; ergo, qui dubitat de eſſe deficit mente, in quo alia peccati originalis pœna. Magis primo conceptu clareſcit eſſe, quam ſi verbis, aut aliter explicare velimus; eſt enim res notiſſima, ſeù ipſum eſſe notiſsimum, magiſque, verbis, & ſermone obumbratur, quam affulget. Et quoniam duplici via eſſe derivat, aut generatione, aut creatione, quia eorum, quæ fiunt, aut ex non ente, aut ex ente, ſcilicet, aut ex nihilo, aut ex aliquo, & ex aliquibus conſtat nobis eſſe genitum,& eſſe creatum; experimur res nunc v.g., quæ antea non erant, naſci videmus animalia, plantas; ergo nobis conſtat rerum generatio; eſſe ergo, & quidem genitum

genitum patet; Igitur, ſive loquar de eſse genito, ſive creato, eadem eſt claritas, ac certitudo; &, ſi qua eſt obſcuritas, potiùs de via ad eſse, quàm de eſse dicenda eſt, nempè de creatione: Nam, ſi, dum fit compoſitum v. g. Canis, minimè de compoſito dubitamus, nec de partibus compoſiti, aliter ſecuri non eſsemus de compoſito. Sic ergo certi ſumus de eſse partium componentium; ergo, ſi ſtat, difficultas aliqua, eſt de eſse rerum ſimplicium, in quantum ſunt termini creationis, ſcilicet non per compoſitionem, conſequenter non dubitamus, niſi de creatione, tùm paſſivè, tùm activè ſumpta. Sed hoc mirum videri non debet; Etenim res ſimplex dicit compoſitionem prædicatorum methaphyſicam, aut logicam, etſi una in ſe indiviſibilis, ac ſimpliciſſima res ſit, &, ut dictum eſt, non dubitatur de eſse rei, ſed de fieri per creationem, ſeù de creatione: Cum autem Deus ſit agens infinitum, omnipotens, poteſt producere effectum ex nihilo; & ipſum eſse rei, quod ſit creatum, dicit, quod ſit productum ab agente, nullo præſuppoſito eſse ejuſdem rei, ſed, quod ſimpliciter ſecundum omnem rationem entis incluſam in effectu fiat; ergo, cum Deus ſit agens illimitatum, quid mirum, quod jam cauſam habeamus, ordinatam ad eſse, tali modo ponendum, puta, quæ poſſit communicare ſeipſam alteri abſque auxilio ulterioris cauſæ, nempè materialis, & ſubjectivæ. Quod enim unum agens alia ægeat cauſa ad agendum, non ſequitur, quod omnis cauſa indigeat alia pariter ad agendum; nam Deus, cum ſit Deus, non æget alio extra ſe, ad ſe communicandum ad extra; ſed ſufficit ipſe ſibi; Sicque effectus recipit eſse à ſolo Deo. Undè benè concipi poteſt aliquid eſse, & hoc aliquod eſse dependens à Deo per creationem, ſeù, quod idem eſt, dependere ab agente, influente ſe ſolo, & nullo alio extra ſe agente; itaut ſola cauſæ communicabilitas ſufficiat, accedente decreto, ut ponatur in ſe aliqua res.

8. At eſſe, ſeù genitum, ſeù creatum, licet evidens ſit

quoad nos ipſos; eorum verò, quæ extra nos poſita ſunt, quæque ſenſus noſtros immutant, afficiuntve, quæ evidentia? Qualis certitudo? Quæ profectò à ſenſibus ortum habet, non eſt niſi evidentia ſenſuum; At ſenſus non ſunt regula veritatis, nec veritas invenitur in Idæis ſenſuum, ſed in Idæis mentis, quæ ſola mens norma, & regula veritatis eſſe poteſt. Evidentia ſenſuum eſt certitudo apparentium; Inter apparere, & eſſe latum eſt diſcrimen; Imò nec quidem, quoad eſſe ſtabiliēdum opus eſt ſolius intellectus creati, ut patet circa myſteria Fidei: pro quibus, revelatio divina eſt veritatis norma. Quoad naturalia autem, præter nos ipſos; & Deum nulla eſſe poteſt (& in hoc elucet noſtræ ignorantiæ cæcitas) ratio, quæ firmiter perſuadeat, neque convincat, Solem, Stellas, &c. exiſtere hic, & nunc. Quapropter quærendum eſt argumentum, quo rerum exiſtentium veritas demonſtretur; quod enim è ſenſu aſſumitur, non ingerit metaphyſicam, & abſolutam certitudinem; nam ſic evidens eſſet exiſtere panem, & vinum, facta conſecratione, quod tamen fidei divinæ repugnat; non ergo aliud eſſe nobis certum, & evidens eſſe poteſt, quam panem ſentiri, vinum videri, utrumque apparere; Sed non conſtat utrumque in ſe formaliter exiſtere in actu. Inter eſſe, & apparere, ut dixi, latum eſt diſcrimen. Quadratum apparere rotundum, remum apparere fractum, non eſt eſſe; Quæ ſub aquis conſpicimus majora, minora ſunt in aere.

9. Profectò tanta eſt ſenſuum deceptio, ut nihil comprehendatur firmum, & ſtabile, & conſequenter nil apud ipſos certum. Quandoquidem, ut liquet cuique, aliis atque aliis, aliter, atque aliter res eaſdem oſtendunt: Aliter eminùs, aliter cominùs; Et jam à P. Maignano viro conſummatæ ſapientiæ in ſuo philoſophico, nunquam ſatis laudando, curriculo demonſtratum eſt ſenſuum perceptiones, potiſſimùm quoad propria formalia objecta non correſpondere exterioribus objectis; nec iſta qualitates habere ſenſationi-

bus

bus ſimiles, quas cauſant. Sufficientiſſimè quippè ab eo demonſtratum eſt, colores, lucem de formali, præter oculos, non eſſe; nullum fore ſonum, ſi nulla foret auris, &c. Quanta ergo deceptio à ſenſibus derivavit in intellectum eorum, qui præoccupati à prima rerum apparentia, præſertim à pueritia, & conſuetudine credendi, eaſdem res ſic eſſe, quales ſenſibus perceperunt, patet, nam præcipites in judicando, ſenſuum perceptiones ſequuti fuerunt. Veritas ergo in ſenſibus inveniri non poteſt, niſi ſolius repræſentationis; ergo etiam non poteſt haberi certitudo, & claritas, quod res exiſtant, quia ſentiuntur; id enim ſolùm arguit certitudinem ſenſationis, & meæ exiſtentiæ. Concluditur igitur, ultra Deum, eorum, quæ ſunt extra nos poſita, nullus eſſe poteſt diſcurſus certus, & evidens, deductus ex ſenſibus.

10. Verùm ne videatur res deſperata; ultra innumera capita, undè id certum eſſe poſſet, hoc unum aliquis aſſumeret, videlicet, argumentum, deſumptum à creaturis, ad probandum, Deum eſſe. Deus probatur, imò demonſtratur, ab exiſtentia mundi; Sed Deus non probatur ab exiſtentia Dei; ergo mundus vèrè eſt; Cum enim ignis non ſit Deus, eſt enim opus Dei, & ſic de cæteris dicendum, ſequitur, quod, cum ex creaturis arguatur Deus, hic diſtinguatur à creaturis, ſeù ſint de facto duo, aliter Deus cognoſceretur ex ſeipſo; nam ubi conſtat, Deum eſſe ratione naturali, ſi dicamus, Deus agere pro mundo; ergo ſciretur Deus, dum ſcitur mundus, antequam natura videatur mundus, nam, dum hic cernitur mundus, non intelligitur per hoc Deus; Cum ergo humana ratio infert Deum eſſe, unum eſſe infert ex alio; ſed, aliud re vera non eſt, ſed eſt Deus, deduco, quod undè intellectus ſciat, Deum eſse, aſſignandum ſupereſt: Non ex alio eſse, ut dicitur; ergo ex eo, quod Deus eſt, qui agit ſecundum illam apparentiam, infertur, quod Deus eſt. Sed hoc quæro, undè ſcitur, Deum ſimpliciter eſse; qua-

propter dicatur agere, nam, ſi dicatur, Deum agere, in hoc involvitur, imò ſupponitur Dei notio, quam quæro, & dico, undè derivavit?

11. Dices: Cognoſco, Deum eſſe ex ſeipſo, cognito ſecundum mundi apparentiam. Contra: undè licet dicere, Deum eſſe mundum apparentem; niſi priùs conſtet, Deum eſſe ſecundum ſe, & poſtea aliqua de cauſa dicatur eſſe Deum iſtummet mundum viſibilem. Dices: Cognoſco prius iſtum viſibilem mundum, deindè Deum; poſtea dico, eſſe Deum mundum apparentem; Sed contra, nam oportet primùm probare, mundum verum ſecundum ſe implicare, atque corpora opera Dei eſſe non poſſe, aut ſaltem de facto non eſſe; & indè dicere, mundum eſſe Deum ſic apparentem. Dices: Id eſſet verum, ſi diceretur hoc poſitivè, & quaſi aſſertivè: Dum autem dicitur per modum dubii ſpeculativi, & negativo modo, ſcilicet, in quantum id, quod eſtimamus pro corpore vero, extra nos poſito, fortaſsè, quis ſcit ita ſit, nec ne!

12. Sed reſpondeo, id abſurdiſſimum eſſe, atque fœdiſſimum dicere. Primò de nobis ipſis, atque aliis viventibus implicare. Secundò non minùs corpora ſunt nota, quàm ſpiritus; Imò ſpiritus à nobis vix per mentis aciem concipi queunt; Corporibus verò diù immergimur, & nonniſi corporea circumſtant. Adde: Non magis extra nos poſita, quam propria corpora admitti non debent. Tertiò non eſſet Deus verus Dominus, & Creator, ſi veri termini dominii, & creationis non ſunt, nec admittuntur. Neque dicas ſalvari rationem dominii erga nos, erga me, v.g. ſic ſpeculantem; Nam, cùm clarè intueamur Solem, &c. non eſt ratio adimendi à Deo verum dominium, ſicuti in nos, ſic in Solem, &c. Quartò, quodnam majus argumentum exhibere poſſet Deus de vera corporum hujus mundi exiſtentia in ea hypotheſi, qua verè eſſet, quod non exhibeatur hìc, & nunc, cum diceretur verè non eſſe? Ergo certi eſſe debemus de eſſe re-

rum

rum. Quintò eo magis, quia de fide eſt, mundum verè eſſe. Sextò aliquando patuit mulier apparens hominibus operâ dæmonum; ergo dæmones admittuntur; ergo à fortiori corpora tàm manifeſta: Antecedens patet, quia mulieris ſpecies aſſumpta, ut incitentur homines ad peccatum, non potuit eſse Dei, qui malorum intentator eſt; ergo dæmonum, & ſpirituum, ut ajunt, &c. ergo, ſi alia extra nos, & Deum dantur; cur mundus iſte, tàm conſpicuus, in dubium aſsumitur. Septimò, ſi dæmones corporum aſsumunt imaginem, quam fingunt; ergo datur veritas corporum, quæ quandoque fingi dicuntur à dæmonibus: Si quippè corpora vera nõ eſsent, non dicerentur dæmones fingere ſe corpora; Igitur proprietas, & veritas corporum eſt in mundo, & mundus ipſe. Octavò, cum nos experiamur tot genera corporum, & ſpecies tàm diſsonas differentes, ſequitur in rei veritate eſse, minimè per illuſionem; quod ſic oſtenditur. Dum enim v.g. accenditur lampas oleo plena, jam patet oleum inter & ignem dari connexionem ſecundum ſe, quod, nempè ignis in ellichinio ex olei materia pabulum ſumat, & pro olei qualitate ignis accenditur, & in aquis ignis periret, & ex oleo, aquis immixto, difficulter ignis vigeat; ergo ſignum eſt certum, vera eſse ſecundum ſe corpora, quæ talem actionem, affinitatem, incapacitatem reſpectivè habent. Deum enim agere hoc modo, ad quid? Deberet etiam ſic, dum lampas aqua plena eſt, nam, ſi phyſicè nil eſt præter Deum, non magis Deus talia deberet oſtendere in uno caſu, quam in alio; Si ergo, quæ videmus tàm rectè ſervantur; Ratio ita ſervandi eſt propria natura eorum, quæ videmus; ſed ea, quæ videmus, non ſunt, ut dicitur, in ſe; ergo ſemper videre deberemus ignem, etiam cum aqua, nam nil eſt, quod igni repugnet, atque per conſequens cogat ignem eſtingui; nam ignis non eſt ſecundum ſe; aqua non eſt ſecundum ſe; cur ergo pugnant? Cur unum ceſsat, alio adveniente? Debet ergo Deus agere ſimili modo, ac agebat; nam non eſt alia

ratio

ratio deficiendi, niſi quia Deus vult deficere in ſpecie; ſed cur Deus ita ordinatè deficit, putà appoſitione aquæ non olei, dummodo iſtæ poſitiones non ſunt veræ in ſe; ergo ſignum eſt corpora ſecundum ſe in ſe eſse.

13. Dices: Deus vult ſe accommodare creaturis rerum olei, aquæ, ignis, &c. Sed ſubdo ego, undè ſcis totum id eſse accommodationem Dei non veritatem. Imò hoc Ipſo habemus veritatem in ſe olei, vini, ignis, &c. tanquam opera Dei in ſe, & fruſtra recurrimus ad aliud præter iſta, & quod ſe accommodet iſtis: Hoc enim verum eſse poteſt in aliquo caſu particulari, nobis revelato ob myſterium occultandum, ut patet in Sacramento Altaris. Adde, ſicuti in hoc ob veritatem Sacramenti non datur verus panis; ſic extra Sacramentum datur verus panis. Nonò veritatem mundi probat ordo regularis naturæ, qui non perturbatur, niſi adveniente miraculo; & aliundè opus mundi, ut ſit verum, neceſse eſt ex divina operatione, quæ nonniſi ita eſt, ut cernitur; nam nil urget in contrarium ex divino myſterio. Imò hoc myſterium naturale ſecundum ſe ſalvandum eſt. 10. Indecorum eſset divinæ Majeſtati, ſe ad extra diffundi fictè; Cum enim divina bonitas ſit verè benefica, & verè diffundibilis ad extra, indecorum eſset divinæ Majeſtati, & bonitati, niſi ſe ad extra diffunderet cum veritate, & cum vera participatione bonitatis, ut in veris operibus eluceat per communicationem ſua infinita bonitas veram ſuæ perfectionis. 11. Congruit Deum facere vera corpora, extra nos poſita, convenienter ad ſtatum hominis, ut, ſicut fecit verum hominem; Sic quoque cætera in obſequium hominis, & ornatum mundi verum, & realem, in quo affulgeret Dei optimi maximi perfectio, bonitas, magnitudo, ſapientia, &c. 12. In tota ſcriptura liquet opus ſex dierum, ſeù mundus creatus.

14. Redeundo ergo ad inſtitutum, de eſſe rerum in facto minimè dubitandum, & quidem ratio nequit eſſe melior,

lior, niſi advocando ſenſus, oculis adſcitis, quibus res intuemur. Hùc fecit dictum Ariſtotelis 8. phyſ. tex. 22. *Dimittere ſenſum in iis, quæ ſenſibus manifeſta ſunt, & rationes quærere, infirmitatem quandam eſſe intellectus.* Cum igitur nobis tanta claritate rerum, atque evidentia res ipſæ manifeſtantur, dicendum eſt, res ipſas eſſe, cum non ſint Deus; Quis dicet oleum Deum eſſe? Sed oleum oculis cernimus, ſenſibus pertractamus, ſcilicet intuemur res corporeas, extenſas formaliter, formaliter diviſas diviſibiles conjunctas activas impenetrabiles; quæ quidem omnia opus eſt eſſe; non enim ſunt Deus, cujus alia altior eſt notio alterius conditionis, omnia excellentis: neque eſt Deus, ut dici poſſet, ſuppletivè, nam in hoc eſt abſurdum, cum nos non habeamus undè id judicare, & aliundè res ipſas ſecundum ſe intuemur; ergo ſecundum ſe ſunt. Imò per idipſum, quod diceretur, Deum virtualiter, & eminenter corporeum, haberemus omnia hujus mundi creati corpora continentem, aliter nec corpora videremus, tangeremus, &c. ergo non niſi perfectionem corpoream, & corpora experimur; Igitur, undè movemur ad dicendum, non eſſe verè, & ſecundum ſe, cum talia manifeſtentur: Quomodò, ſi corpora manifeſtantur dicere velimus non eſſe corpora, ſed ſpiritus; Si enim ſpiritus haud videmus, nec quid ſit ſpiritus mente benè capere poſſumus; Corpora verò potentiæ continuò occurrunt, quomodò dicere poſſumus non eſſe de facto ſecundum ſe corpora, ſed ſpiritus, Angelos, Deum. Ceſſent iſtæ tam fœdæ, tàm veſanæ nugæ.

15. Demùm eſſe in facto mundum apparentem, convincit dari corpora quædam, nam manifeſtatio fit potentiæ cognoſcenti; ergo datur ſenſus materialis, putà oculus, &c. ergo dantur corpora. Cur ergo non dantur alia corpora, quæ videmus, ſicuti videmus nos ipſos. Ultimò Deum operari neceſſariò in rebus iſtis, neceſſitate ex ſuppoſitione, ut intelligunt Theologi, cum operetur ſecundum naturas re-

rum;

Digitized by Google

rum;ergo res iſtæ ſunt;Cur profectò nō ſemper videtur Sol? Cur non ſemper illuminat nos, &c. Ergo Deus operatur cum reſpectu ad res, ac, ſi ipſe eſſet omnis,& ſingula res ſigillatim; ergo operatur neceſſario, veluti agens naturale, & non,ut Deus,Secundum poteſtatis plenitudinem,quia ſic tranſgreditur limites hujus naturæ &, tàm poſſet illuminare præſente Sole, quàm abſente; ergo non operatur hìc, & nunc, ut Deus ſecundum ſe, ſed juxta rerum exigentias, ſeù conformiter ad ſtatum, & conditionem rerum. Totum hoc experimur, & exemplificatur de facto in mundo hoc viſibili. Deus nimirum hunc mundum fecit, & conſervat, atque cum mundo concurrere decrevit in ejus operibus; itaut nihil ipſe agat, quod non coagat cum creaturis; Undè leges ſervantur mundi, & reſpectu ad eas agit,nec quid ſolus Deus facit, excepta anima rationali, & etiam quoad hoc ſervat leges cauſæ ſubjectivæ, nam concurrente organico apto ad recipiendum, infundit animam rationalem, immortalem. Verè igitur creavit mundum ex vi rationis naturalis, ſic dictantis, & ſibi ſe reliquit, & prima tanquam mens,continuò mundo aſſiſtit creato,qui jam durat, & perſeverat ſibi ſemper ſimilis; Cur ergo admittere mundi Deum, ut ita dicam, Vicarium, corporum nomina, & vices ſupplentem; Cum ſufficientiſſimè conſtet de principali; ergo dicere etiam dubitativè obſtinatè,mundum eſſe apparentem, abſurdum eſt, niſi prius demonſtretur corporum abſentia, quæ quidem, etſi fieri poteſt, tamen, quod abſolutè ſit in facto, non eſt rationabile.

16. Sed quia aliquis in rerum hujus mundi exiſtentiæ philoſophia abſolutam certitudinem peroptans dicere poteſt, ſe non obligari ad oſtendendum corporum abſentiam, defectumque, ſed ſolum ſubſtinere corporum hujus mundi præſentiam, non eſſe claram, & certam; quodque nec perſuadeatur, nec convincatur; ideò rationem ſubdo, qua puto mundum iſtum apparentem eſſe in ſe formaliter verum, ſeù in ſe exiſtere, optimè demonſtrari. DE-

Digitized by Google

DEMONSTRATIO.

17. DEus eſt res quædam ſumma, qua melior excogitari non poteſt, omnibus perfectionibus abſolutiſſima, includens omnem excogitabilem perfectionem; ergo omninò verax factis, & dictis; ſi quippè ſolùm dictis, res, quæ eſſet ſimul verax dictis, & factis, melior eſſet; Igitur melius Deo excogitari poſſet contra Dei notionem, qua concipitur eſſe id, quo melius excogitari nequit; ergo implicat, ut ei titulus imponatur illuſoris, deceptoris; Nos autem illuderet, deciperet, ſi mundus verè in ſe non eſſet; igitur, &c. Probatur minor ſubſumpta, nobis quippè rerum hujus mundi extra nos poſitarum, ex una parte aſſiduas ingerit ſpecies, & tanta ſupra notata conſtantia, & viciſſitudinum æquabili lege, atque ad ita rationabiliter judicandum induceret, cum tamen ita non eſſet; ergo ſeduceret, illuderet, &c. nobiſque eveniret, quod illis avibus accidit ab illo celeberrimo pictore Zeuſi in uvarum racemis depictis, illuſis.

18. Dices; Ergo ne Deus eſſet illuſor, videri haud deberet remus, ſub aquis fractus; ſed conſideret ſic arguens, Deum, naturæ conditorem, ſecundum leges, naturæ præfinitas, operari, non eſſe idem, ac decipere; Cum ergo ſpecies tranſeant de denſiori medio in rarius, opus eſt ex lege naturæ, & principiis opticis, id ita evenire; indeque ſequitur nec naturam, nec Deum illudere, niſi velis eos, qui de optica, & de natura parùm ſunt ſolliciti.

19. Sed ſtrictiori argumento dici poſſet, Deum eſſe illuſorem, dum in Sacramento Altaris panem præbeat videndum, guſtandum, &c. ibi vero non exiſtente pane, nec quidem quoad accidentia in doctrina Maignani, ut magis robur, & vim capiat inſtantia.

20. At ab hac illuſione eripuit nos Chriſtus, dum nos

attentos eſſe voluit ibi poſt conſecrationem non eſſe panem illis verbis. *Hoc eſt Corpus meum*: quæ certè deceptio eſſe quit in ejus animo; qui omnem removit occaſionem anticipatò deceptionis? Etſi ad occultandum myſterium ſenſibus appareat panis, & vinum. Fortaſſe quis ad magis velitandam hanc meditationem ad apices uſque ex acti ratiocinii dicet, Deum non eſſe illuſorem in propoſita materia; Sicuti non illudit cum eo natura per hoc quod aliter eminùs, aliter cominùs conſpicimus eaſdem res; quod majora, aquis demerſa, minora appareãt corpora ſuper aquas. Id enim provenit ex naturæ mundialis phyſicæ legibus inſinuatum eſt ſupra; Ergo etiam Deus non illuderet nos, quod appareant res hujus mundi; Si mundus non ſit ex hypotheſi; eo magis quia, ſecundum quod appareret potentiæ cognoſcenti, eſſet eminenter, & virtualiter.

21. Diſparem verò eſſe rationem, patet, nam exempla allata ſupponunt res exiſtere, & ex ignorantia, aut inadvertentia, aut præcipiti conſilio mens deciperetur, non advertendo naturæ proprietates, phyſicas leges corporum, eorumque actiones: At non ex inadvertentia, incogitantia, & præcipiti judicio mens noſtra exiſtimaret, ea eſſe, quæ ſunt extra nos poſita, ſed in propoſito nulla alia eſſet cauſa deceptionis, niſi Deus, qui ageret in ſenſus manifeſtando ea, quæ non ſunt; Nec ideò mens judicaret, mundum eſſe, quia aliquod principium non cognoſceret, quod, ſi cognoſceret non ita judicaret; ſicuti fallitur, dum judicat præcipitanter remum fractum, quia non dum cognovit cauſas, & principia apparentiæ illius fractionis, ergo, dum judicat, & fallitur, cauſa fallendi eſt ſolus Deus, qui noluit mundum ponere in ſe, & voluit mundum apparere, cognoſci, & ſenſibus obiici, & conſequenter voluit illudere, ſeducere, decipere.

22. Ad profligandam omnem dubitationem eorum, quæ ſunt extra nos, Deo, ut à principio dicebam excepto, alia

alia eſſe poſſet demonſtratio; quæ eruitur ex hoc, quod eadem certitudine, qua certi ſumus nos exiſtere, inferri debet à ſimili, res alias extra nos eſſe. Etenim eatenus nos eſſe eſt evidens, quia cogitamus, & cogitando ſumus; & noſtræ cogitationes, cum ſint innumeris admixtæ imperfectionibus, nos eſſe opera Dei infallibiliter indicant; ergo,cum quoque res alias in propriis generibus operari experiamur, & operari eſt conditio entis; ſequitur, res alias eſſe, quas ſic, & ſic operari videmus; & cum pluribus imperfectionibus operationes cernamus admixtas; judicandum eſt nonniſi à propriis principiis formalibus, qua talibus provenire, & non à Deo optimo maximo.

Cui rationi occurri non poteſt dicendo, Deum ſe accōmodare; nam in hoc ſupponitur naturam eſſe, & quoad caſum particularem, Deum ſe accommodare: Cui enim accommodatur, quæ nec eſt, nec fuit, & quo capite intellectus accommodationem iſtam concipere poteſt; Si rerum exiſtentia nunquam, ut ſuppono ei innoteſcit pro certo.

23. Item: Me eſſe eſt indubitatum;ergo alia eſſe extra me, quæ jam apparent, etiam indubitatum eſt; probatur conſequentia: Me eſſe majorem me ipſo in adoleſcentia, quàm infantia, eſt per ſe notum; quatenus, ut id ſciam, nullum eſt ad id neceſſarium medium, quod aſſumatur.Sed eſt certum cibariis me factum majorem; ergo cibaria jam erant, antequam ex iis per nutricationem grandior evaſerim; ergo.Ad ſummum hic à volente proterviri dici poſſet, Deum ad præſentiam cibariorum apparentium, & apparentem deglutitionem me alere, atque augere ad ſtatum juventutis v.g. & deinceps. Sed quæſo primò, cur dicis, Deum producere novam ſubſtantiam pro me alendo,& non dicis ſubſtantiam cibariorum præeſſe; ergo chimericè dicis cibaria non præfuiſſe, imò ex hoc argumento ineptè ais nō convinci ad aſſerendum eſſe formaliter in ſeipſis omnia omnis generis, tùm eſculenta, tùm poculenta. Secundo,

dum nos,me, te mori contingit, ſubſtantia noſtra in cineres reſoluta, atque in alia mixta,nonne pro certo, & indubitabili habes corpora illa, ſcilicet, cinerem, vermes, terram, & ſimilia; ſi negabis; ergo contra te ipſum, ego non eram verè grandior factus, nec major in juventute, quam infantia; Si affirmabis;ergo jam conſtant indubitanter corpora extra nos; ergo de omnibus ſic dicendum, de aqua, igne, aere, terra, Sole, Stellis, & corporibus cæteris, in hoc mundo apparentibus; nam hæc omnia aliquid de ſuo nobis, ſeù generatione, ſeù adgeneratione,ſeù alteratione conferunt.

Demùm me exiſtere, te exiſtere, mihi tibi reſpectivè eſt certiſſimum certitudine tali, qua poſita, nequit ſubeſſe falſum; ſed me componi ex partibus, punctis, atomis, certum eſt non ſolùm continuativè, ſed phyſicè naturaliter; ergo conſtat, dari corpuſcula, ex quibus ego genitus ſum; ſed ego ſum aliquod factum ex illo genere corpuſculorum;ergo illud genus jam in mundo exiſtit;At ego quoad corpus organicum genitus ſum ex igneis, terreis aqueis corpuſculis; &c. ergo jam datur in mundo hoc corpus, ſeù dantur hæc corpora, quorum ex partibus,in unum coadunatis pro me, meum corpus emerſit. Primi argumenti minor clara eſt, nam corpus meum, quod coaleſcit ex partibus, aut ex atomis, aut ex materia, & forma coagmentantur. Minor autem ſubſumptæ argumentationis conſtat,nam atomi, ſeù corpuſcula, ſeù materia, ex qua corpus meum compactum eſt ſunt calorificæ, frigorificæ, ſeù ſunt materia aſſumpta de ſemine, ſanguine, de ipſomet corpore parentum, & de materia cibariorum; ergo calidum, frigidum, &c. præſupponuntur à parte rei in natura, aliter ego nihil eſſem.

24. Dices: Sequitur ex hoc eſſe elementa animæ, non autem elementa corporis organici. Sed in univerſum loquendo, abſtrahens ab omni, ſeù peripatetica, ſeù moderniorum philoſophia, materia, ex qua facta eſt anima, ante-

quam

quam anima fieret, jam erat,&, dum anima facta eſt, cum ea coexiſtit, & eſt id,de quo verificatur eſſe ſubjectum ſenſitivum; Deus poteſt ſupplere vices objecti ſenſibilis, non autem ſubjecti ſenſitivi,ſeù non poteſt eſſe materia,ex qua, & in qua ſenſus, ſed ſolùm materia, circa quam, ſeù objectum ſenſus;Cum ergo evidens ſit meum corpus eſſe ſenſitivum, ſequitur meũ corpus eſſe;ergo ſequitur meũ corpus ſecundũ ea,ex quibus componitur,eſſe;ergo prima materia, quæcumque ſit illa, jam præſupponitur eſſe; ergo non ſolùm ſunt elementa animæ, ſed corporis etiam; nam ſi corpus eſt; ergo elementa corporis; Si anima eſt; Corpus eſt, nam hujus actus eſt anima; & corpus ſenſit, ſcilicet caro, nervus; ergo nervus, caro, &c. ſunt; ergo elementa carnis, nervi, membranæ,&c.

25. Redices: Certum eſt,me eſſe,& meum corpus eſſe; ſed non eſt certum perindè me ex materia factum,&c.Sed, ſi certum eſt, me, corpusque meum eſſe; ergo certum eſt, corporeum aliquod eſſe; ergo me eſſe compoſitum ex punctis, atomis, aut partibus; & indè certum eſt, iſtas partes, aut eſſe integrales,aut etiam eſſentiales;iſtasque partes integrales, aut etiam eſſentiales ſumere prima mei generatione ex ſanguine, ſemine, & ſecunda ad generatione ex cibis; ergo certum eſt præcedere materiam illam, quæ in meum corpus convertitur, ſive uno ſit illa, ſive alio modo. Ergo tota illius generis materia exiſtit; Cum de qualibet parte ſeorſim dici poteſt,quod exiſtat,nam non minus una, quàm alia, ſi aſſumitur,verè in meum corpus vertitur;ergo verè exiſtit, aliter meum corpus verè non eſſet; ergo ſola conſideratio meipſius inducit claram notitiam aliarum rerum.

26. Paucis perſtringo totam argumentationem.Meam manum v.g. ſentire. & conſequenter eſſe, certum eſt; ergo etiam certum eſt, ſanguinem, aliosve humores eſſe, qui, cum pertineant ad manus nutritionem fomentum; Si manus eſt, ſanguis eſt, aliive humores ſunt; Si ſanguis, alii-

ve

ergo Chilus, de quo ſãguis eſt, erat verè in ſe; ergo cibaria, de quibus chilus eſt, erant verè in ſe; ergo elementa, de quibus cibaria ſunt, erant verè in ſe. Tertio Deus tantùm, in propoſito loquens, ſupplere poteſt genus cauſæ efficientis objectivæ, ſcilicet cauſare in ſenſibus illã impreſſionem, quam facerent objecta; in quo nil aliud involvitur, quàm Deus agens, & potentia vitalis cognoſcens; & in ordine ad objectum ſenſatum, nil aliud eſſet, quàm ſola ſenſatio ſentientis; At verò hinc ex reſponſione ſequitur, quod etiam Deus ſe gereret materialiter, & ſubjectivè, aut etiam formaliter, quod ſuadetur; Etenim aliud eſt ad oculum apparere, & conſequenter in oculum agere; Aliud eſt oculum ad videndum conſtituere; Hoc quippè modo ſe teneret ex parte ocularis fabricæ in ratione principii inexiſtentis, materialis, aut formalis; Cum ergo oculus aptus videre ſit idem, ac tota illa machina ocularis, conſtans nervis, tunicis, ſpiritu, ſanguine, &c. apta videre, nam hæc dicitur completè oculus; ſequeretur, Deum concurrere ſubjectivè ad conſtituendum oculum, ſi retina, ſpiritus, ſanguis nil eſſent, præter Deum: Nam in iſto caſu non agitur ad repræſentationem horum corporum, ſed ad conſtituendum oculum. Primum fieret in ordine ad oculum, jam conſtitutum; Secundum pertinet ad oculi conſtitutionem; Cùm ergo ſciam, & quiſque ſcit, ſuam animam non informare Deum, ſed perficere ſuam materiam organicam, quam vocat ſuum corpus; ſequitur verè, ſuum corpus quoad ea omnia, quæ pertinent ad ſuam proximam informabilitatem, eſſe; ergo ſuus ſanguis in ſua ſanguinis veritate jam exiſtit; ergo Chilus, ex quo ſanguis eſt, &c.

28. Hinc patet, ignorantiam eſſe magnum ſupplicium originalis peccati, ut in rebus, tàm claris, adhuc in errore, & cæcitate verſetur mens noſtra, tantaque animi imbecillitas, ut etiam in die clariſſimo offendat; Tunc autem in

illo

bant voluntatem, ſic neque intellectum: Senſuum quidem uſus, mentis cum corpore unio omnimoda cum tranquillitate, rectusque potentiarum ordo eo tunc ſervabatur. Sicuti namque, poſito originali peccato, difficultas manavit ad bonum, ſic quoque difficultas ad verum. Habemus ergo, ignorantiam, ex tot impedimentis narratis, naſci, quæ difficultatem faciunt acquiſitionem veræ ſapientiæ. Divina autem gratia opitulante, humanique arbitrii induſtria fieri poteſt bonum contra ſenſus reluctantiam; Sic pariter Philoſophus, contra ſenſus præjudicia dimicans, bona inſtituta methodo, atque omnem quærens ſuperare difficultatem, quæ oritur ex phantaſia, aliiſve de cauſis, nulli adhærens firmiter homini, ſeù magiſtro per ſolum rationis examen, ſupernaturali fidei lumine, quandoque adjuvante, optimè ſperare poteſt veritatis inventionem. Quis enim negare poteſt eſſe quoſdam (quod fœdum eſt) tàm propriæ opinionis amatores in proprio ſenſu ita abundare; ut cæteros, eorumque argumenta conſpicua deſpicere, vel ex hoc ſolùm, quod ſibi refragantur, eſt iis facillimum.

COROLLARIUM APOLOGETICUM.

30. EX dictis facilè lector agnoſcet, quàm pravè contra Maignanum quidam, quaſi admiratione commoti, dixerint, fuiſſe ei familiarem loquendi formam, qua paſſim inſinuat ſuas poſitiones demonſtratas claras, evidentes, &c. pro quo hoc Corollarium ſuffectum volo in locum apologeticæ propoſitionis pro Maignano, qui optimè, ut plurimùm utitur voculis demonſtrationis in ſuis expoſitis doctrinis.

31. Plurimi, eo quod multùm lucis in rebus phyſicis affulſit Maignani ſtudio, in eum invexerunt, quod evidentiæ, demonſtrationis, & ſimilium vocum formula, phraſi, &c. uſus fuerit, ut inter alios Courbolerius, & è noſtro Neapolis Regno P. de Benedictis.

Digitized by Google

Ego autem nihil aliud hìc propono; quam Maignanum tota Europa celebrem, meritò in ſuo curſu phyſico,& univerſim in ſuis editis, dictis voculis uſum fuiſſe; Quod, ut oſtendam, ſedulò adnotandum eſt, demonſtrationes non eſſe omnes omninò æquales, ac in eodem gradu; At plures eſſe earum ordines, cōditionesve. Licet enim omnes ſciant, quamplura eſſe evidentia, & clara; multos tamen latet, in quo ſita eſt hæc evidentia, nam, qui fortaſsè crederent, id non eſſe clarum, cui contradicitur, errarent; non enim defuerunt, qui de omnibus rebus dubitarunt; Non ergo judicium certitudinis, aut dubietatis alicujus propoſitionis, naſcitur ab oppoſitione, nam nihil eſt, quod verborum circuitu oppugnari non poſſit. Igitur, ſicuti, non ideò res eſt clara, quia impugnationi non eſt obnoxia; ſic non ideò eſt dubia, quia impugnatur, aut ſaltem indiget demonſtratione, ſed ideò indiget demonſtratione, quia non eſt de ſe clara, ſed debet fieri per aliud clara, ſcilicet, non eſt propoſitio per ſe nota, ſed propoſitio determinanda, quæ dicitur quæſtio. In univerſum ergo illa propoſitio eſt clara, & evidens, quæ ita innoteſcit omnibus illis, qui præcipuo ſtudio per conquiſita argumenta acri, & exacto judicio, omnibus debitè penſatis, operam dant rerum conſiderationi attentè, & ingenuè.

32. Item adnotandum eſt, propoſitiones alias evidentes immediatè; Alias mediatè; & has mediatè, mediatiùs, & magis remotas; Undè quanto magis ſunt mediatè, tanto minus clarè; nam quo removetur concluſio à prima luce, tanto minus habet de claritate: Veritates enim, licet ſint connexæ, ut invicem ſe trahant ſubſtineantque; tamen, quæ immediatè connectitur cum primis principiis, majori luce emicat; quæ verè non ſunt per illationes immediatas tanta luce non affulget; Neque affulget non cogitanti de primis principiis. His ergo poſitis, qua admiratione rapitur P. de Benedictis, dum Maignanum cogitat, quaſi ſemper uſum

fuiſ-

fuiſſe vocibus demonſtrationis in quæſtionum determinatione;nam plurima(quæ hic retexere longum foret),ſi conſideretur propoſitionum catena, principiorum poſtulatio, nonniſi evidentia ſunt, & clara; etſi iis contradicatur ab aliis philoſophis, qui Ariſtoteli addicti ſunt, ut numero præcedenti notabam. Rurſus quandoque dicitur demonſtratio illa, quæ ita evidenter concludit, ut indigeat aliquo mentis ſtudio, aliquoque mentis exacto conatu,quem, qui non habent, certè non aſſequuntur demonſtrationem. Item dici poteſt demonſtratio reſpectiva, in quantum in conſpectum earum opinionum, ex Ariſtotele ſuſceptarum, aliqua propoſitio magnam habet lucem; quo circa optimè dicitur clara, & evidens. Si quidem, ſicut in moralibus dicitur ab Antiprobabiliſtis Scriptoribus, de quorũ numero eſt noſter P. Franciſcus Palanco hiſpanus, ſententia probabilis in cõſpectum probabilioris eſt improbabilis; Sic in phyſicis, & ſpeculabilibus una ſententia in conſpectum alterius eſt evidens, & clara, atque demonſtratio; & oppoſita, quæ ſeorſim ſuam habebat claritatem in cõſpectum clarioris non eſt clara, ſed obſcura; Nam illa, ſi qua erat claritas, erat merè probabilis, aut ab authoritate, aut à falſorum principiorum ſuppoſitione. Non ergo Maignanus cenſurandus eſt propterea, quia pluries uſus eſt voculis evidentiæ, demonſtrationis, &c. Fuit nimirum vir exacti judicii ſuas concluſiones reſolvendo ad apices juris, quem nũcupaverit virum conſummatæ ſapientiæ Franciſcus Ducaſſeus, ut ex ejus vita pag. 23. & laudibus innumeris extulerunt ſeculi mox tranſacti viri famoſi Fermatius, Digbeus, Carteſius, Gaſſendus; adverſarii iidem Lalovera, Courbouletius, Theophilus Rainaudus, Arnù, Vincentius Baronius; Cujus nomen fuit ab initio celebre, nedum in Gallia, verùm Europa tota, cujuſque gloriam, ut perpetuò commemorarent in æternum duraturæ laudis obeliſcum Tholoſani cives erexerunt.

 33. Sed

Digitized by Google

33. Sed jam videamus quid pro ſe Maignanus ipſe reſponderit ad recenſitam notam, ſibi inuſtam rejiciendam . Append.4.quàm annis elapſis ex Gallia humanitate Adm. R.P.Claudii Verdel, Provincialis Aquitaniæ accepi, pag. 278.refert verba Courbuletiana, quæ ſic habent:Nimirùm optimus P. (puta Maignanus) ſic ſua defendit, ſic noſtra impugnat, ut, quamvis alioqui humaniſſimus,idemque religioſiſſimus, diceres tamen adverſarii cauſam omninò à ſe eſſe profligatam. Adeò hoc præjudicium legentium animis ingenerat, non rerum quidem pondere, & argumentorum vi, quod laudi verterem, ſed neſcio,qua victoriæ præfidentia, quam ille quidem multipliciter, ut videbitur toto ſuo opere, ſed præſertim ſpecioſis demonſtrationis, & evidentiæ nominibus,quibus ad nauſeam paginas ferè omnes infarcit præſefert.

34. Hanc verò, etſi animi obſequio admixtam irriſionem refellit Maignanus, cujus verba exſcribo ex pag.279. ,, num.8.9.&c. Cæteroqui exiſtimavi (quo ad illud alterum, ,, quod eſt de verbis evidentiæ...) Placiturã oculis tantùm ,, non lippientibus lucem: Ideoque propoſui, tanquam lu- ,, cem, quidquid, & quoties propoſui, velut evidentiam, ſeù ,, demonſtrationem. Et videri quidem poteſt haud immeri- ,, tò, me ſic propoſuiſſe, ut me propoſuiſſe quandoque, cum, ,, ſcilicet, ratio ſuberat ſic proponendi, non abnuo, quia cum ,, agatur paſſim in ſcholis,ut facilè omnes norunt,ſolis argu- ,, mentis ab authoritate Ariſtotelis, aut ſimilium; vel à ra- ,, tione ſolùm probabili ductis: Exiſtimavi eſſe id à me ſuis ,, locis, & occaſionibus inſinuandum, quod præcipuè obſer- ,, vari optabam: Nempè agere me rationibus, præcipuo ſtu- ,, dio per experimenta ſenſata, aut aliter conquiſitis; ne, ut ,, ferè uſu communi accidit, à lectore minùs attento excipe- ,, rentur, quaſi vulgari modo ſolùm dictæ in aere. Quis enim ,, libros, publicè luci datos, tàm ad eos, qui de vulgo ſunt, ,, pervenire,quàm ad eximios;at iſti nec ideò,vel ſe,vel ſuam

ſapien-

„ ſapientiam offendi putant, nec moleſtè ferunt:Proindeque „ nec moventur ad nauſeam per id, quod illorum ſeù beneficio, ſeù commodo proviſum eſt; & fortaſsè iſte Pater non „ obſervavit nihil apud Angelicum Doctorem eſſe familiariùs,quam,ut initio cujuslibet articuli dicat; Ad cujus rei „ evidentiam ſciendum eſt, & ſimilia. Hæc Maignan. Infra erga finem num.9.ſubdit: Denique, ut uno verbo concludam, quod rationes à me allatas quandoque nuncupaverim verbo evidentiæ, vel demonſtrationis,tribuendum fuit „ non audaciæ quidem, vel inſanæ præſidentiæ,quas odi,nec „ præ me tuli unquam, ſed ingenuitati, ac veritatis amori „ ſincero eidemque non prorſus cæco. Item pag.294.reſpondens Doctor noſter ad objectiones P. Courb. qui ſuffragio Gaſſendi dicit, in phyſicis potiſſimum non eſſe demonſtrationes, ſed conjecturas; undè miratur P. Maignano omnia „ fore evidentia: Sic inquit Maignan: Si Gaſſendi ſuffragio „ non ſint, niſi conjecturæ in phyſicis, licebit ſaltèm, conjecturas infirmiores, & minus ſimiles verò impugnare, aut „ rejicere aliis melioribus, & veriſimilioribus; idque cum „ evidentia, quod ſit ratio potior ita rejiciendi. Et de hoc, „ ſaltem ego potui dicere evidentiam, ut ſolùm volui dicere „ ſicubi dixi, ni fortè non ſint evidentes concluſiones ductæ „ in forma legitima ex iis, quæ initio poſui, poſtulatis, ac definitionibus. Et reſponſionem hanc meam eo magis R. P. „ cogitur, ut legitimam excipere, quo vult argumentationi „ Laloveranæ, quæ poſitis poſtulatis, & definitionibus procedit, nihil deeſſe, quo minus revera ſit demonſtratio, convulſis licet, falſisque repertis poſtulatis. Inferiùs contra „ P. Lalov. inquit, mea quidem evidentia fuit ſaltem conſequentiæ, ut modo dicebam, poſitis poſtulatis, &c. Conſequentia autem, ſeù vis illius benè procedentis, &, ut ita „ cognitæ, eſt, ut patet, objectum quoddam; Evidentia autem Laloverana, de qua ibi ego non eſſe poterat conſequentiæ, etiam poſitis poſtulatis; quatenus ex illis non be-

nè

» nè ſequitur ea propoſitio, quam ille R.P. ex illis deduxit. ...

35. His demùm ad verbum poſitis ex Maignano, quæ habet append. 4. edita Burdigale, conſtat non immeritò quandoque ipſum, aut etiam paſſim adhibuiſſe voces evidentiæ, & demonſtrationis; dum concluſiones ita calamo perſtrinxit, ut acri, exactoque judicio ferè omnia ad legem exactiſſimi ratiocinii reſolverit.

36. At ulteriùs dicam, quis inficias ibit, eas concluſiones dici poſſe evidentes, quæ deductæ ſunt per illationes claras, & certas ex principiis evidentibus, aut poſtulatis inconcuſſis, & nunquam repertis falſis; ſed Maignanus plura deducit in legitima, & preſſa forma; omnibus benè penſatis, atque diſcuſſis ex vi poſtulatorum, & definitionum, poſitarum initio ſuæ philoſophiæ naturæ; ergo, &c. Signanter legantur append. 3. & 4. in quibus diſputatur contra Lalov. & Courb.

37. Quod autem ab aliquibus contradicatur, nihil facit ad rem, ſi conſideretur, quod dictum eſt toto hoc capite. præſertim num. 28. 29 & aliundè nulla eſt ſententia, cui opponi non poſſit, ut de facto Sceptici de omnibus rebus dubitarunt, imo Ariſtotelici, qui conſueverunt, faſtum comparare ab eorum logica, ſemper in utramque partem diſputare ſolent verborum circuitu.

38. Id ergo tandem reputandum eſt pro claro, & evidenti, quod ſic concluditur ex principiis benè inductione examinatis: Cæterùm omnis mentis tarditas, ſi qua eſt attribuenda eſt ejus vitio, cui refellendo ſtudere debet; eo præſertim, quod varia intellectum capacitatis, ſtudii, atque penetrationis diverſitas, præjudiciorum vis, ad quæ eliminanda omnem noſtrum conatum adhibere deberemus; Hæc eſt inter cæteras cauſa contradicentiæ; & mihi ſufficiat, breviter propoſuiſſe, jure Maignanum inter diſſerendum in phyſicis, aut alibi, uſum fuiſſe voculis demonſtrationis.

CO-

Digitized by Google

COROLLARIUM SECUNDUM.

39. TOto hoc capite, quo rerum exiſtentia demonſtrata eſt, extra nos poſitarum elucet, ignorantiam eſſe magnum naturæ ſupplicium, ut adhùc circa eſſe rerum clariſſimum cæcutiat; Idque fructus deducitur tota hac diſputatione, ut mens ſtudeat acquirere habitum diſſerendi de rebus, per concluſiones certas ex principiis inconcuſſis, & ſatagat comparare abſolutam certitudinem veritatum, quæ obtineri poſſit non autem ſtatim conquieſcere cuilibet conjecturæ.

COROLLARIUM TERTIUM.

40. COlligitur item ex hactenus dictis, certitudinem mei eſſe duo includere cogitationem, & extenſionem, ſeù materiam: Nam, ſi certum eſt, me eſſe certùm eſt me ſentire; Igitur, oculum videre, manum tangere, &c. ergo certum eſt, manum, ſeù materiam; & tangere, ſeù tangendo ſentire, exiſtere. Nolo hìc diſputare, ſi cum facultate vitali ſentiendi ſit identicè materia. Pro materia autem intelligo extenſionem non quidem actu, exercitè, ut Carteſiani, ſed extenſionem aptitudinalem exigentialem; quàm ſolùm dico eſſe de eſſentia rei materialis; & ut aliquid dicam circa hoc, puto refellendam eſſe, propoſitionem illam Carteſianam eſſentia corporis collocatur in extenſione. Philoſophi, quibus noſtris hiſce temporibus mirum in modum placuit Carteſiana philoſophia dictam propoſitionem nedùm approbant; verùm ab omni cenſura immunem conſtituere elaborant. Quippè, etſi Maignanea Philoſophia celebretur in tota Europa; attamen plurimi longè ſatis delectantur de Carteſianis hypotheſibus. Solummodò in materia ſpecierum Sacramentalium omnes omninò ad Maignanum, veluti ad ſacrum aſilum,

con-

confugiunt. Ideò aliqui amici meum optarunt audire judicium de propoſitione recenſita, occaſione quadam data, dum legerem librum quemdam inſcriptum logica, cujus editionem, atque quaſdam in eodem opere appendices, ſeù notas curavit conſcribere vir omnigena eruditione in Civitate Parthenia clarus. Statim autem, ac legeram memini reſpondiſſe me amicis propoſitionem eſſe falſiſſimam, imò repugnare articulo fidei, putà, inextenſioni corporis Chriſti in Sacramento Altaris; Si enim extenſio actualis eſt corporum eſſentia; Igitur eſſentia Corporis Chriſti erit quoque, cum ſit unum corporum; Igitur in Sacramento Altaris cum extenſione erit, quod falſum eſt divina fide; ergo corporumextenſio non eſt eorumdem eſsentia.

41. Putat ſatisfeciſse Author modernus pag. 150. dicens, iſtud myſterium eſſe ineffabile, & conſequenter non poſſe ex integro reſponderi, non exiſtimat quid diſſonum Eccleſiæ, & PP. determinationi. Secundò aſſerit, nimiùm præſumere, eos, qui humana ſapientia credunt penetrare occulta noſtræ fidei myſteria. Tertiò fatetur pietatis ſtimulo, ſe non habere tantam ingenii extenſionem, ut capere poſſit rem, quæ ordinem creaturarum tranſcendit, affertque textum S. Scripturæ; qui Scrutator eſt Majeſtatis, opprimetur à gloria. Tandem in confirmationem inquit: Non benè diſcurreret, qui ſupponendo falſum eſſe principium, quæ ſunt idem uni tertio, ſunt idem inter ſe, diceret ſe clarum reddidiſſe, atque facilè cognitu myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis; Ita pariter, ut myſterium Corporis Chriſti in Altari quis enodaret, negare vellet corporum actualem extenſionem pro eſſentia.

42. Ego verò generali reſponſione ſuaſum habeo toti huic doctrinæ validè occurrere, atque apertè oſtendere argumentum in ſuo omninò robure permanere. Omnes enim SS. Patres Averroem vituperant, quoniam philoſophiam peripateticam prætuliſſe dicitur Bibliæ, & circumfertur

dixi-

dix iſſe, Sacram Scripturam plura dicere, ſed non probare. Scholaſtici Doctores arguunt Wiclef, qui, ut peripateticam ſententiam accidentium eorum more firmiter propugnaret, quod poteſt videri apud Sotum, admiſit contra divinam fidem impannationē; ergo, ſi, ſubſumo ego, fides docet Corpus Chriſti in Altari non eſſe extenſivū; Igitur caſſanda hæc ſententia extenſionis actualis. Fides enim, cum ſit veritatis magiſtra, nobis documenta præbet, ut diſcernamus verum à falſo, & quia, ut eſt proloquium verum vero non opponitur; articulus fidei eſt, Corpus Chriſti in Altari eſſe verum corpus, & inextenſum; Eſt ergo infallibilis veritas; Igitur falſiſſimum extenſione conſtitui corpora, nam verum vero non opponitur; Idque, quod ratio dicitur in contrarium non eſt niſi ementita, apparens, mendax. Adde eſſentias rerum, non poſſe à Deo variari; Si ergo extenſio actualis corpora conſtituit; ergo Deus nequit eam variare, aut tollere, corporibus manentibus.

43. Fateor myſteria ſupernaturalia noſtræ mentis captum ſuperare; non tamen eſſe contra rationem; myſterium verò Altaris eſt ex diametro contra Carteſianam propoſitionem; Hæc ergo non eſt vera, ſed falſa; Si vera eſſet, fidei articulus non ſupra, ſed contra rationem concertaret. Quod autem noſtræ fidei myſteria ſint ineffabilia, ultrò concedo, quoad modum intelligendum, quo ſunt; Sicque, quavis philoſophandi ratione poſita, non poteſt perveniri ad exactam intelligentiam rerum ſupernaturalium, hocque ſenſu intelligitur arcana divinæ fidei eſſe imperſcrutabilia; etenim quoad exiſtentiam articulorum ſolus ſufficit credendi actus ex divina revelatione ſuam habens firmitatem, & quietem. At verò quia Deus non revelavit modum, quo ſunt ea, quæ nobis credenda propoſuit; Ideò dicuntur nobis difficillima captu. Hinc ſententia de extenſione actuali corporum non ſolùm non juvat, nec juvare poteſt ad cognoſcendum myſterium Corporis Chriſti in Altari, at deſtruit exiſtentiam

myſterii, & opponitur cum eo, quo, ad quod ſit, nam contradictoriè pugnat cum eo; Licet ratio naturalis non poſſit exactè res explicare ſupernaturales, quia iſtæ illam ſuperant; nulla tamen eſſe poteſt ratio, quæ ſit vera ratio, certa, & evidens, quæ contradicat exiſtentiæ alicujus myſterii noſtræ fidei; ergo non poteſt eſſe vera, ſed omninò falſa illa ſententia, quæ aſſerit, corpus conſtitui per actualem extenſionem: Propoſitio enim univerſalis affirmativa, & particularis negativa contradictoriè opponuntur, & contradictoriorum unum eſt falſum, aliud verum: Carteſiani docent, omne corpus conſtitui per extenſionem; S. Fides docet, Corpus Chriſti eſſe ſine extenſione in Altari; ergo unum iſtorum debet eſſe falſum; ergo, quia articulus fidei divinæ eſt ſummè certus, atque verus, ſequitur illam ſententiam eſſe delendam.

44. Dum verò dicit Carteſianus ſupradictus, non reddi clarum myſterium Trinitatis ab aliquo per hoc, quod negaret illud principiũ, Quæ ſunt idem uni tertio, ſunt idem inter ſe; ergo non per hoc redderetur clarũ myſteriũ Corporis Chriſti à negante extenſionem eſſe eſſentiã corporis.

45. Reſpondeo, nos non quærere myſterii elucidationem; ſed propugnare, exterminandam eſſe à philoſophia ſententiam aliquam, dum myſterio fidei contradictoriè opponitur. Dico igitur, myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis eſſe prorſus imperſcrutabile; hæc autem inſcrutabilitas conſiſtit in hoc, quod nos modum neſciamus, quo ſit hæc eſſentiæ unitas cum tribus; minimè tamen deſudamus ad ſui exiſtentiam cognoſcendam, ſed fide credimus, Deum eſſe unum, & trinum; totusque labor eſt in cognoſcendo quid ſit, & quomodo ſit id, quod eſſe firmiter credimus. Undè, quamvis rationes naturales non ſufficiant ad ingerendam claram notitiam, & modum myſterii; non poſſunt attamen rationes veræ adeſſe, quæ demonſtrent, non eſſe in facto myſterium: Imò ob idipſum non ſunt, niſi fallaciæ, & no-

ſtræ

Digitized by Google

ſtræ mentis imbecillitas, quæ, dum in rebus inferioris notæ cæcutit, quid mirum in rebus altioris ordinis! At quæſo, ſi vera eſt ſententia de extenſione actuali, & conſequenter, ſi verum eſt, omne corpus conſtitui per extenſionem; ergo Chriſti in Altari eſt extenſus; proindeque pugnat ratio illa cum ipſa exiſtentia myſterii, & non cum quidditate myſterii; Nam unum ex duobus eſſe debet, aut Chriſtus in Altari non eſt inextenſus; aut extenſio non eſt corporum eſſentia: Deus profectò ſpoliare nequit res ſua eſſentia, aliter privaret corpora ſeipſis.

46. Cæterùm nemo dicet, myſterium Trinitatis jam reddi explicatu facile per hoc, quod ſit falſum illud principium logicum, quæ ſunt idem uni tertio, &c. ſed ne negetur exiſtentia illius myſterii, dicendum eſt, non eſſe univerſaliter verum; & in hoc conſiſtit Trinitatis auguſtiſſimum myſterium; in hoc ſtat ejus ineffabilis inſcrutabilitas. A ſimili; non ut myſterium Corporis Chriſti in Altari enodetur, atque, ut captu facillimum reddatur; ſed ne negari videatur, quod ſit, imò ne negetur evidenter, quod exiſtat, neganda profectò eſt extenſio corporum eſſentialis conditio; perperàm ergo dicit, eſſe temerarios, qui, humano ingenio fidentes, alta fidei myſteria penetrare credunt; Non enim hìc agitur de penetratione, ſeù de intima, atque exacta myſteriorum ſcientia; ſed ſolùm de exiſtentia, & de pura cognitione, & fide eorum exiſtentiæ revelatæ.

47. Memini, me legiſſe quoſdam extenſionem Corporis Chriſti in Altari ſalvare eam ſumendo non quam habuit in Cruce, & modò in Cœlo; ſed quam habuit initio ſuæ Cōceptionis; Sed ultra plura abſurda, quæ inferri poſſunt, quæque animus quivis refugit, advertat lector, Chriſtum inſtituiſſe tantum Sacramentum in nocte cœnæ tranſiturus ad Patrem; Conſequenter, ſi attendatur forma, *Hoc eſt Corpus meum*, quod pro vobis tradetur, illud, nempè corpus Apoſtolis porrigebat, quod tunc habebat; Tunc enim tran-

ſiturus ex hoc mundo ad Patrem ſuum relinquebat corpus, & ſanguinem, puta, corpus, quod erat, & quod videbant, & ſecundum quod eſt cum eis converſatus; & ſanguinem, quem debebat pro eis effundere. Corporum ergo extenſio pro eſſentia eſt à philoſophia exterminanda.

Caput Quintum.

An in peccato originali decedentes ſentiant pœnam damni ex damno.

1. POEnam dici à puniendo, & ſequi punitionem activè punientis judicis, certum eſt;& non dubitatur importare in ſubjecto punito effectum formalem quandoque ſubjectivæ punitionis, ideſt (& ideò dixi quandoque) triſtitiam, dolorem animi cruciatum, &c. quo poſito. Puto, decedentes in originali non ſentire pœnam damni, ſeù triſtitiam ex carentia viſionis; nam hujus carentia non eſt formaliter, nec radicaliter in ſenſu dicto pœna; Non formaliter, quia hominem non videre Deum, non eſt idem, ac hominem puniri pœna explicata; homo enim in ſtatu puræ naturæ non fuiſſet elevatus ad ſtatum ſupernaturalem, & conſequenter caruiſſet viſione Dei; Non autem punitus per hoc fuiſſet, nec ſenſiſſet ex tali carentia mœrorem, triſtitiam, dolorem, animi cruciatum, &c. Neque radicaliter, quia non ſequitur ex hoc, quod eſt non videre Deum, pœnam ſentire, atque triſtitiam. Infantes ergo decedentes in peccato originali privantur viſione Dei; At non per hoc dicuntur puniri poſitivè, ſed tantum privativè, non dando illis viſionem; ergo; probatur minor: Si infantes triſtarentur de carentia viſionis, poſitivè punirentur; quod nemo dixit, cum omnes Theologi aſſerant, peccatum originale ſolùm privativè puniri. Secundò, vel triſtarentur

de

Digitized by Google

de Deo, nolente concedere ſui viſionem; & hoc non, quia, cum cognoſcant, eſſe donum indebitum naturæ, nec eis debere, ſtante pacto divino, inito cum Adam, non poſſunt conquæri de Deo; vel triſtantur ob conceptum in ipſis motivum de tali carentia, & neque hoc dici poteſt, quia non peccarunt ipſi peccato proprio, & perſonali, ſed peccato originis, & privativè, ſeù peccato Adæ cauſaliter, & privativè formaliter in ſeipſis, ut explicatum eſt capite ſuperiori; ergo non habent undè de ſeipſis triſtentur, quod tanto bono obicem poſuerint; hic enim obex fuit poſitus ab Adamo, ſtante pacto divino, & à Deo, qui voluit eos privare regno, adhuc non peccantibus ipſis, ſed peccante Adam pro ipſis, quorum voluntates in primo homine, ut in Capite, divina inſtitutione continebantur.

2. Probatur ſecundò: eſſe nudum, & eſſe ſpoliatum non in alio differunt, niſi quia ſpoliatum ſupponimus antecedenter veſtitum; atqui infantes, in originali ultimam claudentes diem, ſunt regno ſpoliati; infantes puræ naturæ ſunt infantes nudi, qui naſcerentur ſine ulla elevatione, nec quidem præſuppoſitivè in capite ad ſtatum ſupernaturalem; ſed iſti non ſentirent dolorem, ſeù afflictionem ex carentia viſionis; ergo nec illi. Ratio paritatis eſt, quia non illi ſe ſpoliarunt jure ad gloriam, ſed in Adam ſpoliati fuerunt, atqui in alios ſpoliatos fuiſſe, idem eſt, ac ſi nati fuiſſent nudi, quoad obtinendum terminum ſupernaturalem; ergo, quoad triſtitiam, indè concipiendam; probatur minor ſubſumpta, nam eodem modo non habent jus ad gloriam, qui naſcuntur ſine hoc jure, ac qui naſcuntur ſine jure, quod habuiſſent, ſi Adam non peccaſſet; ergo quoad terminum obtinendum tàm ſe habent homines in ſtatu puræ naturæ, quàm homines poſt lapſum Adæ. Conſequentia clara eſt; infantes profectò puræ naturæ non ſentirent triſtitiam ex carentia viſionis; ergo neque infantes, decedentes in peccato originali; nam ſic decedere nil aliud eſt,

quam

quam ſine jure ad gloriam, quod tamen jus habuiſſent, ſi Adam non peccaſſet; igitur non ſentiunt triſtitiam; cum triſtitia ſit de bono perdito, ad quod fuerant elevati in ſtatu abſoluto, & non promiſſorio conditionato conditione (quod notandum eſt) adimplenda ab alio.

Demùm, ſi de carentia viſionis triſtarentur; quod non habent bonum indebitum, triſtarentur; ſed repugnat triſtari aliquem, quod non habeat bonum indebitum, cognitum, ut tale; ergo, &c.

3. Dices: Gloria erat ipſis debita, quia Deus promiſit Adamo non peccanti ejus filios naſci in ſtatu innocentiæ; ergo, &c. Cum Deus voluit periculum facere poſterorum in voluntate Adæ, non elevavit poſteritatem ad gloriam, niſi ſub conditione, adimplenda ab Adam; igitur decrevit, ipſos elevare, ſi, &c. conditio autem, cum non fuerit ſervata ab Adamo, ſequitur ipſos remanſiſſe nudos, aut dicam ſpoliatos tali elevatione; ergo non poſſunt triſtari de ipſius elevationis deperditione cum non fuerit abſolutè ipſis tradita, ſed ſub conditione in primo homine; ergo, ſi triſtarentur, eſſet de bono ſimpliciter, ipſis indebito, quod eſſet, & fuiſſet debitum, ſi pactum ſervaſſet Adam, &c.

4. Si autem ipſi ſe fraudaſſent tanto bono, certè triſtari poſſent, ut de facto triſtantur adulti damnati, quia ipſi propria culpâ ſe ſpoliaſſent bono ſupernaturali, ipſis abſolutè conceſſo; ſequitur ergo, infantes naſci nudos ſpoliatos jure ad gloriam, & gratiam, tanquam ad aliquod non debitum, ſed fuiſſet debitum, ſtante divina voluntate, ut dictum eſt. Dum autem dico ſpoliatos, intelligendum eſt cauſaliter in primo homine; non formaliter ſubjectivè.

5. Dices forſitan: infantes poſſunt triſtari de peccato originali; ſed reſolvamus hanc propoſitionem, & videbitur, quod hoc eſſet triſtari, quod non habeant jus ad gratiam, &c. quid enim eſt de formali peccatum originis, jam cap. 4. conſtat eſſe privationem juris, elevationis ad gratiam; ergo

ergo triſtari de peccato originali, eſt idem, ac affligi, quod non ſint à Deo elevati ad gloriam, & gratiam ; hæc enim non debetur ex principiis naturæ parvulis, nec comparari poteſt per proprios actus.

6. Quod ſi quis velit humana afferre exempla, quibus pateat, aliquem poſſe triſtari de bono perdito culpa aliena, nil ei proſunt; nam ideò eſſet, quia forſitàn jus haberet ad illud, tanquam ſibi debitum, aut proportionatum, & conveniens. Parvuli autem nullum habent jus ad gloriam, ſed habuiſſent, ſi Adam non peccaſſet.

7. Tandem adhùc benè probari poſſet propoſitio cum aliquibus, ſic: ſi illa damni pœna (quam puto juxta explicationem coincidere cum pœna ſenſus) infantes efficerentur, & triſtarentur de ſuo ſtatu, cui juſtiſſimo divinæ ordinationis judicio addicti ſunt; indè ſequeretur, quod inviti ſubſtinerent divini de ſe judicii ſententiam, atque, veluti obmurmurarent, & inordinatam voluntatem, à divina diſsentientem haberent; Cum autem in hac vita nullam inordinatam voluntatem habuerint videtur nec habituros in ſtatu alterius vitæ, ſed de divino circa ſe judicio contenti erunt, atque illum laudabunt.

8. Nec mihi placet dictum illud quorumdam, infantes per peccatum originale eſse averſos à Deo, etiam, ut authore naturæ; nam ultra alia, quæ dici poſsent, improbabile eſt aſserere, quod Deum non cognoſcent, nec diligent eum, ut Authorem naturæ. Aliundè nulla præceſſit inordinata voluntas, niſi in capite, ratione cujus privantur donis ſupernaturalibus; ergo.

9. Quæres hìc, an infantes in originali, qui deceſserunt in judicio univerſali comparebunt? Ratio dubitandi eſt, nam nec inter agnos, nec hædos numerari poſsunt parvuli; Non cum primis ob originale; Non cum ſecundis, quia peccato carent actuali; At verò ego dico, eos judicandos quoque, primò, nam Apoc. 20. *Vidi mortuos magnos*, *& pu-*

& puſillos, ſtantes in conſpectu Throni. 2. omnibus debetur merces, aut mali, aut boni; Parvulis autem non baptizatis ineſt malum Adæ; ergo, &c.

Caput Sextum.

An peccatum poſſit à Deo condonari ſine retractatione peccatoris, tam de peccato habituali, actuali, quam de originali.

1. Quæſtionem Theologi ſtatim expediunt de peccato actuali; cum ſit impoſſibile eſse, & non eſse pro eodem inſtanti; ergo, cum peccatum actuale ſit actu hic, & nunc, repugnat, hic, & nunc condonari, deleri, &c. Id enim eſset ſupponere, quod Deus non imputaret ad peccatum, id, quod eſset ſecundum ſe peccatum, quod eſt falſiſſimum. Vertunt ergo quæſtionem Theologi de macula peccati, ſeù de peccato habituali, phyſicè præterito, & moraliter perſeverante, in quantum à peccatore non caſsatur, deletur, retractatur, &c. Item de peccato originali, circa quod initio occurrit difficultas, ſcilicet, quod de facto parvuli baptizantur, & peccatum condonatur abſque retractatione; Eſt enim peccatum originale irretractandum; quia, cum non fuerit propria voluntate parvulorum commiſsum, non æget, ut retractetur. At ſolvitur ratio difficultandi: Etſi enim non ſit neceſſitas retractandi eo modo, quo de peccato perſonali; attamen neceſsaria eſt voluntas, petendi baptiſmum pro adultis; Et quia parvuli petere non poſsunt, petit Eccleſia pro ipſis, petit baptizans, petunt Patrini; petit ſaltem pro ipſis Chriſtus, cujus paſſione, per baptiſmum applicata, fiunt hæredes regni. Adulti autem, quia tales, neceſse eſt, ut velint baptizari, nam

Deus

Deus non ſalv at nolentes; & hoc eſt retractare pro peccato originali.

2. Aliqui quæſtionem præmittunt de peccato habituali; & indè præſentem expendunt. Contrarium verò fieri opus eſse, ordine ſervato doctrinæ, mihi videtur: Ex hoc enim poſtea dependet definitio peccati habitualis, circa quod potiſſimùm verſatur difficultas.

3. Puto, peccatum habituale nòn poſse à Deo deleri, non ſuppoſita retractatione ex parte peccatoris; itaut utrūque requiratur, Dei voluntas, volentis condonare, delere, & peccatoris deteſtatio retractatio, & pœnitentia.

4. Propoſitio hæc evidenti paritate probatur à P. Maignano: Nam, ſicuti impoſſibile eſt abſque peccatoris mutatione morali tranſire de juſtitia ad injuſtitiam, de pietate ad iniquitatem; Sic quoque impoſſibile eſt, ut tranſeat de injuſtitia ad juſtitiam. Paritas equidem eſt manifeſta, nam quacùmque forma phyſica poſita in peccatore independente à voluntate peccatoris, non intelligitur mutatus ſtatus liberi, & voluntarii; ergo quemadmodum eſt impoſſibile, ut homo ſine proprio motu tranſeat de ſtatu juſtitiæ ad ſtatum iniquitatis, ita de ſtatu iniquitatis ad ſtatum juſtitiæ. Neque dicere aliquis poteſt, Deum ſupplere retractationem per infuſionem gratiæ; nam de hoc eſt quæſtio, an peccatum poſſit à Deo deſtrui, nulla ſuppoſita peccatoris deteſtatione: Forma quippè ſupernaturalis, ſcilicet, gratia, cum ſit forma purè phyſica, non poteſt valere pro forma morali; ergo non poteſt tollere rationem voluntarii, & liberi in adulto peccatore; ergo, &c.

5. Dices: Poteſt cedere juri ſuo indignationis, nulla ſuppoſita ex parte hominis pœnitentia; ergo. At dico, Deum ſinere, ſe placari, ſtante retractatione juxta orationem illam, à nobis ei expoſitam: Deus, qui nullum reſpuis, ſed quantumvis peccantibus per pœnitentiam pia miſeratione placaris. An verò poſſit juri ſuo cedere independen-

ter ab omni peccatoris motu, dubium eſt negativè deciſum non enim facere poteſt, ut ratio voluntarii,& liberi in peccatore per donum phyſicum ſuæ gratiæ infuſum pereat, nam fieri nequit, ut phyſicum ſuppleat pro morali; cum ſint in diverſiſſimo genere; nec concipientes, Deum juri ſuo indignationis cedere, concipimus moralem ſtatum hominis mutatum; ergo non poſſumus dicere, Deum cedere juri ſuo, non poſita retractatione. Quamobrem retractatio eſt diſpoſitio eſſentialis neceſſaria ex parte peccatoris, ut peccatum Deus deleat.

6. Probatur ſecundò propoſitio: Si poſſet peccatũ deſtrui, non poſita, &c. ratio mali, quæ eſt in peccato habituali, eſſet à Deo, non à creatura; Siquidem, ſtante hac ſententia, peccatum habituale de formali dicit carentiam gratiæ; ergo per hoc, quod Deus nolit infundere gratiam, conſervabit peccatum, & quidem non per accidens, ſed per ſe (qua diſtinctione putarunt aliqui, difficultatem ſolvere). nam ſciens peccatum habituale eſse, non quia non retractatum à creatura, ſed quia non condonatum, vult id perſiſtere non condonando, & conſequenter vult rationem mali in creatura; ergo peccatum, quod non continuatur à creatura, continuatur à Deo.

7. Reſpondent nonnulli, malè dici peccatum conſervari, ſed permanere, perſeverare. Sed advertant, perſeverare idem eſse, ac multum temporis ſervari, & conſervari; Nec dicitur res perſeverare, ſeù durare, niſi per conſervationem; ergo, ſi peccatum perſeverat, & permanet à Deo, conſervabitur à Deo; hoc eſt falſum; nam, ſicuti malum peccati noluit; ita peccati permanentiam non poteſt velle; vellet, ſi peccatum habituale conſiſteret in carentia gratiæ. Oſtenditur id clarè à pari: Sicuti non poteſt eſse primò peccatum, niſi à cauſa deficiente; ita nec poteſt permanere, niſi à cauſa deficiente; cum enim peccatum ſit malum, malum non poteſt primò eſse à Deo; ergo nec ſecundò; ergo

go nec perſeverare, nec conſervari; quod, ſi non conſervetur à Deo; ergo conſervatur à creatura, quod intendo, nam ratio mali, quæ eſt in peccato, ab eodem habet conſervari, à quo fuit; fuit à cauſa deficiente; ergo à cauſa deficiente habet conſervari.

8. Non poſſunt acquieſcere huic doctrinæ, qui peccatum habituale, impropriè dici conſervatum, ſubſtinent. At contra, nam peccatum habituale, ſi verè eſt peccatum, eo modo, quo eſt, induit rationem mali; ergo datur cauſa, vi cujus iſtud malum durat; ergo datur cauſa conſervans iſtam rationem mali; ſed non poteſt eſſe cauſa, niſi deficiens; ergo. Quod, ſi velit quis obſtinatè aſſerere, ideò dici peccatum perſeverare, rejecto vocabulo conſervationis, quod Deus non condonat, delet. Hoc profectò negatur; nam, ſicuti peccatum ideò fuit, quia creatura defecit, & rationem mali poſuit; Ita eadem cauſa deficiens eſt ratio, ut ipſa mali conditio, in peccato poſita, permaneat; nam ſicuti per actum, phyſicè præteritum peccaminoſum, homo fuit phyſicè actualiter peccans; Sic quoque per idem peccatum, phyſicè præteritum, & moraliter perſeverans, dicitur habitualiter peccator; Ratio quippè mali peccati tranſacti adhuc viget, & non vi creaturæ, ut à ſententia contraria arguitur; ergo ſequitur vi Dei; Sed hoc non; ergo Creaturæ.

9. Neque dicas, rationem mali perſeverare ab actu, phyſicè præterito; nam malum peccati, poſitum à creatura non ideò permanet, quia fuit, ſed deſumendum eſt ab eadem cauſa, quæ poſuit actum, qui, etſi phyſicè ſit præteritus, adhuc non eſt per actum oppoſitum retractatus; ergo non deſumi poteſt ab actu præterito phyſicè tantùm, licet actus præteritio phyſica ſupponatur; Aliquid aliud ergo addendum eſt. Neque id eſſe poteſt voluntas Dei, nolentis condonare; nam per hoc, quod non vult remittere, non conſtituit, ſed ſupponit rationem mali, tanquàm ſtatum

Cc 2 homi-

hominis moralem; Si ergo peccatum, per hoc, quod phyſicè fuit, & jam adhuc non ſit ablatum peccatum dicitur habituale, & perſeverans, Deus erit cauſa, ut permaneat, & vigeat, quia Deus eſt cauſa, ut non ſit ablatum, & deletum, nolens ipſe condonare, ac conſequenter ipſe eſt, qui conſervet rationem mali in peccato.

10. Obiicies: Id quod eſt opus ſolius Dei poteſt fieri à ſolo Deo; ſed remiſſio peccati eſt opus ſolius Dei; ergo remiſſio peccati poteſt fieri à Deo ſine voluntate peccatoris; probatur minor; Remiſſio debiti, & injuriæ illatæ, eſt opus ſolius creditoris; ſed remiſſio peccati, eſt remiſſio debiti; nam ideò dicitur manere peccatum, quia manet in Deo jus ad indignationem; ergo.

11. Reſpondetur ſimilia objicienti, Deum habere jus ex ſuo dominio, & benignitate relinquendi ſuam indignationem præbendo gratiam efficacem peccatori, ut retractet ſua ſcelera, qua poſita deteſtatione, condonat etiam intrinſecè per donum ſuæ phyſicæ gratiæ: Hoc tamen non ſuppoſito, Deus nequit jus ſuum relinquere indignationis; Undè ad argumentum nego minorem, & ratio eſt, quia peccati commiſſio eſt actus ſolius hominis; ergo remiſſio, & deletio peccati debet includere actum oppoſitum ejuſdem hominis. Ad probationem non ſolùm Deum eſſe creditorem, ſed etiam hominem peccatorem eſſe creditorem ſuipſius, quia exigit ad mutationem ſui moralem actum ſibi voluntarium; Cum enim ſit creatura rationalis, & defecit à recta ratione defectu morali, expoſcit, ut tranſeat de peccato ad juſtitiam, mutationem moralem; Sed non poteſt eſſe mutatio moralis ſui, niſi dependenter à ſua voluntate; Igitur eſt creditor ſui proprii actus oppoſiti. Dùm dicitur remiſſio peccati eſt remiſſio debiti moralis, concedo; alio modo tantum, nego; Sicuti nego, ideò manere peccatũ, quia manet jus ad indignationem, ſed ideò, quia irretractatum. Deus ergo non poteſt jus creditoris relinquere; Debitum

pro-

profectò, cum ſit morale ex parte hominis, non poteſt ceſſare, niſi ex parte hominis ponatur aliquid morale, oppoſitum peccato.

12. Etſi quidem poſita retractatione non fiat homo formaliter juſtus; tamen ſupra jam dixi eſſe diſpoſitionem moralem neceſſariam, ut Deus poſſit, ſi velit, ſe placari, atque averſionem vertere in benevolentiam; & retractatio, ſi eſt perfecta, ut actus contritionis, dilectionis Dei ſuper omnia formaliter habet juſtificare, adhuc non poſita gratia habituali.

13. Concludendum igitur eſt, peccatum habituale eſſe malum peccati per peccatum præteritum contractum, quæ macula explicatur per carentiam gratiæ voluntariam, ſeù cauſatam ab actu voluntatis, phyſicè præterito, & moraliter perſeverante; Sicque non poſſe peccatum auferri, niſi prævio voluntatis actu oppoſito.

COROLLARIUM.

14. Colligitur ex modo dictis petenti formale conſtitutivum peccati habitualis, quod macula peccati nuncupandum potiùs eſt quàm peccatum, reſponderi ipſam eſſe irretractationem peccati phyſicè præteriti, qua de cauſa dicitur eatenus vigere, & perſeverare, ſeù conſervari.

Caput Septimum.

An peccato mortali actuali perſonali reſpondeat pœna æterna, ſcilicet ſenſus ex ſua ratione, aut divina lege, & inſtitutione.

1. Quæſtionis titulus ſupponit, peccatores ex hac vita cum culpa, & abſque vera pœnitentia de-

cedentes, in æternum puniri. Quæritur ergo, an pœna, ſeù æternus cruciatus reſpondeat propter legem Dei emanatam; an ex ſua ratione?

2. Ego quidem puto, peccatum lethale mereri pœnam æternam, ſeù æternùm duraturam ob legem, à Deo latam, qua illud ita, ſeù tali pœna punire voluit non autem ex ſua ratione. Probatur propoſitio: Etenim pœna, ut habetur Iſaiæ 27. Et cruciatus infligendus à Judice juſtiſſimo, quà Judice juſtiſſimo, debet eſſe culpæ proportionata; & hùc facit illud Chriſti: *Eadem mĕſura, qua menſi eſtis remetietur vobis*; æternitas pœnæ eſt pœna; ſed æternitas pœnæ nullam habere videtur proportionem cum culpa mortali, quæ momento omnimodè committitur; ergo, &c. Minorem non alio modo evidenter probare licet, quam ſolvendo rationes in contrarium aſsignabiles, aut aſſignatas.

3. Aliqui dixerunt, peccatum de ſe mereri pœnam æternam, quia, in quantum eſt offenſa Dei continet malitiam, & gravitatem in eſſe moris ſimpliciter infinitam; ergo ex ſe meretur pœnam infinitam, ſaltem duratione, quæ reſponſio dicitur erui ex D. Thoma in 4. diſt. 46. quæſt. 1. art. 3.

4. Sed, etſi concedam ultrò antecedens; negari attamen poteſt benè illatio, nam non confert ad ſcopum, peccatum eſſe offenſam Dei infiniti, & grave gravitate infinità: Primò, quia adhuc negantes infinitudinem peccati, non negant, peccatum grave mereri pœnam æternam. Secundò, nam pœna, qua puniuntur damnati, infinita nuncupatur duratione, ſcilicet, æterna; Sed, ſi Deus per impoſſibile non eſſet infinitus, ſed eſſet æternus, poſſet in æternum cruciare peccatores, debito peccati; & tamen offenſa perſona non ſupponitur infinita; ergo infinitas perſonæ offenſæ impertinens eſt, ut peccatum de ſe mereatur pœnam infinitā eo prætextu, quo dicitur peccati gravitas infinita in ratione offenſæ. Si enim ſtaret ratio vindicis, & judicis,

poſi-

Digitized by Google

poſita offenſa, & non ſuppoſita infinitate, perſiſteret quidē in æternum; nam æternus Judex puniret offenſam ſibi illatam; ergo quod offenſa ſit infinita, eo quia Deus eſt infinitus, non infert, offenſam de ſe mereri pœnam infinitam duratione. Deus ſiquidem punire habet, quia offenſus, non quia infinitus; ergo æternus Deus in æternum puniret, quia offenſus, non quia infinitus; nam, infinitudine ſecluſa, Deus æternus eſſet offenſus, & nollet condonare; ergo in æternum jure peccati puniretur homo; ergo dicendum videtur, infinitatem, ſicut etiam æternitatem, materializare ad quantitatem pœnæ, jure, & merito peccati.

5. Ratio hæc eſt meo judicio, ſalvo meliori: Aliud eſt, offenſam eſſe infinitam; aliud mereri pœnam infinitam duratione. Eſſe infinitum peccatum, ut offenſa Dei, accipit commenſurationem à quantitate perſonæ offenſæ, & perſonæ offendentis, ad invicem comparatarum; Mereri verò pœnam æternam ſuam ſumit commenſurationem à quantitate, aut durationis peccati, quod tamen videtur ridiculum, nam eſt ſuppoſitio fictitia, ut eſt de ſe clarum; aut intenſiònis, ſecundum quod opponitur virtuti, aut conatus liberi arbitrii, quo vult actum facere, virtuti oppoſitum: Sed peccator nec conatu infinito, nec duratione, nec intenſione actus infinita peccat; ergo per peccatum nequit mereri pœnam infinitam. Eo magis quia, in quantum averſio à Deo, ſeù, in quantum converſio ad creaturam; nam identicè ſimul per hoc, quod convertitur peccator ad objectum creatum, per idipſum avertitur à Deo, eſt omnibus modis finitum; licet, quatenus eſt injuria illata Deo, ſit in genere moris infinitiſſimum; Ergo, licet jure puniendum ſit æternùm pœna damni, non tamen pœna ſenſus. Secundò, etiam conceſſo, quod infinitas perſonæ offenſæ, cognita à peccatore, gravificat infinitè peccatum, & conſequenter inducit pœnam, infinitè ſolvendam, ſaltem duratione: hoc eſt inquirendum, ſcilicet, undè pœnæ æternitatem adipiſca-

piſcatur; non ex peccato præcisè ex ſe, in quantum eſt deviatio à recta ratione; non in quantum offenſa Dei, quia non offenditur ab offendente conatu, arbitrio, affectu, & cognitione infinita; ſi ſolùm attendatur peccans, & Deus, per peccatum offenſus; quod addo ob dicenda mox infra. Redeundo ergo ad rem noſtram, dico, poſſe puniri peccatum in æternum à Deo, præſcindendo ab infinitudine perſonæ, non debito peccati, quaſi exigentia culpæ; & quoad pœnam extendendam, nil ponit infinitas, quod auferat finitas.

6. Alii dicunt mereri pœnam æternam, quia peccatores ponunt ultimum finem in creaturas; Sed contra: Etſi peccatum ſit inordinatio, & perverſitas, quia ordinem pervertit; attamen non eſt inordinatio infinita, nec quoad durationem affectivè; ergo non exigit per hoc pœnam æternam.

7. Alii dicunt, peccatum lethale mereri pœnam æternam, quia, ſi in æternum viveret peccator, æternùm peccaret. Sed ignoro, quomodo intelligendum ſit hoc dictum, &, qua minerva pronunciatum: Si enim, ut crudè ſonat intelligitur, ſapit expreſsè ſemipelagianiſmum; quia Deus puniret peccata ſub conditione futura, ſcilicet, ſi peccator viveret. Ultra quam quod non ſequitur, quod ſub ſtatu peccati ſemper viveret, aliàs non poſſet benè operari. Si verò intelligatur, quod, etſi ſit momentaneum peccatum; peccandi voluntas eſt quodammodo æterna, quatenus peccans, & voluntatem Deo præferens, ita affectus eſt, & intelligitur, ut, ſi perpetuò viveret, vellet tali voluptate perpetuò frui; quem dicendi modum audivi quandoque uſurpatum ab aliquo eruditiſſimo, & ſapientiſſimo ex noſtris in ſuis colloquiis.

8. At contra, nam peccans, licet voluptatem Deo præferat, ſaltem interpretativè, non tamen affectivè perpetuò vellet voluptatem Deo præferre, quod probatur: nam catenus affectivè Deo præfert voluptatem, quatenus ra-

rationem ordinis pervertit: Eatenus rationem ordinis pervertit, quatenus rationem ultimi finis in proprio commodo ponit; ſed non ponit rationem ultimi finis, etiam, dum peccat, in proprio commodo perpetuò, & in æternum, etiam affectivè pro eo tunc; ergo. Probatur minor: Dum quis peccat, ſaltem quandoque, adhùc timet divinam juſtitiam, & ſcit, Deo offenſam inferre; ergo, licet à voluptate ſinat ſe vinci, & ponat in ea implicitè rationem ultimi finis, non ponit tamen per affectum peccati, & in peccato perpetuò, ſed pro eo tunc, pro quo peccat, quatenus ſciens non eſſe ultimum finem creaturam; hunc tamen ordinem non ignoratum transgreditur; & conſequenter pro eo tunc ſolùm pervertit ordinem, non pro toto ſequenti tempore, neque affectivè, ut dictus ex noſtris loqui paſſim ſolet. Præterea hunc dicendi modum vide ſtrictiùs agitatum in appendice, quam ponam in fine, & in eadem patebit æternitatem pœne deberi peccato gravi ob legem divinā pœnalem intimatam omnibus hominibus adultis, ab iis cōtemptam.

9. Dicunt alii, peccatum eſſe dignum pœna ætenrna, quia deordinat hominem ab ultimo fine; ſed deordinatio ab ultimo fine eſt irreparabilis ex parte peccatoris, & ex ſua ratione; ergo, &c.

10. Contra, nam deordinationem ab ultimo fine eſſe ex ſua ratione irreparabilem; vel ſignificat peccatorem non poſſe converti, adhuc cum gratia Dei, & hoc falſiſſimum; vel non poſſe converti, ac reparari illam deordinationem ſine gratia divina, hocque verum eſt; ſed quid indè? Non enim eò quia eſt irreparabilis ſine gratia Dei, ſequitur, quod ſit digna pœna æterna; in hoc enim ſtat quæſtio, an homo per peccatum mortale ſit dignus pœna æterna, ſcilicet utrùm homo deordinatus ab ultimo fine irreparabiliter, & non reparata deordinatione mereatur pœnam æternam. Ego puto, non mereri de ſe nulla lege, lata præſuppoſita; licet peccator ſtatim ac deordinationem in actu elicuit ab ultimo fine, non poſſit de ſe eam reparare,

Digitized by Google

ſequitur ſolùm eſſe dignum pœna æterna damni non ſenſus. Profectò dignum eſt, ut ejus faciem non videat perpetuò, quem poſtpoſuit creaturæ, eo quia opus viſionis eſt opus gratuitum, à ſola Dei liberalitate pendens,& ſupponitur etiam lex divina, quæ prohibet in æternum viſionem malè operantibus; non tamen eſſe cruciatu dignum æterno; Deus quippè, cum quoad ad hoc operetur ſecundum juſtitiam vindicativam, punitivam, attento operis merito; opus, cum ſit undique finitum, in quantum eſt converſio ad creaturam, & irreparabilitas ſequuta eſt per actum finitum durativè, affectivè, & intenſivè, licet, ut injuria Dei, ſit infinitus, ſequitur peccatum mortale non eſſe de ſe dignum æterno cruciatu,etſi dignum æterna damni pœna; neque quia peccator ſe privat Deo in æternum, ſequitur quoque ſe addici igni æterno; aliter infantes non baptizati, eſſent igni addicti: adulti quidem, etſi habeant peccatum perſonale, indè ſolùm deducitur, poſſe Deum jure illos torquere, etiam in æternum; ſed nota poſſet non exigentia peccati,ſed ex mera capacitate peccati,in quantum ſic eſt punibile, non tamen de ſe puniendum, licet puniendum ſuppoſita lege divina, ex qua jus illud pendere puto.

11. Cum igitur peccatum ſit irreparabile, quia peccator moritur; ſicque remanet irreparatum ſemper;tamen, quia certum eſt deordinationem potuiſſe reparare, debitum ordinem inſtituendo, ſi diutiùs peccator vixiſſet; neque, dum peccavit ex affectu peccantis fuit irreparabilis, ſequitur non mereri de ſe, quaſi jure,pœnam æternam,niſi dicas damni.

12. Dices: Meretur de ſe pœnam damni; ergo etiam ſenſus. Paritas negatur,nam ad merendum æternam damni pœnam ſat eſt, quod peccator perdiderit Dei amicitiam, nec liberè recuperavit; ergo jus demeriti habet, ut nunquam Deum videat, & dolorem ſentiat, quod tanto bono ſe privaverit. Ad cruciatum verò hoc non ſufficit,

ſed

ſed debet attendi operis quantitas, ut ei reſpondeat quantitas cruciatus. Accedit opus viſionis eſſe ſoliùs gratiæ; per peccatum nunquam Deum videre,& animi indè merorem concipere, fundatur in jure peccati, quatenus de ſe peccatum cum lædat Deum, de ſe quoque meretur non habere gratiam Dei, & benevolentiam; gratia conſummata Dei eſt ejus viſio; ergo meretur carentiam viſionis; & quidem perpetuò, cum perpetuò remaneat inimicus; & aliundè vita ſupernaturalis eſt donum beneficentiæ divinæ; at pœna ſenſus, cum ſit opus vindictæ,& juſtitiæ punitivæ propriæ pœnis poſitivis, imponi non poteſt cum infinitate, quando peccatum de ſe non dicit infinitatem, ſed finitudinem etiam affectivè ex parte peccantis. Ratio petitur ex eo quod creatura non ſe addixit in æternum, aut infinito conatu, aut infinita appretiatione creaturæ; ergo dignitas non eſt,& jus, aut debitum in peccato,ut torqueatur peccator à creatura, ſcilicet v. g. ab igne in æternum.

13. Dixerunt quidam, hominem per peccatum mortale perdere Dei amicitiam; poſita inimicitia, ponitur jus vindictæ. Et cum æternum duret inimicitia, æternùm durat jus vindictæ; ergo æternùm exequitur vindictam; ergo ſicut jam exequitur vindictam æternùm quoad pœnam damni; ſic quoad pœnam ſenſus. Quoad factum ſecundum legem Dei comminatoriam manifeſtatam, conceditur totum. Controverſia ſolùm eſt, an jus vindictæ, & vindicta ſit pro dignitate, & exigentia peccati antecedenter ad Dei legem, & comminationem quoad æternum cruciatū.

14. Dices: ſemper exiſtit inimicitia, & jus vindictæ merito peccati; ergo, ſi merito peccati meretur pœnam ſenſus; meretur æternam.

Peccatum autem dixi mereri punitionem poſitivam loquendo de perſonali, at non æternùm de ſe, ſiquidem quatenus converſio ad creaturam eſt finitum durativè, affectivè intenſivè; ergo,licet jure ſuo dignum ſit pœna, non ta-

Digitized by Google

men perpetua; ad ſalvandam autem perpetuitatem inimicitiæ ſolùm ſufficit ſpoliatio omnibus bonis ſupernaturalibus perpetua, nam per averſionem peccatoris, ab eo non reparatam, perpetuò Deus ab ipſo peccatore avertitur, nolens ipſi dare ſuam gloriam; Et ſic odio habet negativè, videlicet per negationem gloriæ, quæ erat bonum per gratuitam elevationem naturæ; cum verò agitur de inflictione pœnarum non currit paritas, nam fit tranſitus à punitione privativa ad poſitivam.

15. Quod, ſi replicabit adverſariùs, ideò puniri pœna damni æterna, quia peccatoris averſio à Deo non fuit reparata; ergo, cum converſio ad creaturam non fuerit reparata, ſequitur, &c. Reſpondetur, averſionem, & converſionem non eſſe duo, niſi reſpectu ad terminos; ipſemet actus, quo peccator convertitur ad creaturam, avertitur à Deo, quatenus hujus motus terminus à quo eſt Deus; terminus ad quem eſt Creatura; undè fruſtra fit illa diſtinctio in peccato actuali; ſed quidquid ſit de hoc, aſſero, averſionem non fuiſſe reparatam, importare de ſe primò inimicitiam perpetuam; & conſequenter carentiam viſionis, & ex tali carentia afflictionem; & ratione quia benevolentia ſupernaturalis eſt donum gratuitum, quod demeritus eſt peccator; cum ſemel ſe ſpoliavit ipſo, in æternum ſpoliavit; At inimicitia, quæ eſt ad cruciandum perpetua eſſe nequit, quia peccatum de ſe neceſſariò, ſeù jure proprio non eſt æternum puniendum pœna poſitiva, eo quia non eſt reparatum; etſi enim reparatum non ſit, non tamen ideò Deus jure tenetur ſemper torquere, cum non adſit undè ſemper jure torqueat ex parte peccati, non quidem ex infinitudine peccati; nec ideò quia non reparatum, nam hoc infert ſolummodò, quod debeat puniri in igne v. g. imperio Dei inimici, aliter non torqueretur à Deo inimico; non verò infert, quod ſemper torqueatur: cognitio quippè finita fuit conatus finitus, voluptas finita; quomodo ergo tormenta

ſine

Digitized by Google

ſine fine; Deum eſſe infinitum parùm ad propoſitum referre dictum eſt ſupra; ergo, &c.

16. Dico igitur diſtinctionis gratia in peccato mortali eſſe capacitatem, ut poſſit à Deo, ſi vult, puniri in æternum; non tamen eſſe dignitatem ex ſe, & jus debiti, ut puniatur æternùm; culpa enim, & punitio debent invicem proportionari; nec pœna debet excedere culpam, ſi datur ex exigentia culpæ. De capacitate autem conſtat, cum peccatum dicat injuriam, Deo illatam; ſicque juſtè poteſt peccatorem ſemper torquere, nam ſemper viget injuria, quæ non ſupponitur condonata.

17. At ſi petas, quænam infinitudo relucet in peccato, ut poſſit jure in infinitum torqueri; &, cur de facto damnati in inferno torquentur æternùm; dico, ſic torqueri, quia Deus ita voluit, & talem legem indixit, quam tamen ſcientes homines peccare voluerunt; & ideò amplexi ſunt, quod notandum eſt, æternitatem pœnæ in actu peccati, non quidem formaliter, & explicitè, ſed interpretativè in cauſa, puta præferendo Deo voluptatem, ſcientes, cum hac prælatione conjungi ex divina lege punitionem poſitivam æternam. Hinc de facto ſtante lege Dei comminatoria peccatum de ſe habet jus, ut in æternum puniatur; imò habet infinitudinem, deſumptam à lege, intimata pœnali.

Caput Octavum.

Ad quæſtionem de infinitudine peccati, ut eſt offenſa Dei, deciſam affirmativè à P. Maignano propoſitione quinta cap. 21. in ſua Philoſophia Sacra.

A D D I T U M.

1. Memini me reducem ad propria ex Hiſpania anno 1697. ſuper navim inter cætera, quæ diſſe-

differebamus cum amicis, & litteratis viris occaſione quadam reſpondiſſe argumento cuidam propoſito de finitudine peccati, deſumptum ex eo quod unum peccatum ſit alio majus in quantum offenſa Dei. Plures plura reſponderunt ex illo comitatu; quid enim ego dixerim, puto non fore incongruum, ſi hic apponam. Argumentum iſtud eſt, quod propoſitum fuerat. Majori offenſa dicitur offendi Deus ab offendente formaliter, & explicitè, quàm ab offendente virtualiter, ac interpretativè; ergo peccatum in ratione offenſæ admittit magis, & minus; probatur antecedens. Peccatum, quatenus offenſa Dei, & malum Dei affectivè majus eſt, majuſque Dei malum, ſi manat ab offendente expreſsè, & à volente offendere, ut e.g. per contemptum, quam, ſi offenderet implicitè; Cum ergo ſit magis offendens homo, erit magis offenſus Deus.

2. Dum hoc argumentum circumferebatur apud quẽdam virum illuſtrem Dominicanæ familiæ, Vicarium generalem Inſularum, Italiæ adjacentium, & è noſtris Adm. Rev. Patres Joſeph Maria Perrimezi, ad præſens primæ Provinciæ Provincialem, amicosq; ſuaviſſimos Bernardinum Daverſana, Provinciæ Neapolitanæ ad celebranda comitia tunc Vicariũ Provincialem, aliosq; de ſcientiis benemeritos, quos ſilentio prætereo, & veneror, reſpondiſſe me reminiſcor talem hominem eſſe magis offendentem ſubjectivè, materialiter, & ſecundum ſubſtratum actus offenſivi, quo Deum dicimus offenſum, ſcilicet per actum contra religionem habentem majorem rationem vitii, & graviorem; non tamen magis offendentem dici formaliter ſcilicet ſecundum rationem formalem offenſæ in actu, & activè; Conſequenter paſſivè nec magis erit Deus offenſus, quia forma offenſæ gravificans ipſam eſt una, & eadem immutata, & invariata; ergo, &c.

3. Hinc colligitur malè dici, Deum eſſe magis offenſum, ſed offenſum per actum in ratione vitii graviorem, & majorem v.g. per actum ſacrilegæ irreligionis; perſona quidem læſa, cum ſit eadem ſemper viget eadem menſura

offen-

offenſæ; quod verò graviori peccato ſit offenſus, ſequitur, majorem gravitatem eſſe in ratione peccati, culpæ, & in ratione malitiæ; non autem in ratione injuriæ illatæ Deo præcipienti; Idem dicendum de odio Dei, de mendacio v.g. ſunt æqualia in ratione injuriæ illatæ Deo; Inæqualia in ratione malitiæ; nam, licet odio habens Deum gravius offendit, intelligitur per graviorem actum ſceleſtiorem, &c.

Volui hæc addere in confirmationem doctrinæ de infinitudine peccati, propugnata à P. Maignano locis citatis.

Caput Nonum.

De Prædeſtinatione hominum poſt lapſum.

1. QUanta fuerit divinæ bonitatis pietas, & benignitas conſtat, nam poſtquam omnes homines perierint in Adam, filium ſuum mittere decrevit, ut & miſit, in redemptionem humani generis; Hinc iterum omnes, nullo dempto, vocavit ad vitam, evexit ad gloriam; nam pro omnibus, nullo dempto, mortuus eſt Chriſtus.

2. Non ſum hic hac mente, ut agam de prædeſtinatione Sanctorum, an ſit conſequens præviſa merita; an antecedens; an voluerit Deus oſtendere divitias ſuæ miſericordiæ cum electis, cum aliis autem ſuam miſericordiam, ſed non miſericordiæ divitias; ſed ſolùm mihi opus eſt ratum habere Deum per Chriſtum velle omnes ſalvos fieri, & omnibus ſuam conferre gratiam, ſingulisque ſua præparaſſe media, quæ conducant ad ſalutem, & neminem de ſe excludere à regno; aut ſaltem, quod eſt de fide, omnem omninò hominem, Deum velle ſalvum fieri, voluntate vera ſincera ab aliquibus dicta efficaci conditionata; Ab aliis minus propriè, appellata inefficaci, ſeù ſufficienti; quamquàm indè, ut conſtabit infra in fine capitis evidenter deducatur,

præ-

prædeſtinationem hominum ad gloriam poſt lapſum fuiſſe conditionatam, ſi loquamur antecedenter; efficacem verò abſolutam, nonniſi conſequenter poſt præviſa bona opera finalia.

3. Reparatio igitur hominum ob lapſum per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum Redemptorem infert omnes omninò homines poſt lapſum eſſe iterùm evectos ad finem beatitudinis. Primùm proclamant Scriptura, Concilia, & Sancti PP. Apoſtolus enim in 1. ad Timoth. 2. *Qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Et conſiderans ipſe motivum, quod præmiſerat de omnibus, nullo dempto, loquitur: *Obſecro igitur primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in ſublimitate ſunt; Hoc enim bonum eſt, & acceptum coram Salvatore noſtro Deo, qui vult omnes homines ſalvos fieri,* &c. Orandum eſt profectò, & orat Eccleſia pro omnibus hominibus peccatoribus, & juſtis, Electis, & reprobis; ergo Deus vult omnes, & ſingulos homines ſalvos fieri. Joannes Epiſt. 1. cap. 2. *Sed ſi quis peccaverit advocatum habemus apud Patrem Jeſum Chriſtum; Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi.* Apoſtolus Paulus in ſua Epiſtola 2. ad Corinth. cap. 5. hæc habet: *Charitas enim urget nos æſtimantes hoc, quoniam, ſi unus pro omnibus mortuus eſt; ergo omnes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus.*

4. Hunc Apoſtoli diſcurſum perpendens D. Auguſtinus lib. 6. contra Julianum cap. 1. evidenter apparuit omninò Deum velle omnes, & ſingulos homines ſalvos fieri, & pro omnibus omninò mortuum eſſe in redemptionem Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Cum D. Auguſtino dico ego igitur Apoſtolum inferre in hoc diſcurſu, omnes homines eſſe mortuos in delictis de facto ex eo, quod pro omnibus de facto mortuus eſt Chriſtus; Si enim Chriſti mors nihil

de

de facto confert aliquibus ad vitam, impertinens eſſet apoſtolica conſequentia; nam ex ſufficientia remedii ad medendum, non benè arguitur exiſtentia morbi; Et quis ex hoc antecedente, ut notat ſuper hunc Apoſtoli textum P. Filoramo, Deus virtutem habet nunc me reſuſcitandi, inferret; ergo nunc ego ſum mortuus; Benè autem igitur Deus reſuſcitavit Lazarum; ergo Lazarus erat mortuus. Sic pari modo. Chriſtus de facto mortuus eſt pro omnibus, ut omnibus de facto remedia tribuat ad ſalutem; ergo omnes mortui; non autem valet; Chriſtus mortuus ſufficientiam habet omnibus vitam tribuere; ergo omnes mortui ſunt, ſed ad ſummum valeret; ergo omnes poſſunt mori; Si ergo Apoſtolus infert actualem omnium mortem ex eo quod pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, ſupponit de facto omnes juvare mortem Chriſti ad illorum vitam, ſaltem quoad ſufficientiam auxiliorum; & conſequẽter Deum in Chriſto velle ſalutem omnium hominum. Ezechielis 18. *Numquid voluntatis meæ eſt mors impii, dicit Dominus, & non, ut convertatur, & vivat? Nolo mortem morientis, ſed revertimini, & vivite*. Sap. 1. *Deus mortem non fecit, nec delectatur in perditione viventium*. Tob. 3. *Non delectaris in perditionibus noſtris*. Oſeæ 3. *Perditio tua ex te Iſrael, tantummodò in me auxilium tuum*. Iſaiæ 5. *Quid eſt, quod debui facere ultra vineæ meæ, & non feci ei? An quod expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruſcas?* Matth. 23. *Hieruſalem, Hieruſalem, &c. quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti*. Ezechielis item cap. 33. *Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem impii, ſed, ut convertatur à via ſua, & vivat*. Concilium Trid. ſeſſ. 6. cap. 3. *Verùm, etſi ille pro omnibus mortuus eſt, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt; ſed ii dumtaxat, quibus meritum paſſionis ejus communicatur*: Quibus verbis expreſsè patet, Chriſtum eſſe mortuum pro omnibus hominibus, etiam iis, qui mortis ejus beneficium

Ee non

Digitized by Google

non recipiunt. Matth.18. *Venit filius hominis ſalvare, quod perierat;* at perierant omnes, nullo dempto; ergo. Petrus Apoſtolus 2. 3. *Patienter agit Deus propter vos nolens aliquos perire;ſed omnes ad pœnitentiam reverti.* Joannis 3. *Non enim miſit Deus Filium ſuum, ut judicet mundum, ſed, ut ſalvetur mundus per ipſum.* S.Clemens lib.2.conſtitut.cap.55. ſic ait: *Nos igitur, quos voluit teſtes eſſe adventus ſui una cum Jacobo fratre Domini, & aliis 72. Diſcipulis, ac ſeptem Diaconis ſuis audivimus ex ore Domini noſtri Jeſu Chriſti, et optimè edocti didicimus, quanam ſit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta, quæ nobis per Jeſum Chriſtum declarata eſt: ſcilicet ne ullus pereat, ſed potiùs omnes homines cum ei uno conſenſu crediderint, laudibus eum uno animo, & ore celebrantes iidem in ſempiternum vivant.* S. Proſper lib.1. de vocatione gentium cap.1. *Quæritur enim*, inquit, utrùm velit Deus omnes homines ſalvos fieri, & quia negari hoc non poteſt, cur voluntas omnipotentis non impleatur, inquiritur. Hujus quæſtionis à D. Ambroſio ad verba Pauli hæc affertur ſolutio, his, nempè, verbis expreſſa. Vult omnes ſalvos fieri; Cur non impletur omnipotentis Dei voluntas? In locutione conditio latet; vult omnes ſalvos fieri; ſed, ſi accedant ad eum,&c. D.Thomas contra gentes 3.cap.159. Deus enim quantum in ſe eſt paratus eſt omnibus gratiam dare: Vult enim omnes homines ſalvos fieri, & ad cognitionem veritatis venire, ut dicitur 1. Timoth.2.ſed illi ſoli gratia privantur, qui in ſeipſis gratiæ impedimentum præſtant. Aug. lib. de Spiritu, & litt. cap. 33. *vult autem Deus omnes homines* ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire: Non ſic tamen, ut eis liberum adimat arbitrium, quo vel benè, vel malè utentes juſtiſſimè judicentur, & contrarium aſſerere eſt contra Auguſtinum, nam tom.7.ſecundus articulus, falsò impoſitus Auguſtino à Pelagianis erat iſte: ſcilicet, quod Deus nolit omnes ſalvare. Item S.Thomas 1. contra gentes cap.73. *Deus ſolus eſt maximè libera-*

lis,

Digitized by Google

lis, quia non communicat, & tribuit, ut aliquid ſibi accreſcat, ſed quia ipſum communicari eſt ſibi conveniens, tanquam fonti bonitates; ergo ex parte Dei nihil eſt, quo aliquos nolit ſalvos. S. Anſelmus, Auguſtini ſectator orat. 28. Juxta editionem correctiſſimam Gabrielis Gerberonis, ita Chriſtum alloquitur: Aequali dilectione pro omnibus paſſionem ſuſcepiſti, æqualiter omnibus vitam æternam præparaſti. Item D. Thomas 1. ad Timoth. 2. lect. 1. Chriſtus Jeſus eſt mediator Dei, & hominum, non quorumdam, ſed inter Deum, & omnes homines, & hoc non eſſet, niſi vellet omnes ſalvare. In epiſt. ad Hæbr. cap. 12. lect. 3. Deus vult omnes homines ſalvos fieri, & ideò gratia nulli deeſt, ſed omnibus, quantum in ſe eſt, ſe communicat.

5. Demùm Sap. 11. ver. 25. 27. *Diligis enim omnia, quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti; nec enim odiens aliquid feciſti, aut conſtituiſti; parcis enim omnibus, quia tua ſunt, Domine, qui amas animas*; & ne ulteriùs protraham ſermonem articulus fidei eſt noviſſimè expreſſior; nam Innocentius X. & Alexander VII. cum damnaverint quinque propoſitiones Janſenii; quinta erat iſta, quod ſemipelagianum ſit dicere, Chriſtum eſſe mortuum pro omnibus omninò hominibus; ergo, ſi iſta propoſitio damnata eſt, ſicut, & illa alia, purà, quarta, quæ his verbis exprimitur, admiſerunt ſemipelagiani gratiam ſufficientem, etiam ad initium fidei, &, quod in eo fuerunt hæretici, quia talem docuerint, cui voluntas poſſit reſiſtere, ſequitur eſſe de Fide, Chriſtum eſſe mortuum pro omnibus omninò hominibus omnium temporum, ſtatuum, &c. & Deum in Chriſto velle omnes homines prorſus ſalvare, in huncque finem miſiſſe filium ſuum, ut innumeris ſcripturis patet, quibus addo Sanctum Leonem Papam ſerm. 1. Nativ. Dom. Sicut nullum à reatu liberum reperit, ita pro liberandis omnibus venit. Conſequenter Chriſtus mortuus eſt pro omnibus omninò hominibus, ſive parvulis, ſive adultis; Pro parvulis quidem in

remedium peccati originalis inſtitutus fuit baptiſmus ad reparandos in Chriſto ſecundo Adamo carnaliter genitos in primo, in quo peccatum contraxerunt.

6. Dices: Si etiam pro parvulis in ſtatu infantili eſſet remedium baptiſmatis ad delendum peccatum originale, plurimi parvuli non obirent immaturo mortis fato, quo baptiſmus prohibetur; ergo. Sed inferiùs patebit, non obſtante baptiſmatis inſtitutione à Chriſto Salvatore noſtro pro originali delendo, infantes recenſitos non eſſe à Regno excluſos medio baptiſmo.

7. Ex Sacra Scriptura igitur, Concilio Tridentino, & SS.PP. conſtat, Deum in Chriſto velle efficaciter quantum de ſe eſt omnes ſalvos fieri; ergo non eſt ei voluntas aliquos reprobandi, & excludendi à regno; ergo nulla eſt poſt lapſum prædeſtinatio antecedens efficax; nam, ſi in primo ordine vitæ prædeſtinatio ſolùm fuit, ut cap. 9. diſſert. 1. efficax conditionata, ſic quoque in ſecundo ordine, ſeù poſt lapſum. Imò probatur, ſequi excluſionem reproborum à regno, ſi electi eſſent ſpeciali decreto efficaci, & ſoli ad vitam deſtinati; nam poſito quod pro ſalvandis ſit decretum ſpeciale; ergo quicumque in hoc decreto non includuntur, negativè, quod paſſim conceditur ſunt excluſi, & reprobati, ſed non eſſe incluſos poſitivè, non ſolùm eſt eſſe excluſos negativè, & negativè reprobatos; ſed etiam poſitivè; ergo. Probatur minor, nam ex parte divinæ voluntatis inter admiſſos ad regnum, & rejectos non datur medium, nam, etſi dicatur, qui non ſunt admiſſi, ſunt rejecti, in quantum non ſunt admiſſi, tamen ex modo operandi voluntatis, qui non ſunt admiſſi per actum poſitivum non ſunt admiſſi, quatenus è numero hominum, centum v. g. ſunt decreto ſpeciali ad gloriam admiſſi, & non, niſi centum; ergo cæteri vi ejuſdem decreti taxativi non ſunt admiſſi; ergo vi ejuſdem decreti excluſi ab illo decreto, ſeù à numero, quod eſt objectum decreti; Eo magis, quia vi ejuſdem

de-

decreti impoſſibile eſt,ut cæteri ſalventur in facto,licet dicatur poſſe ſalvari; quam materiam, ſi Deus vires, & opes dederit,animus eſt mihi ſpeciali tractatu proſequi. Demùm nequidem negativè Chriſtus excluſit aliquos à vita; ergo neque Deus in Chriſto Redemptore aliquos negativè reprobavit.

8. Demùm, ſi Chriſtus ſanguinem ſuum fudit pro omnibus, quis dubitet non velle omnes ſeriò impensè ſalvos; ergo nemo prædeſtinatus ex præciſa ratione prædeſtinationis ſpecialiter ad vitam eſt evectus; aliter ſeriò impensè alii non eſſent ad gloriam deſtinati; etſi, ut ſupra conſtat,nemo eſt,quem Deus nolit ſalvare,imò omnes vult ad gloriam perducere, & Chriſtus pro omnibus de facto mortuus eſt,quomodo intelligi poteſt ſalvandorum ſpecialis efficax prædeſtinatio? Sic quippè imminueretur voluntas illa divina circa omnium ſalutem à PP. & Scriptura apertiſſimè indictam.

Caput Decimum.

De ſalute parvulorum medio baptiſmate, à Chriſto Deo noſtro inſtituto in neceſſarium Remedium.

1. CVm enim neminem perire Deus velit, ut jam ex Scriptura, & Patribus demonſtratum eſt,quatenus omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat, pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, & omnes homines vult ſalvos fieri, qua ratione eſt ad ſalutem in remedium originalis peccati neceſſarius baptiſmus: *Niſi enim quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non poteſt introire in regnum Dei*; At, ſi neceſſitas tanta eſt baptiſmatis pro puerulorum ſalute, quomodo ſubſiſtit, Deum neminem velle damna-

damnare? Si enim tot parvuli ultimam claudunt diem intra materna viſcera; ergò, aut baptiſmus non eſt ſimpliciter neceſſarius ad ſalutem, aut Deus non vult omnes omninò homines ſalvos fieri; nec Chriſtus mortuus eſt pro omnibus omninò hominibus, nec illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, nec omnibus præbet auxilia ſaltem ſufficientia ad ſalutem. Hæc omnia falſa ſunt; ergo baptiſmus non eſt neceſſarius ad ſalutem; ſed eſt neceſſarius, ut ſancta fides docet; ergo concilianda ſunt hæc duo, quæ ſecum tàm mirè pugnare videntur.

Plurimorum imò omnium torſit ingenia hæc ingens difficultas à ſæculis retroactis, ut in plures abjerint opiniones, & quisque ſuum excogitavit modum. En propero ad id oſtendendum.

2. Semipelagiani apud Aug. lib. de prædeſt. Sanct. cap. *12. 13. 14.* de parvulis morientibus docebant tales perdi, talesque ſalvari, quales futuros illos in annis majoribus, ſi ad activam ſervarentur ætatem ſcientia divina prævideriт; ut ergo ſalvarent dictum Apoſtoli Deus vult omnes homines ſalvos fieri in caſu parvulorum indè haberi, quod alii non moriuntur, niſi accepto baptiſmate, ut ſalventur; alii verò antequam lavacro regenerationis mundentur; quia illi prævisi ſunt, quod, ſi vixiſſent, benè operati fuiſſent, iſti è contra malè: iſtos verò hæreticos impugnavit Auguſtinus, & quidem, ut ait cap. 14. *Si judicarentur homines pro meritis ſuæ vitæ, quæ non haberent morte præveniente, ſed habituri eſſent, ſi viverent, nihil prodeſſet ei, qui raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus.*

3. Janſenius in illam prorupit ſententiam, jam damnatam ab Innocentio Decimo, & Alex. VII. ſcilicet, Deum non conferre omnibus auxilia ſufficientia; aliter etiam præberet ſufficientia remedia parvulis morituris in ventre matrum ante uſum rationis, ut poſſint ab originali labe per baptiſmum liberari. Janſenius verò non benè arguit,

guit, Deum non præparaſſe auxilia omnibus, quia vidit quibusdam parvulis non poſſe applicari baptismum antequam moriantur, nec benè hoc argumēto uſus eſt ad ſuam doctrinam cæterùm falſam confirmandam, ſed potiùs debuiſſet invenire modum conciliandi hæc duo; ſi profectò verum vero non repugnat, & conſequenter veritas neceſſitatis baptismatis non repugnat veritati voluntatis divinæ de ſalute omnium omninò hominum, invenire debuiſſet modum, quo verum ſit non poſſe conferri baptismum aliquibus infantibus, quos tamen Deus vult ſalvos fieri, quatenus Chriſtus etiam pro illis mortuus eſt, ut pluries Auguſtinus contra Pelagianos.

4. Eminentiſſimus Cardinalis Cœleſtinus Sfondratus in ſuo opere, qui inſcribitur Nodus prædeſtinationis, &c. in quo illam approbat ſententiam, quam laudavit S. Franciſcus Saleſius noſtri tertii Ordinis, puta de prædeſtinatione ad gloriam poſt prævisa opera, ut ſalva ſubſiſteret, & illibata divina voluntas circa ſalutem omnium; dum ventum eſt ad parvulos, morientes ſine baptismo, videlicet in ventre matris, docuit ipſos, etſi privatos regno; tamen alio majori beneficio potitos, ſcilicet non perveniſſe ad ætatem, in qua potuiſſent, imò offendiſſent Deum: ſicque, dum eos tantis peccandi periculis ſubduxit, non poſſunt de Deo conquæri, quod ſine baptismo, deceſſerint, atque perdiderint vitam æternam. Hoc docet §. 1. num. 23. par. 1.

5. Alii è numero, quorum eſt P. Filoramo de prædeſt. pag. 393. docuerunt potuiſſe baptismum applicari infantibus morientibus, &c. in radice, videlicet, ſi parentes temperatè vixiſſent, aut ſi benè, &c. Hoc autem eſſe apertè falſum ex Auguſtino infra conſtabit prop. 5.

6. Communiter ab aliis docetur, baptismum eſſe remedium pro dictis adhùc infantibus; ſed naturæ curſus obſtitit ejus applicationi, mortem immaturam inferendo. En quomodò in varias diſtracti ſunt ſententias authores ob

dif-

PROPOSITIO PRIMA.

Peccatum Originale non eſt peccatum proprium, ſed alienum.

1. PEccatum, cum quidem non ſit, niſi voluntariū; poſteritas autem Adæ nullum propria voluntate habuit influxum in peccatum Adæ, ſequitur evidenter peccatum originale non eſſe peccatum, niſi alienum,& in origine, atque voluntarium in capite, quod eſt propoſitum: & licèt à poſteris contrahatur, hæc contractio conſiſtit in hoc, quod naſcantur ſine jure ad gratiam, & privativè dicantur averſi à Deo. Deus enim promiſerat Adamo, ſi permanſiſſet, creare ſuos filios, in quo ſtatu innocentiæ fuerat ipſe conditus; Ipſo autem peccante, omnes in illo ſpoliati fuerunt gratia,& gloria, niſi Deus per Chriſtum fuiſſet miſertus. Ita ſentit Eccleſia, ita SS. PP. ut propoſitum eſt.

2. D. Auguſtinus lib.3. de libero arbit. cap.19.ad dubium quorumdam, ſi Adam, & Heva peccaverunt, quid nos miſeri fecimus, ut cum ignorantiæ cæcitate, & difficultatis cruciatibus naſceremur..... Reſpondet poſt alia: *Neque illud, quod vulnerata membra non colligis, ſed, quod volentem ſanare, contemnis, iſta tua propria peccata ſunt.* Et poſt ſubdit: *Nam illud, quod ignorans quiſque non rectè facit,& quod rectè volens facere non poteſt; ideo dicuntur peccata, quia de peccato illo liberæ voluntatis originem ducunt.* Idem Aug.lib.1.retract. cap. 14. *Et illud, quod in parvulis dicitur originale peccatum, cum adhuc non utantur libero arbitrio voluntatis, non abſurdè vocatur etiam voluntarium, quia ex prima hominis voluntate contractum, factum eſt quodammodò hæreditarium.* De peccatorum meritis, & remiſſione contra Pelagianos, aſſerentes, peccatum originale transfundi per imitationem,cap.10.ait: *Vſque ad le-*

gem enim peccatum, quæ ſubintravit, ut magis abundaret peccatum, ſive naturalis lex, in qua quiſque, jàm rationem utens incipit peccato originali addere, & propria. Et cap. 12. *Verum illud diligentiùs intuere, quod ait: Ob unius delictum multos mortuos; cur enim ob unius illius, & non potiùs ob delicta ſua propria, ſi hoc loco intelligenda eſt imitatio, non propagatio?* Ergo ex Auguſtino eſt peccatum originale non proprium, ſed alienum. D. Ciprianus Epiſcopus, & Martyr apud Aug. lib. 1. con. Julian. Pelagianum, ſic inquit: *Si homines impedire ad conſecutionem gratiæ aliquid poſſet, magis adultos, & provectos, & majores natu poſſent impedire peccata graviora: Porrò autem ſi graviſſimis delictoribus, & in Deum multò ante peccantibus, cum poſtea crediderint, remiſſio peccatorum datur, & à baptiſmo, atque gratia nemo probibetur, quantò magis non debet probiberi infans, qui recens natus nihil peccavit, niſi ſecundum quod carnaliter natus contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxit, qui ad remiſſionem peccatorum accipiendam, hoc ipſo faciliùs accedit, quod illi non remittuntur propria, ſed aliena peccata*; ergo, ut fuit propoſitum.

PROPOSITIO SECUNDA

Baptiſmus omnibus neceſſarius; profectò neceſſarius, nam non omittendus.

1. NIſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non poteſt introire in regnum Dei. Ioannis 3. oportet igitur in Chriſto regenerari per baptiſmum, quos fide divina peccatum primi hominis contraxiſſe tenemus; licet autem per baptiſmum à peccato liberemur, fomitem tamen in nobis, etſi baptizatis, non eſſe peccatum, declarat Sancta Synodus Tridentina ſeſſ. 5. cap. 5. „ Manere autem in baptizatis concucupiſcentiam, vel fomitem

„ tem hæc Sancta Synodus fatetur, & ſentit, quæ cum ad
„ agonem relicta ſit nocere non conſentientibus, & virili-
„ ter per Jeſu Chriſti gratiam repugnantibus nō valet; quin-
„ immò, qui legitimè certaverit, coronabitur. Hanc con-
„ cupiſcentiam, quam aliquando Apoſtolus peccatum ap-
„ pellat Sancta Synodus declarat Eccleſiam catholicam nū-
„ quam intellexiſſe peccatum appellari, quod verè propriè
„ in renatis peccatum ſit, ſed quia ex peccato eſt, & ad pec-
„ catum inclinat; ſi quis autem contrarium ſenſerit, anathe-
„ ma ſit.

2. Neceſſarium autem eſse baptismum, quia non omittendum patet apertè cuique, rem exactè conſideranti ex communi diviſione baptismi in baptismum fluminis, qui eſt Sacramentum in re, & facto, atque propriè baptiſmus, baptismum flaminis, & ſanguinis; ergo concurrente neceſſitate, baptismus non eſt necesſarius, ſeù baptismi necesſitas vacat. Tunc autem necesſarius quando non eſt omittendus, ſcilicet, ſecluſa necesſitate, qua quidem ſecluſa, contemneretur; ſi ergo, ut eſt in confesſo apud omnes quid aliud vicem baptismi tenet quandoque; ergo non eſt necesſarius ſemper baptismus, ſed ideò necesſarius, quia non omittendus, aliter propriè negligeretur, ſeù contemneretur, eſsetque veluti religionis Chriſti ſpretus; nam ſi corde creditur ad juſtitiam, ore autem fit confesſio ad ſalutem; corporalis, & viſibilis ſanctificatio non eſt omittenda, cum adeſse poſsit. Non enim Cornelius actor. 10. Etſi ante baptismum ſanctificatus ſuæ conſuluiſſet ſaluti, ſi de baptismo non curaſset; nec latro, ſi tempus affuiſset, gratiam Chriſti quam corde, & confeſsione ſuſceperat conſervaſset, ſi baptismum negligeret, ut ex D. Aug. evidenter habetur, quem mox infra referam.

3. Aliquis autem vocum ſono illuſus, dicet, ſemper adeſse baptismum in voto, ut fertur; ergo baptismus ſemper eſt neceſsarius, ſive in re, ſive in voto. At reſpondetur

tur concedẽdo totũ,ſed advertat,qui ita obiicit ſacramentum baptiſmi eſſe ſacramentum fluminis, & ablutionis; hæcque eſt propriè in facto, & opere, atque formaliter baptiſmus; Ego verò dixi, baptiſmum non eſſe neceſſarium, ſemper, & abſolutè, ac ſimpliciter; ſcilicet verè baptiſmum: Et nequis in verbis deceptus putet, ut vulgus facilè decipitur, votum requiri in ſimilibus neceſſitatis caſibus, notandum eſt ex, quaſi communi Theologorum ſenſu, ut artis profeſſori liquet non requiri votum explicitum, & formale, imò id non ſolum è Theologis, verùm ex Tridentino eruitur, ſeſs.14. cap.4. quod Theologi, & Summiſtæ notant; ſed requiritur aliquod, quod in ſe contineat,includatque votum baptiſmi ratione ſuæ perfectionis,& virtualiter v g.contritio perfecta dicitur baptiſmus in voto, caſu quo opus neceſſitate excluditur; non alia de cauſa,niſi, quia intelligitur in votis eſſe baptiſma ejus,in quo intelligitur contritio, Dei dilectio, fiducia charitate formata, &c.

4. Hæc propoſitio non meliùs cuique conſpicua eſſe poteſt, quam exſcribendo,quæ habet D.Auguſtinus lib. 4. „ contra Donatiſtas cap.22. Baptiſmi ſanè vicem aliquandò „ implere paſſionem, de latrone illo, cui non baptizato di- „ ctum eſt: Hodie mecum eris in Paradiſo: Non leve docu- „ mentum idem beatus Cyprianus aſſumit, quod etiam, at- „ que etiam conſiderans, invenio non tantum paſſionem pro „ nomine Chriſti, id, quod ex baptiſmo deerat,poſſe ſupple- „ re, ſed etiam Fidem, converſionemque cordis; ſi fortè ad „ celebrandum myſterium baptiſmi in anguſtiis temporum „ ſuccurri non poteſt; Neque enim latro ille pro nomine „ Chriſti crucifixus eſt, ſed pro meritis facinorum ſuorum; „ nec quia credidit paſſus eſt, ſed, dum patitur credidit. „ Quantum itaque valeat etiam ſine viſibili ſacramento Ba- „ ptiſmi, quod ait Apoſtolus: Corde creditur ad juſtitiam, „ ore autem fit confeſſio ad ſalutem: In illo latrone declara-

„ tum

,, tum eſt, ſed tunc impletur inviſibiliter, cum myſterium
,, Baptiſmi, non contemptus religionis, ſed articulus neceſ-
,, ſitatis excludit; nam multo magis in Cornelio,& in amicis
,, ejus, quàm in latrone poſſet videri ſuperfluum, ut aqua
,, etiam tingerentur, in quibus jam, donum Spiritus Sancti,
,, quod nonniſi baptizatos alios accepiſſe S. Scriptura teſta-
,, tur, certo quoque indicio, quod illis temporibus congrue-
,, bat, cum linguis loquerentur, enumerat, baptizati ſunt ta-
,, men, & in hoc facto apoſtolica extat authoritas. Uſque
,, adeò nemo debet in quolibet provectu interioris hominis,
,, ſi fortè ante baptiſmum uſque ad ſpiritalem intellectum
,, pio corde profecerit, contemnere Sacramentum, quod mi-
,, niſtrorum opere corporaliter adhibetur; ſed per hoc Deus
,, hominis cõſecrationem ſpiritaliter operatur. Nec ob aliud
,, exiſtimo munus baptizandi fuiſſe Joanni attributum, itauc
,, Joannis baptiſmus diceretur, niſi, ut Dominus ipſe, qui de-
,, derat, cum ſervi baptiſmum non ſpreviſſet accipere, dedi-
,, caret humilitatis viam, & quanti pendendum eſſet ſuum
,, baptiſma, quo ipſe baptizaturus erat, tali facto apertiſſimè
,, declararet. Videbat enim, tanquam peritiſſimus Medicus
,, ſalutis æternæ quorumdam non defuturum tumorem, qui
,, cum intellectu veritatis, & probabilibus moribus ita pro-
,, feciſſet, ut multis baptizatis vita, atque doctrina ſe præpo-
,, nere minimè dubitarent, ſupervacaneum ſibi eſſe crede-
,, rent baptizari, quando ad illum mentis habitum ſe perve-
,, niſſe crederent, ad quem multi baptizati, adhùc aſcende-
,, re conarentur. Quid autem valeat, & quid agat in homine,
,, corporaliter adhibita ſanctificatio Sacramenti, ſine qua
,, tamen ille latro non fuit, quia non ejus accipiendæ volun-
,, tas defuit, ſed non accipiendæ neceſſitas affuit, difficile eſt
,, dicere. Niſi tamen plurimùm valeret, non ſervi baptiſmum
,, Dominus accepiſſet: Verum quia per ſeipſa conſideranda
,, eſt, excepta ſalute hominis cui perficiendæ adhibetur, ſatis
,, indicat, quod, & in malis, & in eis, qui ſæculo verbis, non

,, ſa-

Digitized by Google

„ factis renunciant, ipſa integra eſt, cum illi, niſi corrigan-
„ tur ſalutem habere non poſſunt. Sicut autem in latrone,
„ quia per neceſſitatem corporaliter baptiſmus defuit, per-
„ fecta ſalus eſt, quia per pietatem ſpiritaliter affuit, ſic &
„ cum ipſa præſto eſt, ſi per neceſſitatem deſit, quod Latro-
„ ni affuit, perficitur ſalus. Quod traditum tenet univerſitas
„ Eccleſiæ, cum parvuli infantes baptizantur, qui certè, non
„ dum poſſunt credere ad juſtitiam, & ore confiteri ad ſa-
„ lutem, quod latro potuit, quin etiam flendo, & vagiendo,
„ cum in eis myſterium celebratur, ipſi mæſtis vocibus ob-
„ ſtrepunt, & tamen nullus Chriſtianorum dixerit, eos ina-
„ niter baptizari.

„ 5. Etſi quiſquam in hac re authoritatem divinam quæ-
„ rat, quamquam, quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conci-
„ liis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi authorita-
„ te apoſtolica traditum, rectiſſimè creditur. Tamen veraci-
„ ter conjicere poſſumus, quid valeat in parvulis baptiſmi
„ Sacramentum ex Circumciſione carnis, quam prior popu-
„ lus accepit, quam priuſquam acciperet juſtificatus eſt
„ Abraham, ſicut Cornelius, etiam dono Spiritus Sancti,
„ priuſquam baptizaretur donatus eſt. Dicit tamen Apoſto-
„ lus de ipſo Abraham: Signum accepit Circumciſionis ſi-
„ gnaculum fidei juſtitiæ, quia jam corde crediderat, & de-
„ putatum illi erat ad juſtitiam: Cur ergo ei præceptum eſt,
„ ut omnem deinceps infantem maſculum octavo die cir-
„ cumcideret, qui nondum poterat corde credere, ut ei de-
„ putaretur ad juſtitiam, niſi quia, & ipſum per ſeipſum Sa-
„ cramentum multum valebat? Quod in filio Moyſi per An-
„ gelum manifeſtatum eſt, qui, cum adhuc incircumciſus à
„ Matre ferretur præſenti, & evidenti periculo, ut circum-
„ cideretur exactum eſt, & cum factum eſſet depulſa eſt per-
„ nicies. Sicut ergo in Abraham præceſſit fidei juſtitia, &
„ acceſſit circumciſio, ſignaculum juſtitiæ fidei, ita in Cor-
„ nelio præceſſit ſanctificatio ſpiritalis in dono Spiritus San.

„ cti,

Digitized by Google

„ cti, & acceſſit Sacramentum regenerationis in lavacro ba-
„ ptiſmi. Et, ſicut in Iſaac, qui octavo ſuæ nativitatis die cir-
„ cumciſus eſt, præceſſit ſignaculum juſtitiæ fidei, & quoniam
„ Patris fidem imitatus eſt, ſequuta eſt in creſcente ipſa ju-
„ ſtitia, cujus ſignaculum in infante præceſſerat; Ita & in ba-
„ ptizatis infantibus præcedit regenerationis Sacramentum,
„ etſi Chriſtianam tenuerint pietatem, ſequitur etiam in
„ corde converſio, cujus myſterium præceſſit in corpore. Et
„ ſicut in illo latrone, quod ex baptiſmi Sacramento defue-
„ rat, complevit omnipotentis benignitas, quia non ſuper-
„ bia, vel contemptu, ſed neceſſitate defuerat, ſic in infan-
„ tibus, qui baptizati moriuntur, eadem gratia omnipoten-
„ tis implere credenda eſt, quod non ex impia voluntate,
„ ſed ex ætatis indigentia, nec corde credere ad juſtitiam
„ poſſunt, nec ore confiteri ad ſalutem.

Auguſtini ergo eſt expoſita propoſitio, in cujus tamen doctrina plurima ſunt notanda.

6. Primum, quod ideò, qui ante baptiſmum ſupponeretur juſtificatus, adhùc debeat Sacramentum ſuſcipere, ne fiat Religionis contemptus, & ne deſeratur, aut negligatur, quod etiam Jeſus Dominus voluit accipere à ſervo, ſcilicet Joanne, quod non accepiſſet, niſi Sacramentum baptiſmi plurimùm valeret, ut inquit Auguſtinus: Et ſicuti Sacramentum per ſeipſum valet, ut patet in parvulis, quibus applicatum perficitur ſalus abſque eo quod crediderint, aut aliter diſpoſiti, &c. ita ab iis, qui crediderunt antea, etiam uſque ad juſtitiam non poteſt relinqui voluntate, aliter, ut dictum eſt, negligeretur id, quod per ſe, & per ſeipſum valet ad juſtificationem: At, ſi per ſeipſum valet in parvulis, nulla præeunte fide ob neceſſitatem, ſcilicet, ætatis indigentiam; Sic quoque in adultis, antecedenter credentibus, & quidem ad juſtitiam, ſecluſa neceſſitate, valet ad ſalutem; Itaut, ſi negligatur, non ſalvantur.

7. Secundum eſt, baptiſmum non eſſe neceſſarium ne-

ceſſitate medii abſolutè omnimoda neceſſitate, etiam ex inſtitutione Chriſti: nam, ſi baptiſmus, non collatus homini contrito caſu aliquo neceſſitatis non aufert illi ſalutem; ergo baptiſmus in re non eſt neceſſarius ſimpliciter, ut medium, etiam ex inſtitutione Chriſti. Dixi etiam ex inſtitutione divina Chriſti, quia, hac ſecluſa, nulli dubium eſt, non eſſe neceſſarium neceſſitate ſimpliciter; & eo magis hæc veritas patet, nam diſtinctio baptiſmatis in re, & in voto in præſenti nihil facit ad rem, quod evidenter demonſtratur: Baptizari aliquem in voto nihil aliud eſt, quàm vicem baptiſmi habere; non enim neceſſe eſt, ut explicitè, & formaliter habeat votum, & deſiderium ſuſcipiendi baptiſmum, ut omnes ferè Theologi fatentur; & clarè ex Tridentino eruitur: Habere autem vicem baptiſmi dicitur, dum conteritur, dum vera cordis converſione convertitur ad Deum; & quia, qui convertitur ad Deum non poteſt ſupponi, quod contemnat Sacramentum Dei; Ideò dicitur ſuſcipere Sacramentum in voto; ergo baptiſmus non eſt medium ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem, niſi dum poſſit ſuſcipi, &, quod in noſtra ſit poteſtate ſuſcipere, aut non. Medium autem ſimpliciter neceſſarium omnimodè, eſt illud ex inſtitutione divina, ſine quo ex divina inſtitutione ſalus obtineri non poteſt ſimpliciter; ſed de fide obtineri quandoque poteſt ſalus ſine baptiſmo, ut conſtat in contrito, ante baptiſmi ſuſceptionem moriente; ergo, dum dicitur, baptiſmum eſſe neceſſarium neceſſitate medii ſimpliciter, debet accipi ſecundum hunc ſenſum, ſcilicet, ut ait Auguſtinus, quando aliquid non ineſt, quod vicem baptiſmi teneat, &, dùm jam ineſt illud, puta contritio, quod vicem baptiſmi tenet, baptiſmi non ſit contemptus.

8. Undè tota neceſſitas cadit ſupra voluntatem, ſcilicet, quod voluntas non poſſit negligere, & contemnere baptiſmum, quatenus eſt medium, inſtitutum à Chriſto reſpectu voluntatis quandoque, non ſecundum ſe; nam, ſi ſecun-

dum

dum ſe abſque ordine ad voluntatem hominis eſſet ſimpliciter medium neceſſarium, velint, nolint, poſſint, non poſſint ſuſcipere, nunquam perficietur ſalus, adhùc ſuppoſita contritione; ſed poſita contritione, Dei dilectione ſuper omnia, & excluſo baptiſmo propter articulum aliquem neceſſitatis, & non excluſo voluntate, jam perficitur ſalus; ergo neceſſitas medii baptiſmi ad conſequendam ſalutem idem eſt, ac baptiſmus, ex divina inſtitutione non contemnendus.

9. Hinc colligitur, baptiſmum in iis, qui antequam eum ſuſcipiant, crediderunt ad juſtitiam, & juſtificati fuerunt, ut in exemplis Auguſtini, eſſe neceſſarium non ſolùm ex Chriſti mandato, ſeù, ut dicitur neceſſitate præcepti, ſed etiam eſſe neceſſarium neceſſitate medii ad ſalutem.

10. Tertium eſt, pueros non inaniter baptizari, eo quia nō credunt, nam Sacramentum per ſeipſum valet. Si autem velis, lector, ſcire, quare Sacramentum per ſeipſum valet, dicam Sacramentum baptiſmatis eſſe ad delendum peccatum originale, ad regenerandum in Chriſto; &, cum baptiſmus fuerit inſtitutus à Chriſto, ſecundo Adamo, ſicut primus Adam nobis nocuit, non influentibus in ejus peccatum; ſic quoque Sacramentum Chriſti parvulis prodeſt ad ſalutem, ipſis non conferentibus. Quod manifeſtum eſt in adultis baptizandis, qui, cum habeant quoque peccata actualia, requiritur dolor, & pœnitentia; Imò quia habent uſum rationis, requiritur voluntas, ut baptizentur, & fructum recipiant; & peccatum, niſi retractatum non deletur; peccatum autem, quod indiget retractatione, eſt peccatum perſonale: Peccatum verò originale cōdonatur à Deo per Sacramentum Chriſti, qui eſt Caput morale totius Eccleſiæ.

11. Quartum colligere tandem poſſumus, diviſionem illam baptiſmi ſolitam in baptiſmum fluminis, flaminis, & ſanguinis eſſe diviſionem per accidens, & ſtante præſenta-

nea diſpoſitione rerum ordinis gratiæ, facta à Chriſto, potiùsque per ſe dicendum eſt, baptiſmus, contritio, & ſanguinis ablutio, aut Dei dilectio, quatenus ubi deeſt neceſſitate non voluntate baptiſmus, ineſt autem cordis contritio, & vera converſio, aut dilectio, perficitur ſalus: Ubi autem deeſt contritio, aut voluntas, &c. ſed ineſt baptiſmus, ut verificatur in parvulis, non deeſt ſalus. Eſſe autem diviſionem per accidens patet; primò, quia ſine expreſſo voto ſuſcipiendi baptiſmum, non deeſt ſalus, cui ineſt cordis converſio, & non eſt baptiſmus neceſſitate, ut dixi, non voluntate; & nemo dixerit eſſe de fide, requiri votum expreſſum, imò ſcholaſticè omnes Theologi, ut non ſemel dictum eſt, ſentiunt oppoſitum, & apertiſſimè erui, docent ex Tridentino. Secundò poſito expreſſo voto, & alio non intellecto, impoſſibilis eſt ſalus de lege ordinaria in adultis, ut nemo eſt, qui neſciat. Tertiò eatenùs habens contritionem intelligitur vovere baptiſmum, quatenùs de facto baptiſmus eſt inſtitutus à Chriſto, & ab eodem eſt latum præceptum: Cæterùm eadem eſt vis contritionis in antiqua lege, ac nova; æquè juſtificat nunc, ac juſtificabat priùs. Quis audebit dicere deterioris conditionis eſſe nunc, ac apud populum priorem?

12. Colligitur demùm, baptiſmum inapplicabilem non eſſe remedium, inſtitutum à Chriſto. Si enim baptiſmus inſtitutus eſt in remedium peccati originalis, & dum neceſſitate excluditur, non voluntate, adhùc perficitur ſalus; ergo, dum eſt inapplicabilis, non eſt neceſſarius abſolutè, & ſimpliciter ad ſalutem; ergo non eſt remedium, inſtitutum à Chriſto, nam, prout eſt inapplicabilis, dici repugnantiam contradictionis, quod poſſit applicari, dum autem nequit applicari, non eſt remedium, nec eſt aptum mederi, &c. ergo neque ſic eſt neceſſarius ſimpliciter ad ſalutem, & perfici nihilominus poteſt ſalus; ergo, &c.

PRO-

PROPOSITIO TERTIA.

Ad delendum peccatum originale non requiritur dolor, aut aliqua deteſtatio, ſed ad ſummum voluntas in adultis ſuſcipiendi baptiſmum.

1. HÆc propoſitio ſequitur ex dictis cap. 5. Ibi enim demonſtratum eſt infantes, in peccato originali decedentes, non torqueri pœna damni modo explicato dicto capite, ſeù pœna ſenſus ex damno, ſcilicet carentia viſionis; eo quia non poſſunt triſtari de peccato originali; Sicque non ſentiunt afflictionem ex carentia viſionis divinæ.

2. Probatur tamen manifeſtè in parvulis, pro quibus neceſſarius non eſt dolor aliquis, aut voluntas, aut aliqua alia ex parte ipſorum diſpoſitio, cum ætas id prohibeat. Quis autem dicet eos inaniter baptizari? Sed univerſaliter loquendo, ſive pro parvulis, ſive pro adultis, demonſtratur hoc argumento: Peccatum originis in ſuo conceptu formali, ut probatum eſt cap. 3. conſiſtit in carentia juris naſcendi cum elevatione ad gloriam; ſed nemo poteſt triſtari, quod cum tali carentia naſcatur; aliter triſtaretur, quod non eſſet elevatus ad id, quod ſuperat omnia naturæ jura; ergo in adultis pro delendo peccato originali, non requiritur dolor, aut deteſtatio aliqua; Sic enim deteſtaretur pactum Dei, initum cum Adamo, cum quo conſtituit, quod, ſi permanſiſſet in innocentia, merito permanſionis vellet ſuos filios condere in eodem innocentiæ ſtatu, in quo conditus fuit primus ipſe homo.

3. Item dolor eſt actus poſitivus perſonalis alicujus, ut quædam perſona eſt; ergo materia doloris, etiam, ut proportionetur, debet eſſe materia, poſita ab eodem individuo perſonali, quod dolet; ſed peccatum originale, non

eſt proprium perſonale, ſed alienum in origine; ergo nequit eſſe, aut exigi de peccato originali dolor. Sicuti ergo materia remota nullius in individuo eſt materia propria; ſic à nemine in individuo exigitur dolor; At verò Chriſti dolor, paſſio, & mors ſuffecit, ut iterùm homines elevarentur ad gloriam, à qua per primum Adam exciderant. Ad ſummum autem requiri, dixi, in adultis voluntatem, eo quia neminem ſalvari nolentem Deus vult ſalvare; Sicque, cum adulti uſum habeant rationis, opus eſt, ut velint, ſaltem, ut non nolint, juxta illud in Evangelio, quod hìc benè quadrat: *Ætatem habet, loquatur ipſe*. Ita communiter. Bellarminus, Bonacina diſp. 2. quæſt. 2. pun. 6. & apud eumdem Suarez diſp. 28. ſect. 1. S. Thomas in additionibus quæſt. 2. art. 2. Nug. de Sacram. in gen. quæſt. 62. art. 1. diff. 2. concl. 3. Henriquez lib. 2. cap. 24. n. 3. Filliuc. tract. 2. cap. 5. quæſt. 7. Demùm hùc confert illud Ambroſii ſuper epiſt. ad Rom. ad cap. 11. *Gratia Dei in baptiſmate non requirit gemitum, non requirit planctum, vel opus aliquod, ſed ſolam fidem, & omnia gratis condonat.*

4. Item, ſi peccatum originale nullam reprehenſionem meretur; ergo nullus dolor pro eo requiritur. Undè Aug. lib. de duabus animabus cap. 11. *Non hìc mihi ſcrutandi libri erant, undè diſcerem neminem vituperatione ſuppliciove dignum, qui id non faciat, quod facere non poteſt. Nonne iſta cantant in montibus paſtores, in theatris poetæ, & indocti in circulis, & docti in Bibliothecis, & Magiſtri in ſcholis, & antiſtites in ſacris locis, & in orbe terrarum genus humanum.* D. Thomas etiam lib. 2. ſent diſtinct. 33. art. 2. *Recta ratio non patitur, ut aliquis perturbetur de eo, quod in ipſo non fuit, ut vitaretur*; Communi igitur conſenſu eſt manifeſta propoſitio. Ex tribus hiſce propoſitionibus ſiquidem infra dicenda per conſpicuam conſequentiam fient manifeſta: Certè, ſi funiculus triplex difficile rumpitur, puto difficulter, ſtante harum trium propoſitionum ſolida doctrina occurri

poſ-

poſſe eis, quæ deinceps dicam; Imò ſuam indè ineluctabilem adſciſcere ſubſiſtentiam.

PROPOSITIO QVARTA.

Examinatur ſolutio Cardinalis Sfondrati.

1. AD conciliandam cum generali voluntate divina ſalvandi omnes ob merita Redemptoris Ieſu Chriſti, qui dicitur Redemptor omnium mortem aliquorum parvulorum ſine auxilio in uteris, puta, matrum, & conſequenter ſine baptismo, qui eſt primum in ſecundo ordine vitæ auxilium, docuit opere de prædeſtinatione par. 1. §. 1. num. 23. & §. 2. num. ib. Infantes ſine baptiſmo, in utero matrum diem claudentes extremam, ad majus beneficium ſervatos eſſe, puta ſubductos tot tantiſque peccandi periculis, atque ſecuros conſtitutos Innocentiæ perſonalis.

2. Ego autem hìc non calamum menſurare cum tanto viro meditor; ſed ſolùm puto omnia, quæ dicit, etſi inoffenſo pede decurrere poſſint, tamen ad ſcopum nullatenus pertingere. Ipſe enim ſupponit, imò fusè oſtendit, Deum velle efficaciter, atque impensè ſalutem omnium hominum, & ex vi hujus voluntatis conferre omnibus media ad ſalutem, & vitam æternam ſufficientia; Ad quid ergo magnifacere, & excogitare majus, ut ait beneficium, quo pueri de medio tolluntur, antequam ad ætatem activam perveniant; non enim ſalvatur per hoc, Deum velle omnem hominem ſalvum fieri, quia non omnibus confert auxilium gratiæ ſuæ, quo ſalvari poſſint; nam non applicatur, neque applicabilis eſt baptiſmus puerulis, per infelicem abortum decedentibus; ergo non confertur iſtis gratia, qua poſſint ſalutem, & vitam æternam conſequi; ergo, quod ſint peccandi periculis ſubducti, quod innocen-

Digitized by Google

centiam perſonalem ſervent, non ſalvat Deum velle voluntate antecedente efficaci, quantum ex ſe eſt ſalvos facere illos infantes; ergo eſt in Deo voluntas antecedens, qua vult illos pueros excluſos à Regno; hoc non maximè etiam per ipſum, contendentem, Deum neminem velle perire, ſeù neminem non ſalvari; ergo ſua reſponſio non evacuat difficultatem. Salvandum eſt itaque, Chriſtum fuiſſe pro omnibus mortuum, veniſſe ad ſalvandos omnes; nam, ut S. Leo Papa, ſicut nullum à reatu liberum reperit, ita pro liberandis omnibus venit; ergo, ſicuti non liberi ſunt dicti parvuli à reatu peccati originalis, ita pro liberandis etiam ipſis à dicto originali, venit; ergo fruſtrà Cardinalis Sfondratus recurrit ad majus, &c. nam, ſi non ſalvatur minus (ut pro nunc ipſi permitto, non autem concedo) quod eſt objectum divinæ voluntatis; ad quid verba facere de illo beneficio majori, ut ait, quod ſint peccandi periculis ſubducti. Item pertinet ad redemptionem, eos liberare à peccato; primum peccatum eſt originale; ergo pertinet ad redemptionem eos ab eodem liberare per auxilia opportuna.

3. Secundò majus beneficium eſſet, baptizatos mori, quàm non baptizatos obire intra infantiæ terminos; ſicque non currit illa ratio, quod peccandi periculis eſſent ſubducti; nam loquendo de parvulis in ſtatu infantili, qui occumbunt, cur aliqui perducti ſunt ad baptiſmum uſque, alii non; ſed à baptiſmo excluſi, quia ultimam videlicet, in utero clauſerunt diem: non certò hìc dici poteſt non baptizatos majus habuiſſe beneficium reſpectu infantium, qui pro eo ſtatu ſimiliter vitam finierunt, at baptizatorum.

4. Tandem non eſt diſputatio an ſit majus beneficium parvulos abſque baptiſmo mori, & non pervenire ad ætatem, qua Deum offendant; quam baptizari, & vivere Deum offendendo, ut ſupponitur inter tot pericula, &c. ſed quæſtio eſt an Deus neminem velit perire, hoc eſt à regno excludi; cum autem hoc ſit indubitatum, occurrit difficultas

de

Digitized by Google

de parvulis;qui,cum eis ſuccurri non poſſit per baptiſmum, è vita decedunt; ergo reſpondere, quod eis majus beneficium ſit collatum, non eſt ſolvere argumentum,ſed variare ſuppoſitionem, & puto, rem eſſe de ſe claram.

5. Si verò quis curioſè ſcire petat in præſenti, occaſione data duorum hominum; quorum unus nunquam offenderit Deum peccato proprio, non tamen adepturus viſionem beatam, ut ſunt parvuli morientes ſine baptiſmo; alius, qui, licet peccaverit, tamen Deum videbit: ſi quæritur, inquam, cui nam ex his majus beneficium à Deo collatum fuerit. Reſpondeo, ſalvo meliori judicio, majus illi, cui conceditur viſio, quàm illi, cui conceditur negatio peccati proprii. Ratio eſt hæc: beneficii quantitas attenditur penès affectum dantis, & etiam ex parte rei datæ; non poteſt cogitari major affectus, quàm dandi ſeipſum, nec major res data, quàm Deus ipſe; ergo majus beneficium eſt homini A dare viſionem,quàm homini B non permiſiſſe ad ætatem pervenire, ſeù melius, permiſiſſe, ne ad ætatem deveniret activam, qua inter innumeras peccandi occaſiones peccaſſet. Item viſio Dei eſt maxima gratia, ad quam ordinantur cætera dona ſupernaturalia, & negatio peccati ordinatur ad conſecutionem gloriæ; ergo majus quid, majusque beneficium eſt viſio Dei,terminus finalis, quàm gratia, quæ peccatum impedit. Item peccatum, ideò eſt magnum malum, quia privat magno bono, aut, quia lædit magnum bonum; ergo majus quid eſt magno bono locupletari, gaudere, &c. quàm magnum bonum non lædere per peccatum. Quod enim non lædat ſummum bonum, eſt in cauſa, ut non incurrat inimicitiam ſummi boni; ſed conſummata amicitia ſummi boni cum homine A longè ſuperat in ratione beneficii negationem inimicitiæ per negationem peccati in homine B; ergo. Si profectò beneficii majoritas penſanda eſt à diffuſione majori bonitatis, quæ major diffuſio, quam communicatio boni infiniti per ſui

ætcr-

Digitized by Google

poſſeſſionem, ubi omnes gratiæ conſummantur? Et ideò dicitur viſio Dei à Theologis gratia conſummata.

6. Obiicies: quilibet homo tenetur, ne in Deum peccet, viſionem negligere, & hanc poſtponere; ergo ſignum eſt eſſe majus beneficium collatum non peccanti, quam videnti, juxta hypotheſim, ſupra poſitam num. 5.

7. Reſpondeo, aliud eſſe quid eligere teneatur homo in concurſu duorum, ſcilicet peccati, & viſionis; aliud, quodnam ſit majus beneficium Dei eſſe viſorem, aut non peccantem. Licet enim homo, & quævis creatura rationalis teneatur omni jure, omni capite, omnique titulo non offendere Deum, ſummum bonum, eique inſit, ne offendat, debitum perdendi omnia: Ex hoc ipſo verò puto erui, quod majus beneficium ſit Dei viſio, quàm peccati carentia. Viſio namque excedit, & ſuperat omne jus creaturæ, & oritur ab omnimoda ſupernaturali gratuita elevatione Dei; Non peccare autem eſt jus, & debitum creaturæ, cum eadem natum, & creatura non poteſt, nec debet deſiderare ea, quæ ſunt ſupra naturam, & negligere ea, quæ ſunt ei inſita ſecundum debitum naturale; ergo ſemper majus beneficium eſt, quia longè recedit à natura ipſa viſio; quàm illa gratia, vi cujus infans è vivis immatura præventione eripitur, ut omnis per mortem tollatur occaſio peccandi: Et conſtat, quia ordinatur ad liberandum ipſum infantem ab eo, quod eſt ex debito naturali cuivis creaturæ conveniens liberari; Si ergo homo cum hoc onere naſcitur ex principiis naturæ creatæ, & debito non peccandi; non peccare, & gratia non peccandi ſupra recenſita collata, quis neget minus eſſe beneficium. Etſi ego ſiquidem jure naturæ debeam præferre honorem Dei omni meo commodo, ſive naturali, ſive ſupernaturali, & conſequenter millies Cœlo carere, quam vel uno peccato mortali involui; id tamen nihil confert ad menſurandam quantitatem beneficii, nam hoc non menſuratur à debito eligentis,

is, ſed ab affectu dantis, & quantitate rei collatæ, &, ſit etiam velis, ſpectata capacitate ſuſcipientis. Millies carere Paradiſo, quam peccato involui, eſt eligendum ab homine, non quia quid majus, ſed quia conveniens, & debitum, quia omni titulo exigitum; Nec è contra, quia eligendum eatenus quid majus, ut dictum eſt. Non ergo (concludo) quod ſit eligendum, ſequitur, quod ſit Cœlo præſtantiùs. Hùc quoque videtur pertinere, quod Lucæ 15. habetur: *Dico vobis, quod ita gaudium erit in Cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quam ſuper nonaginta novem juſtis, qui non indigent pœnitentia*; & hæc ſufficiant in obſervationem doctrinæ Cardinalis Sfondrati.

PROPOSITIO QVINTA.

Examinatur communis reſponſio, ſeù ſolutio.

1. Difficultati circa generalem voluntatem divinam poſt naturæ lapſum ſalvandi omnes homines, nullo dempto in cauſa parvulorum ſubortæ, communiter Doctores occurrunt dicendo, quamvis morientibus in ventre matris nō poſſit hic, & nunc exhiberi baptiſma; poterant tamen Parentes infantis immaturam mortem evitare, & ad baptiſma deferre, ſi temperatè vixiſſent, & vires proprias naturales non in aliis rebus debilitaſſet. Vel etiam potuiſſent benè operando obtinere à Deo vitam infantulis usque ad tempus, quo potuerint baptizari; Et hæc reſponſio iiſdem terminis exprimitur, quibus à me affertur apud P. Filoramo de Prædeſt. Elect. pag. 393.

2. Hanc verò ſolutionem non ſubſiſtere ex eo patet, incipiendo ab ultima parte, quod plures filii infidelium baptizantur, & fidelium filii baptiſmo privantur: Plures filii juſtorum, & piè viventium ad baptiſma non perducun-

 tur;

tur ; Peccatorum autem baptiſmo donantur . Et , ut inquit D.Aug.de bono perſeverantiæ lib.2.cap.12.in fine :
„ Quid etiam, quod aliquando parvulis infidelium filiis po-
„ tuit ne irent in perditionem , & filiis fidelium non potuit
„ baptiſmate ſubveniri ? Vbi certè oſtenditur , quod perſo-
„ narum apud Deum non ſit acceptio , alioquin cultorum
„ ſuorum potiùs, quàm inimicorum filios liberaret.

3. Baptiſmus ſanè non fuit à Chriſto inſtitutus in remedium peccati originalis dependenter , tanquam à conditione à bona, vel mala vita Parentum; itaut eorum proba, vel improba vita ſit ratio conferendi baptiſmum , aut ut baptiſmus poſſit applicari . Quis enim hoc audebit dicere , & tantum ferre præjudicium Chriſti Redemptoris , paſſioni, & morti ! Vi cujus baptiſmus inſtitutus pro ſalute parvulorum ſimpliciter, & abſolutè eſt inſtitutus in beneficium eorum ; nec Parentum perfidia obeſſe poteſt infantibus,quaſi ideò non ſit pro eis applicabilis baptiſmus: ſed, ſicuti quilibet homo , ſeù bonus , ſeù malus , ſive fidelis, ſive infidelis , ſive vir , ſive mulier, eſt baptiſmi miniſter , & conſequenter baptiſmus , inſtitutus à Chriſto eſt in remedium peccati originalis, independenter à vita miniſtrorum ; ſic etiam independenter à vita parentum , à quibus geniti carnaliter ſunt: Si enim improba vita miniſtrorum ad regenerandum non obeſt ; Cur oberit vita improba generantium ſecundum carnem.

4. Quoad primam partem de non ſervata vivendi temperantia, etſi temperatè vixiſſent, &c. dico, etſi quandoque evenire poſſe , ut cauſam immaturæ morti præbeant, aut conferre poſſint parentes, ſeù Matres ; tamen univerſaliter in contrarium plura ſunt mihi dicenda . Primò quo argumento , qua certitudine ſcitur , aut ſciri poteſt, eos parentes , quorum filii ad baptiſmum non pervenerunt , temperatè non vixiſſe . Item , quod ideò de medio fuit infans ablatus , quia vitam temperatè non duxit ;

& quod

& quod alii, qui cautè vixerunt non ſunt paſſi abortus intempeſtivos. Secundò quid dicendum de iis, quæ gravidantiæ tempore omnem ſollicitudinem habuerunt, aut habent, ne periculum quoddam immineat infanti; imò toto forſan vitæ tempore vitam duxerunt temperatiſſimam ſecundum leges ſanæ prudentiæ. Tertiò. Non ſunt quidem parentes ab Archiatro inſtructi Cœleſti, ut ſciant, quæ quot, & quanta requiruntur ad temperatè vivendum, quo ad conſervandam vitam infanti, ut ex utero vivus excludatur, adeoque baptizari poſſit; ſi velint, & non negligant parentes. Etenim, etiamſi mors ſequatur infantis defectu parentum, dummodò defectus ſit phyſicus, & non moralis, neque in cauſa, puta inculpabiliter, & absque voluntate, non ſequitur illud, quod ſi temperatè vixiſſent, &c. nam illius immatura mors ſequuta eſt propter cauſam purè phyſicam, & naturalem; undè parentes dicuntur inculpatè deficere, imò propriè non deficere. Poſſunt equidem evenire abortus propter cauſas, & cauſarum operationes, quarum nulla fuit voluntas, quod fuerint; ſcilicet, quæ non cadunt ſimpliciter ſub uſum liberi arbitrii; nempè influxus planetarum, Cœlorum, Syderum, aeris ſtationum, elementorum, &c.

5. Quod ſi dicas, Deum nolle rerum curſum impedire, nec teneri facere miracula, illasque vitare cauſas, quæ in viſceribus maternis mortem inferunt puerulo. Reſpondeo, me neſcire cauſam, cur iſti, hæc, & ſimilia proferentes in præſenti, ſint tàm ſolliciti de miraculorum parcitate, & nolle, Deum teneri removere illas cauſas, prævi ſas ab æterno, allaturas necem infanti in utero materno. Cur enim non cogitant, innumeris vicibus, ut S. Scriptura docet, Deum rerum naturalium curſum impediviſſe, & cauſarum ſecundarum actiones in tempore ſuſpendiſſe, & ab æterno ſuſpendere decreviſſe. Sol, & Luna ſteterunt Joſ. 10. quandoque curſum iniit retrogradum 4. Reg. Babylo-

nicus ignis pueros non conſumpſit in fornace, imò nec, vel minimùm ad læſionem tetigit. Deus, ut dicitur, non tenetur miracula patrare, & agentium naturalium curſum impedire; Cur ergo in dictis, & aliis caſibus impedivit: Si enim ibi ad oſtendendam ſuam potentiam, ad favendum amicis, ad expugnandos inimicos; hic à fortiori ad promovendam illam, quam ſupponimus efficaciter quantùm eſt de ſe volitam ſalutem, & vitam æternam; nam ejus eſt removere impedimenta, cujus eſt voluntas conſecutionis finis; dummodo ipſa impedimenta non ſunt auferibilia, niſi à volente finem, ſcilicet à Deo.

6. Quod, ſi ex facto dicas, Deum in caſibus prærecenſitis jam miracula patraſſe. Quoad infantes verò id non habemus: in dies enim videmus pueros in utero matrum mori. Hoc, ſi dicant, non juvat adverſariis, nam, ſi Deus ex vi voluntatis de ſalute tenetur, &c. & non exequitur, ſignum eſt, quod ſalutis media aliundè ſuppetunt, ideoque nulla eſt neceſſitas, ad hoc, ut ſalus in medio non deficiat, quod cauſas impediat naturales, quæ necem inferunt infantibus.

7. Baptiſmus itaque, inſtitutus haud fuit à Chriſto in remedium originalis delicti, niſi dependenter à voluntate hominum; nam infantes, quos Deus vult ſalvos fieri, non aliter ſalvos vult fieri, niſi per voluntatem alterius, quod eſt communiter certum, & indubitatum, & S. Proſper, infra afferendus, docuit; ergo (infero) oportet, ut Deus removeat cauſas naturales, mortem parvulo allaturas in utero, quia, ut dicebam baptiſmus inſtitutus eſt in uſum hominum, ſeù, ut applicetur, aut non applicetur, in manu hominum poſitum fuit, non in manu cæcæ naturæ, & agentium naturalium; ergo tenetur Deus impedire illas cauſas phyſicas, quæ immaturam, inferentes mortem puerulo, omnem baptiſmatis poſſibilitatem auferunt, ſi vult, ut eſt de fide, omnem hominem ſalvum fieri.

8. Deum

8. Deum igitur teneri impedimenta illa prohibere baptismatis, probatur evidenter: non intelligitur agens rationale, præſertim divinum velle ſeriò impensè, & quantum ex ſe eſt efficaciter aliquem finem, niſi ponat media utilia, quæ poſſint verè, & propriè conducere ad conſecutionem finis voliti; ſed neque poteſt ſeriò velle media, quæ ſint verè media, quæque reſpondeant ex aſſe voluntati de conſequendo fine; niſi ea omnia impedimenta inauferibilia, niſi à volente finem, prohibeantur, & auferantur; ergo, ſi Deus vult parvulum illum, de quo eſt ſermo, ſalvum fieri, & conſequenter pro medio providit ei, ſicut cæteris, baptiſma, debet pro eodem omnia auferre impedimenta, quæ impoſſibilitant hìc, & nunc baptiſmi applicationem, ſeù quæ reddunt impoſſibilem baptiſmum in individuo, omnibus debitè penſatis. Sicuti, ſi Princeps alicui imperaret carceribus detento, ut ad aliquod negotium peragendum in longingua regione adiret, non tamen cogitaret de eo à carceribus liberando, quod quidem ipſius Principis opus eſſet, nonniſi voluntas illa diceretur illuſoria, fallax, & nō vera; ſic quoque Deus, etſi author naturæ in iſtis caſibus cum exceptione operari tenetur, atq; ab æterno ſic operari decernere oportebat; quod verò ita factum nō fuerit, ſignū eſt, quod aliundè non perficitur ſalus infantis, quæ perfici potuerat. Item clarè probatur; nam ut cum Cajetano *1*. p. q. *103*. ar. 4. & Leſſio lib. 11. de provid. cap. 2. obſervat Requeſenius opus. *9*. de prædes. num. *693*. gubernatio non facit res gubernandas, ſed eas ſupponit, & creatio mundi non pertinet propriè ad munus Proviſoris, & multò minùs gubernatoris: Regimen quippè ſupponit res exiſtētes ordinatas ad ſuos fines, eisque præparat media ad illorum aſſecutionem; ergo divina providentia circa ſalutem infantium cum ſopponat eorum creationem opus eſt ut regimen intelligatur exerceri circa eos jam exiſtentes; ſed non po-

teſt

teſt hoc ſupernaturale regimen intelligi, niſi removeat cauſas naturales prohibentes baptiſmum; ergo fruſtraneus eſt recurſus ad cauſas naturales. Probatur minor hæc: Regimen ſupponit res exiſtentes in præviſione ordinatas, ad ſuos fines; ſed providentia ſupernaturalis quò ad prædeſtinandum omnes infantes voluntate ſincera indicta ab Apoſtolo, & expreſſa à Conciliis, & ſummis Pontificibus Inn. X. & Alex. VII. eſt quoddam ſupernaturale gubernium, vi cujus deſtinat media pro conſequendo fine; ergo poſita anima in embrione A, ſeù ſtante decreto de producenda anima in embrione A, hoc ipſo anima illa cum corpore cõjuncta ſubſtat regimini, ſeù præparationi mediorum; ergo de anima proùt creata in præviſione ob finem beatitudinis ſupernaturalis intelligitur ratio ordinandorum in finem; ergo ſi medium proviſum, & ordinatum eſt baptiſmus, hoc ipſo includitur remotio omnium cauſarum naturalium prohibentium baptiſmi ſuſceptionem, nam ſi non includitur, vacat baptiſmatis proviſio ordinandi in finem, quatenus hæc non ſubſiſtit, ſi ea quæ ſe tenent ex parte creationis hominis involvũt impoſſibilitatem, ut vivus infans excludi poſſit ex utero; ergo eſt linguoſum regimen, non verum. Si verum, quomodo de creatura jam exiſtente quæ dicitur poſſe gubernari, eique poſſe provideri à Deo aliqua interveniunt, quæ niſi removeantur, gubernari, & provideri ſupernaturaliter nequit; ergo ſi ſubſtat, ut de fide eſt infans ille A gubernio ſupernaturali per baptiſmi inſtitutionem, neceſſe eſt præſupponi creaturam, ſeù infantem jam aptum gubernari, & provideri per baptiſmum; ergo hoc ipſo intelligitur per remotionem impedimentorum naturalium, quibus redderetur impoſſibile, & inapplicabile lavacrum baptiſmi, & conſequenter ineptum provideri de ſalute per baptiſmum; ergo recurſus ad cauſas purè phyſicas eſt merum effugium.

9. Id autem, ut apertiùs pateat, probo argumento effi-

efficaciſſimo, Deum teneri impedimenta tollere naturalia ſic: Poſita electione aliquorum ad gloriam parvulorum antecedenti efficaci, vi hujus divini decreti omnia obſtacula, quæ cogitari poſſunt, removentur; v.g. infantes, qui baptizantur, & ſupponuntur efficaciter electi ad gloriam, & conſequenter præparatus in facto baptiſmus; implicat, quod iſti in utero matris ſine baptiſmo moriātur; nec alia de cauſa, niſi quia ſupponitur decretum efficax de ſalute illorum, & conſequenter de baptiſmo; ergo per conſequēs implicat quoque, ut quavis de cauſa moriatur in utero infans, ut dictū eſt, electus, in quo ſuſcipi nō poteſt baptiſmus nec applicabilis eſt; & vi talis decreti omnia, & ſingula, quæ prohibere poſſunt baptiſmi ſuſceptionē, intelliguntur remota; etiam, ſi defectu parentum, aut alia quavis de cauſa mater abortiri deberet, nunquam certè eveniret, quod per actionem naturalem abortum pateretur, atque vitæ exitum infans in utero genitricis; ergo à pari, ſalvo ſolo diſcrimine efficacis remedii, & ſufficientis; per hoc quod Deus vult omnem hominem ſalvum fieri, neminemque perire, & cuique infantium auxilium non deſit ſufficiens ad ſalutem, implicat dicere, ideò infantem non baptizari, nec baptizari poſſe, quia ſecundum curſum cauſarum naturalium mortuus eſt, antequam de vulva egrederetur. Ultima conſequentia eſt ineluctabilis meo judicio; nam diſcrimen antecedentis à conſequenti optato ſolùm in hoc conſiſtit, quod electi efficaciſſimè in hac ſuppoſitione non ſolùm debent impedimenta removeri, quæ prohibent applicabilitatem baptiſmi, ſed etiam, quæ impediunt actualem applicationem; pro non Electis verò, quod eſt conſequens intentum, auferre eadem rationis vi debent ea impedimenta, quæ applicabilitatem impediunt; ſeù ſequatur, ſeù non ſequatur poſtea incuria miniſtrorum, & parentum baptiſmus in facto. Cum ergo, ut ad rem meam redeam, Deus ſimilia impedimenta non removeat, ſignum

eſt

eſt aliundè jam' ſuppetere ſalutis poſſibilitatem pro dictis infantulis, etiam ſtante baptismi neceſſitate.

10. Demùm ſi adultis Deus non ſemper ſupernam inſpirationem exhibet ad vitanda peccata, ſed, ut notat Bellarminus,& cum eo Cardinalis Cæleſtinus Sfondratus; vel occaſiones removet, vel objectum aliud offert, quo voluntas diſtrahatur,vel terrorem incutit, vel phantaſiam reprimit, ut bonum delectabile minus vividè, atque languidè,& velut fracto cuſpide obiiciat, quod quidem patet ex Apoſtolo 1. ad Corinth. 10. *Fidelis Deus, qui non permittet vos tentari ſupra id, quod poteſtis;* ergo, parvulis, in utero matris ultimam claudentibus diem teneretur Deus eadem ratione removere occaſiones, & vitare, ut ſic dicam, tentationes naturæ, quæ prohibent applicationem medii ad ſalutem,inſtituti pro iiſdem, &c. Cũ enim Deus baptisma voluerit eſſe in remedium peccati originalis, non quidem in confuſo, ſed explicitè pro omnibus, & ſingulis; ergo explicitè pro hoc, illo, &c. ergo, ſi baptisma eſt huic, hìc, & nunc inapplicabile, omnibus debitè penſatis, inculpabiliter ex parte parentum, ſequitur,Deũ teneri ea omnia removere impedimenta, quæ baptismum hic,& nunc pro hoc individuo hoc loco,hoc tempore conſtituunt inapplicabilem; Si igitur impedimenta non auferuntur, adhùc applicabile eſt Sacramentum baptismi pro ſalute conſequenda;ergo non conciliatur divina voluntas de ſalute illius individui, eo quia natura intulit mortem illi; ergo concilianda eſt per ſufficientem baptismi applicabilitatem proquolibet caſu, cujusqué individui baptizandi.

11. Potuerunt igitur, poſſuntque Parentes, vel alii baptiſmi Sacramentum applicare votis; ideoque pro iis fuit ſufficiens remedium de ſalute; ſemper enim intelligendum eſt inviſibiliter applicatum,ut mox tetigi, & inferiùs proſequar, dùm viſibiliter neceſſitate, non voluntate

deeſt,

deeſt, ut inquit D. Auguſtinus loco ſupracitato; nam loquens de illo latrone lib. 4. de baptiſ. cap. 22. ait: *Quid autem valeat, & quid agat in homine corporaliter adhibita ſanctificatio Sacramenti, ſine qua tamen ille latro non fuit; quia non ejus accipienda voluntas defuit, ſed non accipienda neceſſitas affuit*..... ergo latroni profuit baptiſmus, quia voluntate affuit; ergo parvulis baptiſmus prodeſt, ſi parentum voluntate adeſt, quando inculpata neceſſitate abeſt; &, ſicut in illo latrone ex Aug. quod ex baptiſmi Sacramento defuerat, complevit omnipotentis benignitas, quia non ſuperbia, vel contemptu, ſed neceſſitate defuerat; Sic quoque pro parvulis in utero morientibus matris, omnipotentis benignitas implere credenda eſt, quod ex Sacramẽto baptiſmi deeſt, nam neceſſitate, non autem voluntate parentum deeſt, cum hoc ſolo diſcrimine, quod in latrone ſpiritaliter affuit voluntate propria; in dictis parvulis adeſt voluntate aliena. Hoc autem diſcrimen eſt neceſſarium pro diverſitate ſtatus, & ex ætatis indigentia; nec mirum, ſi ex ætatis indigentia, ut inquit idem Sanctus Doctor, infantes baptizati non ex impia voluntate, nec corde credunt ad juſtitiam, nec ore confitentur ad ſalutem; quod tamen, quia potuit latro, pro iſto viſibilem, & corporaliter adhibitam ſanctificationem ſupplevit divina benignitas; pro infantibus, quia non poſſunt, dum baptizantur, eadem divina benignitas intelligitur complere ex parte ipſorum ad credendum, & volendum impoſſibilem pro eo ſtatu diſpoſitionem; ergo, ſicuti ætatis indigentia completur à Deo, quoad actum credendi, volendique, qui tamen fuit in latrone, nam potuit, ut & fecit; Sic quoque diverſificat modum volendi, ſcilicet, quod ratione ætatis intelligitur velle per alium, & ſufficit, quod baptiſmus non abſit voluntate aliena ratione proprii ſtatus infantilis, & ratione indigentiæ ætatis, ſeù, ut clariùs, quod intuli dicam, ſicuti, & in latrone ex Aug. licet corporaliter

adhibita ſanctificatio neceſſitate abfuerit, quia ſpiritaliter voluntate propria affuit, id ad ſalutem illi profuit; ita etiam infantibus in caſibus, de quibus eſt ſermo, cum baptiſmus viſibilis abfuerit, ſufficiet illis ad ſalutem, ſi aderit voluntate, aliena tamen, ob conditionem ſtatus puerilis, & ob indigentiam ætatis.

12. Nec ſolum ratione indigentiæ ætatis; verùm etiam ob ſolum præſuppoſitum originale omnibus actualibus delictis excluſis, pro quibus ſolùm ex ſua ratione intrinſeca requiritur per ſe propria voluntas, ut colligitur ex ſupradictis cap. *6*. & cap. *10*. prop. *1*. ergo, dum dicitur baptiſmum eſſe neceſſarium, quia non omittendum, includitur, ſeù propria, ſeù aliena voluntas.

13. Quod igitur inculpabiliter quandoque deſit infanti alicui baptiſmi unda ſalutaris, non deeſſe credendum eſt maximè probabiliter ſalutem, ſi voluntate aliena non abſit; quandoquidem neceſſaria baptiſmi ſalutaris unda eſt, nam non omittenda, ut ſupra ex Aug. & eſt Eccleſiæ communis ſenſus; ergo, ſi ab infantibus non omittitur, ſalus non deeſt; ſed non omittitur; nam non voluntate propria, cum ſint ratione ſtatus rationis incapaces; neque voluntate aliena, ſi aliis baptizandi propoſitum verum non deeſt, ut ſuppono; ergo nullo modo dicitur baptiſmus omiſſus, quatenus omiſſio actus eſt humanus, & liber; voluntatem autem alienam ſufficere, ne dicatur omitti, patet, quia, cum fuerit aliena culpa, ſufficit, & aliena voluntas; nam de facto per alienam voluntatem ſalvantur, dum ab alio baptizantur. Secundò ratione ætatis, quæ indiga eſt. Tertiò, quia ſalus infantium commendata eſt aliis, nec cenſentur velle, aut nolle, niſi aliis volentibus, aut nolentibus. Quartò, quia pro peccato originali non opus eſt aliqua deteſtatione, vi cujus mutetur ſtatus moralis infantis; nam id ſolùm dici poteſt de peccato perſonali; quæ omnia patefient infra, occurrendo objectionibus.

14. Etſi

14. Etſi quoad hoc, ſuffragium optemus D. Aug. Ecce rotundum textum D. Proſperi, quo nemo melius credendus eſt penetrare mentem Auguſtini. Proſper igitur 2. de voc.gen.cap.23. *Non irreligiosè arbitror credi, neque inconvenienter intelligi, quod iſti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ ſemper univerſis eſt impenſa nationibus: qua utique, ſi benè eorum uterentur parentes, etiam ipſi per eoſdem juvarentur.* Adverte, lector, Proſperum hìc agere de parvulis natis, qui abſque baptiſmo moriuntur, tùm quia ait: *paucorum dierum homines*; igitur ſupponit eos natos, & poſt paucos dies mori; tum etiam quia ſupponit poſſe juvari per parentes; ergo non facit ad noſtrum propoſitum, qui loquimur de illis infantibus, qui per parentes juvari non poſſunt; at cum dicta authoritate conjungendo ea, quæ ſubdit Proſper; cum antecedentibus ſequentia ad noſtram rem faciunt; ſic itaque addit: *Omniũ namque exordia parvulorum, totaque illa principia, nec dum rationalis infantiæ ſub arbitrio jacent voluntatis alienæ; nec ullo modo eis, niſi per alios conſuli poteſt: & conſequens eſt illos ad illorum pertinere conſortium, quorum vel recto, vel pravo reguntur affectu; Sicut enim ex aliena confeſſione credunt; ita ex aliena infidelitate, aut diſſimulatione non credunt; & cum ipſi nec præſentis vitæ deſiderium habuerint, nec futuræ, quàm ipſorum factum eſt naſci, tàm ipſorum efficitur non renaſci.* Ubi clarum eſt ſalutem infantium eſſe poſitam in manu aliena; ergo, dum à parentibus juvari non poſſunt per applicationem baptiſmi, ſi verum eſt, nonniſi per alios conſuli poſſe illis, illorumque ſaluti, infertur ex mente Proſperi, defectum parentum eſſe quo minus eo tunc conſulatur, cum poſſit voluntate remedium afferre, qua voluntate cenſentur velle pueruli. Quatenus iſti per parentum voluntatem juvandi ſunt, & nonniſi juvandi ſunt; & ſicut voluntate aliena factum eſt naſci; ſic aliena quoque fit, ut renaſcantur; cumque non culpa parentum fiat, ut non poſſint ſalu-

taris undæ phyſica applicatione renaſci, culpa tamen ipſorum eſt ſpiritali applicatione non renaſci. Item, ſi omnium parvulorum exordia, & tota illa principia, nedum rationalis infantiæ ſub arbitrio jacent voluntatis alienæ, ut ait Proſper; Igitur parvulos in caſu neceſſitatis inculpabilis ſalvari poſſe per arbitrium voluntatis alienæ nō difficulter intelligitur, quia omniū exordia arbitrio jacent voluntatis alienæ. Exordiū igitur infantis immaturæ mortis fato præventi, alienæ volūtatis ſub arbitrio jacet;ergo, ſi culpa parentū eſt,non ei prodeſſe,per quos,& ſolos poteſt ſuccurri, in quantum per alios poteſt ejus ſaluti conſuli,ſupponitur poſſe,eoſdē parētes prodeſſe. Quomodo profectò,niſi alienis votis? Niſi ſpiritali renaſcentia? Niſi alienæ piæ voluntatis applicatione? Quo ad id,quod dixi,eſſe ad noſtrū propoſitū Proſperi textum rotundum,ne quis de hoc miretur, advertat lector duplici ſenſu intelligi poſſe inter eos, qui mihi nunc in mentem ſubeunt dictū iſtud Proſperi,ſcilicet, *non irreligiosè arbitror credi, &c. quod iſti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ ſemper univerſis eſt impenſa nationibus*,putà pertinere ad gratiam ſufficientem, quæ eſt pars gratiæ, quam omnibus populis à Deo conferri non revocatur in dubium. Vel pro illis intelligitur auxiliis ad ſervanda mandata naturæ, quibus ulteriora adderentur adjutoria;ergo pro parvulis omnibus cujuſcumque caſus, ſeù extra uterum excluſis, ſeù non, gratia ſufficiens ſalutis apud parentes non deeſt, qua ſi utuntur; per ipſos infantes juvari poſſunt. Quænam eſt gratia ſufficiens, quodnam adjutorium pro juvandis infantibus, niſi baptiſmus applicabilis inſtitutus à Chriſto? Poſſunt ne parentes,vel alii benè uti hoc remedio; poſſunt vi hujus juvare filios in utero morientes intempeſtivè? Certè minimè; ergo, ſi Proſper aſtruit, culpam eſſe parentum, filios per ipſos non juvari, ſupponit remedium eſſe aptum,& ſufficiens penès eos, & in eorum poteſtate, quod cum non

poſ-

poſſit eſſe phyſicè per phyſicam ablutionem, intelligendus eſt S. Doctor per ſpiritalem, piamque applicationem.

15. Neque hìc replicari poteſt de operatione naturæ, quæ baptiſmati ſuo tempore conferendo obſtitit, nam hoc eſt petere principium, cum id ſit hactenus impugnatum, & aliundè ad negationem, & carentiam remedii, & auxilii ſufficientis abſuerit culpa parentum, & in actu, & proximiùs; & remotè, atque in cauſa, & radice. Tandem audiamus Auguſtinum contra Julianum Pelagianum lib. 6. cap. 10. *Si autem manifeſtabuntur* (parvuli ante Tribunal Chriſti) *quomodo reportat eorum quiſque quod geſſit, qui nihil geſſit; niſi quià pertinet ad eos, quod per corda, & ora geſtantium credunt, ſive non credunt*; ergo voluntas geſtantium in utero in caſu neceſſitatis poteſt eis ad ſalutem prodeſse.

16. Quod ſi homini, ut inquit Julius Syrenius Brixianus Ordinis D. Hyeronimi lib. 1. de præd. cap. 36. pag. mihi 82. anno 1580. pro quocumque ſtatu naturali ſuo ad ſalutem aſſequendam opportuna Deus exhibuit remedia; Cur infantes eos, qui in eo carceris cæci ſtatu, tanquam in naturali pro tempore ſtatu ſuo conſtituti ſunt, à Deo penitùs ita deſeri, obſtinatè affirmabimus; ut quemadmodum aliorum opera, & fide baptizantur, non ita aliorum ſaltem devotis ſupplicationibus, & baptiſmo illo, quem in voto non tantùm parentum ſuorum, ſed univerſæ Eccleſiæ etiã ſuæ, quæ omnium ſalutem exoptat Deus intuetur ſalvari eos ſit poſſibile? *Votum*, inquit Magiſter lib. 4. diſp. 17. *pro opere reputatur, ubi neceſſitas opus excluſit. Adverſitas enim*, ut ad Riccharedum regem ſcripſit aliquando S. Gregorius Papa, *quæ bonis votis obiicitur, probatio virtutis eſt, non judicium reprobationis*; & S. Leo Papa, *Miſericordiæ Dei nec menſuras poſſumus ponere, nec tempora definire.* Quomodo tamen intelligẽda ſit hæc doctrina ad rem noſtram, ultra alios optimos quoque ſenſus, quos habet, partim hacte-

hactenus indicatum eſt, partim, & fusè infra ſolutione obiectionum patebit.

17. Dices: Status infantilis in utero non eſt verus ſtatus, ſed circūſtantia ſtatus, ſicuti v.g. ſtatus amentis, &c. ſic memini, ni fallor, legiſſe apud Bonacina, &c. At quoad hoc plura ſunt mihi dicenda. Primò, ſi à ſtatu amentis comparationem facere licebit cum ſtatu infantili novem menſium ſpatio, dicere poſſemus ſtatum inſani eſſe ſtatum naturalem ſuum; at nonniſi amens id dicere poteſt; non valet ergo ſimilitudo, nam amentiæ ſtatus eſt ſtatus præter naturalis, ex infirmitate proficiſcens; nec natura reſpicit hunc miſerum ſtatum, niſi eo modo, quo fiunt monſtra præter agentis, & naturæ intentionem: ſtatus verò infantilis, quo carcere concluditur materno novem intercapedine menſium eſt ſtatus naturalis à natura intentus, ſemper ſervatus, & nunquam violatus. Quis enim vidit homines extra materna viſcera ſtatim, & de facto genitos, & adoletos; ergo, ſi Deus homini pro quovis ſtatu naturali ſuo tenetur exhibere auxilia ad ſalutem, ſequitur puerulos, in utero matris morientes poſſe aliena voluntate de ſalute non excidere, ſicuti aliena opera baptizantur. Secundò ſtatus amentis adulti, nam de parvulis eadem eſt conditio, quod ſubjici poſſint undæ ſalutari, ſeù amentes, ſeù ſanæ mentis naſcantur, optimè conciliatur cum Dei ſincera, atque quantum eſt de ſe efficaci voluntate ſalutis, & vitæ æternæ, nec quoad iſtam ſalvandam opus ſit cauſas dementiam allaturas prohibere; etenim opera ex objecto mala poſt inſaniam non imputantur, nec ſunt mala culpabilia; ante verò dementiam gratia Dei non defuit, nec deerat, qua benè uterentur; pro parvulis autē in propoſito, quodnam eſt auxilium, quo per alios uti poſſunt? Cum ſupponamus eos per alios, puta, parentes cauſam non dediſſe baptiſmatis inapplicabilitati, ſeù morti immaturæ, ob quam illud conferri nequit. Adde tertiò, ſive di-

cas ſtatum, ſive circumſtantiam ſtatus ſemper ego petam, erit ne infans in utero pro eo toto tempore, quo ibi concluditur omni auxilio ad ſalutem deſtitutus? Vult Deus ſalutem illius? Certè, quod ſic, nam pro omnibus, & ſingulis de fide mortuus eſt Chriſtus, &, ſicut nullum à reatu liberum reperit, ita pro liberandis omnibus venit; ergo, ſi baptiſmus eſt peccati originalis remedium, adhùc pro illo ſtatu eſt applicabilis per alienam voluntatem, aliter baptiſmus, nõ eſſet univerſale remedium originalis; aliter Chriſtus non eſſet mortuus pro omnibus, & conſequenter non venit pro liberandis omnibus, quæ omnia ſunt impia. Parùm imò nihil ergo juvat adverſariis ſimilitudo ſtatus amentiæ, ſeù velint nuncupare ſtatum, ſeù circumſtantiam ſtatus, nam ſemper diſparitas adeſt. Demùm apud philoſophos, & ſapientes, apud medicos, apud politicos frequentes ſunt hæ voces ſtatus ſalutis, infirmitatis, ignorantiæ, ſcientiæ, jurisdictionis, & ſupremitatis, ſubjectionis, & inferioritatis. Cur ergo amentem nolunt dicere ſtatum; & infantem concludi utero non eſſe quemdam ſuum ſtatum, ſed circumſtantiam ſtatus. Peto cæci carceris materni ſtatus eſt ne ſtatus eſſendi ſic; negari non poteſt; nam natura id intendit; ergo non ſolùm ſtatus infantilis ſic eſſendi ſuus, ſed naturalis, nam ſi ob datum tempus novem menſium non eſſet dicendus ſtatus ſuus naturalis infantis; ergo neque ſtatus pueritiæ, quæ tranſit in ſtatum adoleſcentiæ, & neque ſtatus adoleſcentiæ, quæ tranſit in ſtatum juventutis, & ſic deinceps; Undè non daretur ſtatus puerilis, ſcilicet infantilis; ſicuti ergo natura non intendit ſtatum adulti, niſi præſupponendo ſtatum infantilem; ſic neque intendit iſtum, niſi cum præſuppoſitione, & incluſione eſſendi ſub ſtatu cæci carceris materni. Status quippè adulti comprehendit ſenes, juvenes, adoleſcentes, &c. Sic etiam ſtatus infantilis, & infantes, utero excluſos, & incluſos,

18. Vo-

18. Voluntas autem, quàm prodeſſe infantulis docui neceſſitate baptiſmum excludente talis non eſt niſi Chriſti inſtituto; talis non eſt, niſi Deo miſerente ob Chriſti redemptionem, qui, dum baptiſmum inſtituit pro parvulis voluntate non excluſum, peccatum originale remittendum duxit, &c. quod quidem valdè notandum eſt, ne aſpera videantur, ſicut nobis prima veritatis hujus indagine accidit, quæ cum jam in planum, Deo favente, duxerimus attenta myſterii meditatione, rationumque omnium pro, & contra appoſitione in conſpectum mentis, ſapientibus, & eximiis, & iis, qui de vulgo ſunt monendum eſſe cenſui hic non eodem modo juſtificationem evenire infanti, & votis alienis baptizato; ac contrito, & in voto, ut dicitur, baptizato adulto. Contritio enim, quod notare, valde monitos cupio lectores, adhuc ſine neceſſitate juſtificat, licet ex neceſſitate baptiſmus non eſt negligendus. Parentum votum, & fidem, ac devotam ſupplicationem cum invocatione Sanctiſſimæ Trinitatis puerulum juſtificare caſu neceſſitatis, quo ſuccurri non poteſt credere piè, & non improbabiliter poſſumus, ut volitam à Deo diſpoſitionem, ob quam rem Deus inviſibiliter abſque viſibili Sacramento ob merita Chriſti, & Redemptoris intuitu ſanctificat, dum ſalutis periculum imminet. Cum enim ſit volita baptiſmi applicatio; Hac jam poſita in votis alienis, dum viſibilis ſanctificatio inculpabiliter excluditur, puerum in caſu expreſſo, intelligendum eſt nòn abſurdè Deum propter Redemptorem ſalvare, ſi ab æterno flagrantiſſimè omnes, & ſingulos ſalvare decrevit per media opportuna ſufficientiſſima.

19. E re nata non eſt negligendum hic enarrare dubium, quod tranſactis annis, dùm conſentiæ S. Theologiæ Cathedram ſubſtinebam, mihi expoſitum ab amico ob ſuę cõſcientiæ ſerenitatem fuerat, ut meum aperirem ſenſum: Dubitatio hæc erat; Si contritio vim habet juſtificandi, ca-

po-

poſita jam juſtificatur homo; adepta ergo ſanctitate opus eſt etiam accedere ad Sacramentum pœnitentiæ, ſi hoc continebatur in actu contritionis; quanto ergo dicemus tempore contritum in juſtificatione permanere abſque Sacramentali confeſſione; & hac non poſita, præcisè per hoc, ſecluſo tamen contemptu quomodo intelligi poteſt juſtitiam deperdi, Dei amicitiam diſſolvi. Quæ dixi eo tunc temporis hæc ſunt, ſcilicet teneri confiteri, habita copia confeſſarii, & temporis opportunitate, aliter Deus amicitiam diſſolvit, gratia deperditur, nam ajebam, contritio continet Sacramentum in voto; ergo debet opportunitate data confiteri contritus, ſecus deperditur gratia juſtificationis. Re autem meliùs conſiderata iterùm, atque iterum deinceps aſſerui contritum, atque proindè juſtificatum non teneri, etiam poſita copia confeſſarii, & temporis opportunitate confiteri ſtatim; ſed tunc teneri, quando confeſſionis præceptum urget; hoc autem non urget, præcisè ob copiam datam confeſſarii, & temporis opportunitatem, ut omnibus innoteſcit; Sed inſtat præceptum confeſſionis, aut in articulo, aut in gravi mortis periculo, aut in die Paſchatis ex Eccleſiæ præcepto. Aut ratione S. Communionis, quod jam lætabundus reperio apud Bartholomæum à S. Fauſto lib. 2. de pœnit. quæſt. 19.

20. Incidenter hic contritionis naturam explicare, & adamuſſim explanare placet. Si enim, quæ præcisè ab aliis dicta ſunt ſimpliciter referuntur; & diſtinctiùs, clariùsque non exprimuntur, dum cæterùm aliqua occurrere poteſt confuſio, fruſtra typis noſtra concredere ſatagimus. Vulgò dicitur contritionem perfectam eſſe veram cordis converſionem; & vera cordis converſio coincidit cum contritione illa, quæ ſimpliciter per antonomaſiam dicitur cõtritio; quamobrem dicitur vera converſio ad excludendam attritionem; ergo attritio eſt falſa cordis converſio; at, cum attritio ſit vera attritio, & attritio poſſit eſſe per-

fecta in ſuo genere,ſequitur,quod attritio dici poteſt perfecta converſio, & vera converſio.

21. At,ſi reminiſcamur principiorum philoſophiæ entis, ſeù methaphyſicæ, omnis difficultas ceſſabit. Verum quippè eſt paſſio entis, quod ſequitur bonum; & id tranſcendentaliter verum dicitur, quod ita eſt, quale eſſe debet, ut docet eximius Maignan, indè infertur, quod ſit bonum, ſcilicet, quod ſit integrum, perfectum, completum,abſolutum,&c. Attritio igitur, licet ſit bona, & vera, quatenus v.g. ex bono motivo, & vero, atque ad laudem, decusque attriti facta; tamen non ideò verè dicitur converti ad Deum, ſcilicet converſione cordis vera,perfecta, integra, abſoluta, completa; nam non eſt talis, qualis eſſe debet, ut convertat hominem ad Deum,ut amicitiam Dei recuperet;& ideò dicitur non vera cordis converſio,& vera pœnitentia; ut autem ſit vera, adeoque perfecta, & integra cordis converſio, & conſequenter contritio, ſpecificè ſumpto vocabulo, debet homo v. g. odiſſe peccatum quantum odibile eſt; nam, qui peccatum non deteſtatur, & effugit ex motivo charitatis, illud non deteſtatur ſuper omnia, nec odit illud, quantum odibile eſt. Peccatum quippè eſt odibilius, ut opponitur Deo, quàm,ut opponitur omnibus aliis motivis v.g. pœnarum inferni, religionis, obedientiæ,&c. Siquidem, qui odit illud tantùm, ut opponitur religioni, aut obedientiæ, e. c. non odit illud ſuper omnia, quod demonſtratur, nam non odit illud ſupra ipſum peccatum, prout eſt malum, & prout opponitur Deo ſummo bono. Cum ergo totum hoc in actu pœnitentis attriti non concurrat, veram cordis converſionem non habet; & in hoc ſitum eſt contritionis myſterium, vis, & efficacia. Unum advertendum eſt, quandoque eſſe contritionem etiam actum illum undè diſplicentia oritur peccati; ſeù actus ille, quo homo nollet feciſse, quod malè fecit ex motivis turpitudinis peccati,ex ingratitudine erga

Deum

Digitized by Google

Deum Creatorem, Redemptorem, & glorificatorem; dummodò omnes iſtæ rationes, omniaque iſta motiva ſint rationes, in quibus magis, magisque divina bonitas elucet, propter cujus offenſam dolet: attritionem verò illam, quā dicimus ex metu gehennæ, ſic debere eſſe, ut ſit valida in Sacramento pœnitentiæ, qua concipiamus dolorem de peccatis, & malè geſtis ob pœnas, non prout ſunt nobis malum in natura, ſed, prout ſunt malum inflictum à judice iniquitatum ultore; aliter eſſet attritio naturalis, & in ordine naturæ.

22. Hæc autem ſupradicta vera cordis converſio requiritur ad juſtificationem in adulto extra Sacramentum, nam, ut loquitur Tridentinum, hìc motus fuit omni tempore neceſſarius ad ſalutem; pro parvulis autem non requiritur dolor, aut aliqua contritio per voluntatem alterius. Nam, ut ſupra demonſtratum eſt prop. 1. peccatum originale non eſt proprium, ſed alienum, ad quod delendum nullo opus eſt dolore, nulla deteſtatione; ſicque, caſu quo baptiſmate ſuccurri nequit, & excluditur ad juſtificandos infantes, ſufficit per voluntatem alterius applicatus; nam Chriſtus, qui eſt caput morale omnium hominum, eſt qui eo tunc inviſibiliter baptizat per ſuos miniſtros, baptiſmum applicantes, nam non voluntate, ſed neceſſitate inculpabili deeſt viſibile Sacramentum. Sui autem miniſtri omnes ſunt homines, in quorum poteſtate conſtituta eſt infantium ſalus; Sicuti in poteſtate Adami fuit eos excludere à Regno. Quibus poſitis, iterum efformo generale noſtrum ſolitum argumentum. Deus vult ſalutem infantium pro eo ſtatu carceris materni, in quo, tanquam in ſtatu naturali ſunt conſtituti, adeoque in auxilium inſtituit Chriſtus Redemptor baptiſmum. Baptismus inapplicabilis non eſt, nec eſſe poteſt remedium à Chriſto inſtitutum; ergo applicabilitas pro eo ſtatu intelligitur in votis parentum, ſi in re aliquo neceſſitatis caſu

deeſt. Aliundè propria voluntas non eſt neceſſaria, tùm ex indigentia ætatis, tùm quia peccatum non eſt proprium, ſed aliena voluntate fuit contractum; ergo voluntate aliena diſſolvi poteſt; ſicuti in re, dum exercetur baptiſmus; ſic in voluntate, dum exerceri non poteſt: neque opus eſt, ut juſtificetur parvulus in dicta hypotheſi aliqua diſpoſitione, quæ vi ſua inferat juſtificationem; peccatum enim originale non eſt retractabile, & capax ſubiici retractationi, nam nemo jure dolere poteſt, aut debet de eo, quod non fuit ſuum, quod fuerit, & apertiſſimè monſtratum eſt ſuo loco; igitur non eſt opus, ut Deus juſtificet in dicto caſu, quod parvulus per alienam voluntatem aliquo doloris motu, aut contritionis diſponatur, præparetur; at ſolùm voluntas baptizandi, atque in Chriſto regenerandi oportet, quod ſit: quo poſito, vi meritorum Chriſti infans ille ſanctificatur, licet non habuerit exteriorem, & corporaliter adhibitam ſanctificationem; nam ejus accipiendæ voluntas non defuit, neque per parentes, ut ſuppono; non defuerunt vota, ſed neceſſitas affuit; ergo Deus in gratiam Redemptoris, ſicuti filio ſuo pro nobis non pepercit, ſed pro omnibus tradidit illum, & cum illo omnia nobis donavit; ſic hoc donaſſe in beneficium parvulorum, qui aqua tingi nequeunt, piè, & probabiliter credi poteſt. Hinc

23. Ratio noſtra dilucidiùs exponitur ex eo quia medium, quod eſt utile ad conſequendum finem efficaciter quantum eſt ex parte Dei volitum ex ſola ſua liberalitate, & voluntate antecedenti, atque merè gratis non eſt utile, niſi quatenus ſic cognitum in Dei æterna præviſione; ſed Deus ab æterno volens v. g. ſalvare puerulum B gratis ex mera ſua liberali miſericordia per medium baptiſmi, hoc ipſo in eſſe cognito, baptismus eſt medium non utile, & conſequenter non medium, quia in eſſe cognito applicationi ſubjici non poteſt; aliundè in eodem eſſe cognito vi-
ta

Digitized by Google

ia pueruli prævisa eſt non duratura uſque ad excluſionem; ergo puerulus, v. g. B, non eſt intelligendus de numero ordinatorum ad vitam per illam generalem voluntatem promulgatam ab Apoſtolo Paulo 2. Corin. in quo eſt contradictio; ergo putandum eſt medium illud cognitum,& à Chriſto inſtitutum, adhùc ſufficienter applicari poſſe, ut dictum eſt, dum puerulum illum ſalvum fieri intendit Deus efficaciter,ſeù ſincerè per medium lavacri ſalutaris.

24. Dum hoc de Dei bonitate ſentirem, tanquam divinæ miſericordiæ conforme, occurrit eumdem ſenſum apud Cajetanum invenire. Quanta lætitiæ voluptate perfuſus fuerim, Cajetani doctiſſimi authoritate fretus, ex eo evinci poteſt, quod exindè fusè hanc materiam pertractare decrevi, ut pateat non eſſe abſurdum aſſerere, baptiſmum in voto alieno prodeſſe parvulis, quibus Sacramentum ipſum applicari non poteſt; aut ſaltèm non eſt obſtinatè aſſerendum contrarium, quòd conſtabit facillima objectionum ſolutione; nec aliud præſenti diſſertatione exopto, quam in hac materia ſuſpendendum eſſe judicium reſpuens eos,qui obſtinata ſententia volunt puerulos illos perire; At non perire in facto poſſibile eſſe, jam ex dictis, & dicendis manifeſtum fiet. Quapropter conſulendæ ſunt matres, ut dum aliqua ægritudine, aut partus difficultate laborant, ſui pueruli oblationem Deo exhibeant cum expreſſo propoſito eos baptizandi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ejusque cauſa, ut inquit Cajetanus, reſervetur Tribunali Divino.

25. Argumenta Cajetani quæſt. 68. art. 2. & art. 11. de Sacramentis, quibus movetur in eamdem ſententiam,hæc ſunt. Primò authoritate Gregorii dicentis apud Magiſtrum Senten. in primo, diſt. 4. & de conſecr. dis. 4. Quod apud nos valet aqua baptiſmi, hoc egit apud veteres, vel pro parvulis ſola fides, vel pro majoribus virtus Sacrificii; vel pro his, qui ex Abrahæ ſtirpe prodierunt myſterium

cir-

circumciſionis: hinc arguit; fides ſola veterum non fuit majoris virtutis apud veteres, quam apud nos, ac per hoc non plus potuit neceſſitatis urgente articulo ſubvenire tunc, quàm nunc; ſed tunc deficiente parvulis proprio ſalutis auxilio, parentum fides pro parvulo ſola ſufficiebat; ergo nunc quando parvulo deeſt proprium ſalutis remedium, quod eſt baptisma; ſola parentis fides, parvulum Deo offerens, ſufficit ad ſalutem parvuli.

26. Nec obſtat, ſi dicatur, quod apud veteres fides parentis erat proprium remedium parvulorum; nunc autem adveniente Chriſto in carnem inſtitutum eſt ſenſibile Sacramentum in proprium parvulorum remedium: hoc inquam non obſtat, ex Cajetano quoniam duobus exiſtentibus (ſcilicet fide, & fidei Sacramento) operanti apud veteres fidei adjunctum noſtro tempore fidei Sacramentum ſub ratione poſſibilis intelligimus, non ut fidei virtutem ſolvat, ſeù adimpleat; & propterea quando impoſſibilitas Sacramentum fidei excludit, virtuti fidei locus relinquitur; & ſic parvulus ex baptiſmo flaminis, voto parentis ſuſcepto, ſalvaretur, ſi impoſſibile eſſet, ipſum baptizari aqua.

27. Confirmat hoc Cajetanus ex ſalute parvulorum tempore circumciſionis, ante octavum diem morientium. Nam tales ſecundum probabiliorem opinionem moriebantur incircumciſi, ut patet de fratre Salomonis, & tamen ſalvabantur per benedictionem, ſeù oblationem aliquam; quoniam ex lege circumciſionis non ſunt redditi mares deterioris conditionis, quam fœminæ, quas conſtat ante octavum diem potuiſſe conſequi remedium contra peccati originalis maculam; ſicut igitur incircumciſi tunc infantes propter impoſſibilitatem circumciſionis in fide parentum ſalvari poterant; ita nunc non baptizati; nihilque hic, aut ibi ſequitur adverſus divinam legem, ſanè intellectam.

28. Plura ſunt mihi notanda circa hanc Cajetani doctri-

ctrinam, ut ea, quæ mecum communicat, proſpiciam. Primum eſt ob impoſſibilitatem Sacramenti locum relinqui voto, & virtuti fidei, quod jam dixi non ſemel. Secundum, dùm Cajetanus ait, relinqui fidei locum, &c. non intelligendum eſt præcisè de fide Parentis, itaut hæc ſola ſatis ſit ad ſalutem, ſed oportet, ut ſit fides pro parvulis, nempè applicata in eorum remedium, & requiritur expreſſum votum, & deſiderium conferendi Sacramentum fidei. Tertium, in quo me explico, eſt tunc valere ad ſalutem, quando Sacramentum fidei intelligitur impoſſibile inculpabiliter; aliter nego ad ſalutem prodeſſe; item Sacramenti fidei votum, &c. parvulum juvare, ſi impoſſibile eſſet ipſum baptizari aqua, impoſſibilitate ſe tenente ex incapacitate ſubjecti, pro eo ſtatu, in quo reperitur v. g. in ventre matris, non autem ex aliis capitibus, pro quibus explicandis pauca nunc dico, dicturus in refellendis objectionibus: Parens etenim uterque pueruli pater, & mater ſunt, amborumque curæ eſt demandata ſalus filii, potiſſimum propterea, quæ mox dico, matri eſt natorum concredita ſalutis cura. Cum igitur aliqua ſuſpicione gravi puerum vivum non naſci exiſtimetur; ſi pater voveat baptiſma, quod ſuppono applicari non poſſe, qui tamen abſit à partu; nec enim ipſe, ut cum partu ſemper adſit, oportet, imò ex ſua ratione ſemper diſtare ſupponitur, aut in facto diſtat: Hoc autem tempore infans abſque vita naſcatur, hic non intelligitur baptizatus, ſi matris votum removeamus; nam ultra impoſſibilitatem baptiſmi pro ſtatu materni carceris, eſt hæc alia, quod abſens, & diſtans baptizari non poſſit; ergo votum patris fruſtrà. Vndè ego requiro præſentiam phyſicam voventis, aliter ſequeretur alia impoſſibilitas, adhùc cæteris in promptu, ſi puer per aliqua momenta poſt partum in vita produceretur; quatenus à vovente abſente baptizari non poſſet, ſicque votum illud reputaretur pro nihilo; & poſt pauca illa momenta è vivis decedens puerulus certè de

ſalute

ſalute non eſſet ſecurus, aliundè non baptizatus. Hinc eſt, quod puto, matri ſolùm incumbere, debitumque ipſi ſoli in eſſe invigilandi erga filiorum ſuorum ſalutem, utpotè à ſuis natis indiviſæ, & periclitantibus nunquam diſſitæ; quapropter convenio cum eo, quod ait Cajetanus doctiſſimus, dum docet poſt antecedentia concludens ita: Et ſic parvulus ex baptiſmo flaminis, voto parentis ſuſcepto ſalvaretur, ſi impoſſibile eſſet, ipſum baptizari aqua. At id hoc ſenſu intelligo videlicet, & ſic dicendum fore exiſtimo, ut in objectionum ſolutione patefiet, baptiſmo exiſtente impoſſibili, tùm ante partum pueri, tùm poſt ejuſdem partum; ſicuti in primo, ſic in ſecundo inculpatè, ut ejus parentibus imputari nequeat.

29. Quartum, quoad dictum D. Gregorii: *Quod apud nos valet aqua baptiſmi, hoc egit apud veteres, vel ſola fides pro parvulis, vel pro majoribus virtus ſacrificii*, &c. puto nonniſi intelligi pro ſolo peccato originali, dum ait: Pro majoribus virtus ſacrificii; itaut ſenſus ſit iſte, ſicut peccatum originale modò deletur per baptiſma; tunc apud veteres per fidem parētum delebatur originale parvulorum; pro majoribus verò, ut peccatum idem originale deleretur, valebat virtus ſacrificii, abſtrahendo à peccatis actualibus, quibus ſi fortè innodatus exiſteret puer in majoribus annis, & jam factus adultus, ad ea delenda neceſſaria erat contritio; nam hic motus, ut ait Tridentinum, fuit omni tempore neceſſarius ad ſalutem.

30. Quintum, dum ait, Sacramentum non ſolvere fidem, ideſt vim, & efficaciam ab ea liberare, & adimere, niſi, dum poſſibile eſt Sacramentum fidei, benè meo judicio dicitur; Non tamen cogitandum eſt, ſanctificationem pueruli, ſicuti tunc, ſic nunc eſſe à virtute fidei, niſi miniſterialiter, quatenus Deus dignatus eſt per illam, ut remedium ſalutis concurrente Sacramenti impoſſibilitate puerulum à peccato originali ſolvere; & ſicuti Deus tunc in lege

lege vetere peccatum remittebat parvulorum per fidem parentum in mediatorem, ſic nunc non intelligitur ademptus omnis locus fidei, inſtituto baptiſmo, ſed ſolùm eſt ei ademptus locus poſſibili baptiſmo, & conſequenter non eſt ſoluta fides, quaſi amplius non valeat, ut prius apud populum priorem. Valuit enim etiam in lege Moſaica, & in illis, qui prodierunt ex Abraam, non obſtante circumciſionis inſtitutione, puta pro fœminis, pro quibus myſterium circumciſionis minimè erat, ut omnes norunt; ergo, non obſtante inſtitutione baptiſmi, ſi hoc intelligitur impoſſibile, adhuc valet baptiſmus, voto ſuſceptus, ut dictum eſt in ſuperioribus,

31. Sextum eſt, quod adnotare opus eſt, non ideò, quia puto non deeſſe ſalutis remedium pro noſtris parvulis, dicendum eſt aliud eſſe à baptiſmo excogitatum, ut dixit Bellarminus, medium pro ſalute. Non inquam hoc dico ego, ſed aſſeveranter teneo, baptiſmum conferri eo tunc, licet ſpiritualiter, & merito Chriſti Redemptoris in vi baptiſmi per voluntatem collati, Deum puerulum ſalvare poſſe fortaſſe in facto. Ea propter non ſalvaretur, niſi per baptiſmum, non quidem opere miniſtratum, ſed voto, flamine, volitiva applicatione, quibus poſitis, non abſurdè, ſalvo ſapientiorum judicio, dicitur, Deum ob Redemptorem puerulum ſalvare; at juxta dicta prop. iſta tunc, dum videt in utero perire, ſeù per abortum de vita decedere, quod ſeù intellexit Cajetanus, ſeù non; hic non curo ejus ſenſum inveſtigare, ſed pro veritate propugnanda, ut mos eſt in ſcholis, ita ſcribendum eſſe judicavi. Vide dictam propoſitionem per totam.

32. Si quis autem velit invertere rationem noſtram ſic (quod ex Sapientiſſimo Maignano videtur excipi poſſe) Deus neminem volens perire ob Chriſtum Salvatorem tenetur concedere media ſalutis omnibus, etiam noſtris parvulis, & conſequenter baptiſmum morituris in utero,

qui, ſi non conceditur ſaltem poteſtate, ſignum eſt, parentes eſſe in cauſa; nam ſi non eſſet parentibus imputabile, Deus teneretur vitam producere pueruli, ut baptiſmus ſaltem phyſicè applicari poſſit. Igitur non eſt recurrendum ad baptiſmum flaminis, voto parentis ſuſceptum; At, ne rem iſtam ex omni parte, qua controverti poteſt diſſimulare videar, ſic velitandam ſuſcepi.

33. Reſpondeo, vel loquimur de parentibus in culpa, quod non benè vixerint moraliter, vel, quod non vixerint temperatè quoad prolis feliciter producendam vitam. Si primum falſum eſt, Deum vitam producere eorum filiorum, qui de proborum virorum ſemine ſunt, ut baptismus applicari poſſit, nam, ut inquit D. Aug. relatus hac propoſitione num. 2. *quid etiam, quod aliquando parvulis infidelium filiis potuit ne irent in perditionem, & filiis fidelium non potuit baptiſmate ſubveniri? Ubi certè oſtenditur, quod perſonarum apud Deum non ſit acceptio; alioquin cultorum ſuorum potiùs, quam inimicorum filios liberaret*: Si ſecũdum ultra dicta eodem iſtius propoſitionis initio, vel loquimur de culpa propriè culpa, aut de culpa materiali, & phyſica; ſi de hac parùm refert, nam pertinet ad operationes cauſarum naturalium; Si de prima, de qua verè, & propriè dici poſſunt culpabiliter peccare parentes, vel loquimur de culpa mortali directè, vel de culpa in genere. Si de prima vix inveniuntur homines, qui velint proli nocere, nam ſic peccarent culpa mortali, quia ſcientes obeſſe generationi, prudenter, & probabiliter, atque volentes in cauſa cum poſſint nolle, certè ſunt in cauſa culpabili, ut puer aliquod patiatur damnum, & de his non loquor, cum habeamus apertam rationem cur eorum filii baptiſmate privantur. Vel de ſecunda, & de culpa quomodocumque, & ſic dico falſum eſſe omnes illas parentes, quarum filii baptiſmate privantur, quatenus baptiſmo eis ſuccurri non poteſt peccato, ſeù culpæ obnoxios eſſe. Ratio

eſt,

Digitized by Google

eſt quia tunc parentes culpæ ſunt, & eſſe poſſunt obnoxii quoad prolis excluſionem cum id faciunt, quod ex conſcientia, & exiſtimatione communi prudenti fieri non licet, nam omne, quod non eſt ex conſcientia peccatum eſt; ſed mulieres, quæ ita operantur quoad prolis felicem excluſionem, ſeù contineantur actiones in linea cibationis, poculentorum, eſculentorum, motus, aliorumve operum, ut conformiter ad commune vivendi exercitium, prudenter regulatum, habito reſpectu ad omnem hominum claſſem, operentur, licitè operantur; ergo, ſi abortus accidat non eſt eis imputandus in cauſa. v.g. Mulieres omnis generis, & fortunæ copia, & inopia, divites, & pauperes, & temperatè viventes, & intemperatè. & otio deditæ, & laboribus preſsæ indifferenter, & promiſcuè aboriuntur quandoque; ut plurimum, & ferè sẽper feliciter parturiunt. Item mulieres ſimili labore, ſimilibus motibus, ſimili cibatione, potatione, ſomno, otio, operatione, &c. ſimilibus operandi generibus tùm ſpecie, tùm modo nunquam, aut raró infelici exitu ad partum deveniunt; ergo aliqua in individuo mulier non operabitur illicitè, nec ſe exponit periculo, quoad prolem, dum conſcientia probabili, & probabiliſſima, & prudenter moraliter certa operatur.

34. Imò, ſi adoperandum in agibilibus humanis occurrit aſſumere opinionem probabiliorem in cõſpectu probabilis; certè quænam probabilior opinio ea, quæ, omnibus benè penſatis in hac vita comprobatur, qualis ea eſt, quàm de mulieribus uterum geſtantibus experimur. Si ergo probabiliorem ſequi opus eſt, jam eamdem ſequuntur mulieres gravidæ, quæ id faciunt, quod diuturna rerum obſervatione comprobarunt prudenter agi poſſe, imò debere, ut mox ſupra recenſui, & tamen abortus evenire paſſim creditur. Sed ex occaſione, & ad rem inſtituo incidenter propoſitionem de opinione in moralibus ſequenda.

DE OPINIONE IN MORALIBUS SEQUENDA.

35. SVmmatim hìc, ne falcem immittam in meſſem probabiliſtarum, contra quos eruditè noviſſimè ſcripſit noſter P. Palanco, & antea P. Maignanus in Phil. Sac. cap. 27. recenſebo aliqua ad propoſitum. Primò conſcientia tuta, ſeù tutior, atque ſecurior non intelligitur illa, quæ facit pro lege, aliter omnis probabilitas, & major ſalvaretur per hoc, quod ſit pro lege. Imò non dicitur ſecuro dictamine practico operari, qui contra opinionem probabiliorem pro libertate operatur, etſi agat in favorem legis, nam primò ſe exponit periculo erroris intellectualis. Secundò, licet non exponatur periculo peccati, quoad voluntatem, nam, ſi falſum eſſet id, quod agit, ad ſummum faceret id, quod non tenetur facere; tamen acceptat in regulam operandi, quod non licet acceptare; ergo.

36. Secundò tunc dicitur pars tutior, quæ eſt pro lege, quando ſumus in dubiis, aut utrinque probabilibus; cæterùm in probabilibus illa pars dicitur tutior, quæ eſt magis, magiſque probabilis; undè probabiliora ſunt tutiora, & minus probabilia ſunt minus tuta. Ratio eſt clara, nam loquimur de ſecuritate operantis, quæ eſt ſecuritas humana moralis. Qui ergo habet opinionem probabiliorem pro libertate, & minus probabilem pro lege, ſi adhærebit opinioni pro lege, illicitè operabitur, quia non licet acceptare in regulam morum illam opinionem, quæ magis adhæret falſo; ſed opinio probabilis in conſpectu probabilioris accedit magis ad falſum, quàm ad verum, ergo non licet, &c. & licet non ſe exponat periculo peccati, cum ſit pro lege; voluntariè attamen ſe exponit periculo erroris intellectualis, & non operatur ſecurè ſecuritate orta ex dictamine, & conſcientia; ſed ſecuritas, quæ eſt, naſcitur, quia eſt in favorem legis, & eſt veluti ſecuritas cæca. Illa ergo opi-

opinio dicitur ſecura, & acceptari poteſt in regulam morum, quæ eſt probabilior; cæteris itaque paribus, puta utrinque probabilibus opinionibus, dicitur pars tutior, quæ eſt pro lege; cæterùm probabilior eſt tutior, nam ſi quis, relicta probabiliori pro licentia, amplectitur minus probabilem pro lege, caſu accidere poteſt, quod verum dicat; ſi ergo falſum dicat, etſi non peccet, quia periculo peccandi non ſe expoſuit, tamen ſe expoſuit periculo erroris mentalis. Itidem, etſi verum dicat, non ex vi opinionis probabilis, nam obſtat contradictoria probabilior; ergo ſequens opinionem pro libertate probabiliorem, licitè operabitur, nec peccabit, ſi fortaſsè erit falſa; nam non erit falſa cum dubio falſitatis, imò oppoſita reputabatur falſa, quia minus probabilis. His poſitis.

37. Dico opinionem in moralibus ſequendam eſſe probabiliorem, & tutiorem (hæ voces quippè in unum conſociantur in probabilibus, ſeù in materia opinativa, & circa probabile, ut apud probabiliſtas, & Antiprobabiliſtas paſſim animadvertere occurrit) Rationes quiſque videre poterit apud Doctores probabiliſmum expugnantes, ſignanter apud noſtrum P. Palanco, quapropter abſtineo à probatione; ſolùm adnotare opus eſt, qualiter debet eſſe opinio probabilior.

38. Antequam id oſtendam, notandum eſt, quod jam dixi, me requirere cum ſanis Theologis majorem probabilitatem pro regula morum, ſcilicet, non eſſe licitum ſequi quodlibet probabile. In quo duplex eſſe poteſt ſenſus, primò, quod non liceat ſequi minus probabile; ſecundò, quod teneamur ſequi probabilius. Primum intelligitur contra libertatem ſequendi. Secundum intelligi poteſt, & pro libertate, & pro lege; pro lege certum eſt nos teneri ſequi opinionem probabiliorem, aut æquè probabilem ſua contradicente, quia hìc currit lex, in dubiis eligenda eſt pars tutior. Pro libertate autem non eſt licitum ſequi opinionem

Digitized by Google

nem minus probabilem; ex hoc autem inferri videtur: ergo non eſt licitum relinquere opinionem probabiliorem pro libertate, acceptando pro regula opinionem minus probabilem pro lege. At reſpondeo ex vi terminorum videtur ſequi; ſed ex vi doctrinæ, & intelligentiæ hujus materiæ termini ſunt explicandi; nam, dùm dicimus, non licere ſequi opinionem minùs probabilem, judicamus contra eos, qui licentiam aſſumunt operandi ſecundum quodvis probabile, ſeù magis, ſeù minus pro libertate, undè ſolùm ſequitur, non eſſe licitum pro libertate ſequi minus probabilia, & conſequenter eſſe licitum ſolum ſequi probabiliora, & teneri ſequi probabiliora pro libertate. Si autem variatur ſtatus quæſtionis conſequentia non tenet, nam aliud eſt loqui pro libertate, aliud pro lege. At in veritate dico, etiam unicè generaliter, ſcilicet, ſeù pro libertate, ſeù pro lege eſſe licitum ſequi probabiliora, quod etiam adnotatum video à P. Palanco pag. 327. & 328. explico me, licet eligens pro lege minus probabilem, relicta probabiliori pro libertate, non ſe exponat periculo peccandi; attamen imprudenter agit, nam, ut dicebam num. 36. ſe exponit periculo erroris intellectualis, & judicat ſecundum ea, quæ ut ſuppono apparent minus vera; ſicque peccat, ſaltem venialiter; nam hoc modo prætextu, quod ſit in favorem legis non ſolùm acceptare poteſt minus probabilem, ſed etiam improbabilem; ergo non ſolùm pro libertate, ſeù de obligatione debemus ſequi probabiliora contra probabiliſtas; ſed etiam pro lege debemus ſequi probabiliora. Verum tamen puto, non peccare mortaliter, qui pro lege ſequeretur minus probabile; non enim ſe exponeret peccandi periculo. Hinc concludo, licitum eſſe, ſequi probabiliora non minus probabilia, dum agitur pro libertate. Dum autem agitur pro lege non teneri ſequi probabiliora, ſaltem pro periculi peccati mortalis evitatione; licet, ſi velimus ſequi probabiliorem pro libertate, relicta minus probabili

babili pro lege licitum erit. Vnico verbo. Tenemur ergo amplexari pro libertate probabiliorem ad excludendam licentiam amplexandi minus probabilem; prudenter verò agentes abſque hoc ſolo reſpectu etiam tenemur probabiliorem acceptare, ſive ſit pro lege, ſive pro libertate, ut dictum eſt ſupra.

39. Nunc dico qualiter opinio debeat eſſe probabilior, ut eam eligere ad operandum operanti liceat. Primò debet eſſe probabilior operanti, nec ſufficit, quod aliis ſic fuerit, nam non eſt vivendum ex alieno probabili, niſi tanta ſit aliorum authoritas, ut, quod eſt illis probabile, ſit quoque operanti probabile. Secundò debet eſſe probabilior exceſſu perceptibili, nam Doctores etiam moderni requirunt certitudinem moralem. Navarrus de pœnit. in cap. ſi quis dis. 7. num. 59. *Non licet agere partem, quæ magis exiſtimetur vera, quando formidamus, ne alia quoque pars vera ſit, ſed oportet certò credere; id licere, quo à peccato excuſemur, &c.* Cajetanus in ſumma verb. opinionis uſus, ſic ait. *In operandis, niſi tutiorem partem eligendo, non licet opinionem cujusque aſſumere in regulam operis, quia eo ipſo, quod operatio committitur opinioni, committitur regulæ ambiguæ, quia opinio omnis ambigua eſt, utpotè cum formidine alterius partis.* Hæc autem certitudo moralis confunditur cum majori probabilitate per exceſſum notabilem in opinione pro licito; nam Doctores, qui ſimili formula loquuntur, non verba faciunt de certitudine methaphyſica, phyſica, ſed de certitudine, quæ vocatur moralis, quaſi civilis, humana; ergo confunditur cum exceſſu quodam cognito probabilitatis.

40. Licet autem non obſtante exceſſu probabilitatis de licito, adhùc maneat probabile de illicito, tamen non niſi in intellectu aliorum, non autem operantis; aut in vulgari acceptione, ſed operanti implicat, quod abſolutè ſit probabile utrumque extremum contradictionis; ſolùm ei

po-

Digitized by Google

poteſt eſſe probabile ſecundum quid; & potiùs dici poteſt tenue probabile in conſpectu probabilioris cum dicto probabilitatis exceſſu; etſi enim in obſcuris nulla ſit proindè certitudo, exiſtimanda tamen eſt certitudo major probabilitas; ergo in conſpectu opinionis probabilioris, probabiliſſimæ; minus probabilis reputanda eſt pro tenui,& potiùs per modum ſcrupuli.

41. Ut ad propoſitum autem redeam, à quo paulisper diſceſſi, ſi diſceſſiſſe ſim dicendus; quo pacto dici poteſt parentes eſſe in culpa, ut filiis baptismus applicare nequeat, non apparet. Dictum eſt ad cautelam, conſcientiam debere formari ex judicio practico probabiliori, quatenus tuta eſt ſic conſcientia, atque ſecura regula quoad mores. Item probabilins, quod dicitur debet eſſe tale operanti. Sed mulieres quoad prolem producendam, ſeù, quod idem eſt, protrahendam probabiliori opinione viventes, imò probabiliori ſibi ipſis adhùc prolis detrimentum patiuntur quoad impoſſibilitandum baptismum; ergo. Probatur minor, etenim de quocumque mulierum ſtatu, quãdoque aliquas abortiri accidit, ut experimentis notum eſt; item duarum v.g. mulierum, viventium probabiliſſima conſcientia, quoad ea facienda, aut removenda, quæ poſſunt puerulo obſtare, easdemque exercentium operationes, una aboritur, alia minimè; ergo non poteſt earum una eſſe cauſa culpabilis abortus, nam, ſi agit ea, quæ agere licuet, teneturque pro ſuo illo gravidantiæ ſtatu ſecundùm probabiliora vivendi quoad prolem; quomodo dici poteſt eſſe cauſa culpabilis. Agere autem, &c. non eſt dubium, cum id ſupponatur agere, quod cæteræ mulieres, uterum geſtantes in hoc orbe facere ſolent, quarum quandoque una, aut altera abortus patitur; quapropter non eſt refundendum ad ea, quæ agunt, nam ſic nulla feliciter pareret. Quod ergo aliquæ, aut aliquibus vicibus infelici exitu ad partum ducantur non eſt illis imputandum, niſi

ea

Digitized by Google

ea faciant, quæ prudenter maritali conjugio deſponſatæ mulieres minimè faciunt, nam ſic non operarentur ex conſcientia bona, tuta, &c. Adde eamdem mulierem, ſimilia agentem ſuæ vitæ decurſu diſſimiliter ad partum deduci; quandoque feliciter, quandoque infeliciter; & nulla adverti poteſt ab ea cauſa, quam debuiſſet, & potuiſſet vitare. Nam, ſi vitandam cognoviſſet, & vitare neglexiſſet, jam concedo abortum eſſe culpabilem; hoc autem ſecluſo nulli mulieri imputandi ſunt abortus quicumque ſequantur, nam ad conſcientiam tutam omnes ſciunt, non requiri certitudinem phyſicam, aut methaphyſicam, ſed moralem probabilitatis firmæ; ergo, hac ſtante, nemo poteſt eſſe in culpa, etſi falſum incurratur; nam non incurritur per media ad falſum propinqua; cum fuerit, ut ſuppono aſſumpta probabilior via ab experientia tot partuum diverſarum mulierum innumeris vicibus omnium ſtatuum, ut ſupradicebam; Imò videtur non ſolùm operari conſcientia probabiliori, ſed utcumque phyſicè certa, & evidenti ab experientia, & poſt facto.

42. Ab adverſariis potiùs deberet oſtendi mulieres omnes abortum paſſas non fuiſſe directas conſcientia tuta, & probabili, quod nunquam oſtendent; & videretur ſequi, mulieres aborientes teneri ſe accuſare in Sacramẽto pœnitentiæ de culpa, quam nunquam agnoverunt, præcisè ex eo quod abortum paſſæ ſint. Non nego tamen teneri, ſi verè cauſam dederint abortui probabilem, nam, qui quærit periculum peribit in illo. V. g. ſi mulier prægnans ſaltibus, & choreis ſe committet, certè ſe periculo exponit; &, qui peccandi periculo ſe exponit à culpa non excuſatur, ſed non ita eſt in omnibus, abortum patientibus; imò quandoque hoc non accidit cauſam aliquam dantibus ad oculum; accidit verò nullam animadverſione dignam occaſionem præbentibus.

Ex parte virorum nulla ſupereſt difficultas; nam injecto

ſemine ab iſtis tota rei perficiendæ ſumma fœminis committitur.

43. Neque dicas ob propria peccata viros ſe debilitaſſe; nam primò, ſi id ſupponatur, quod non benè vixerint, nec temperatè quantum attinet ad procreandos filios, ego concedo totum; at deberet in primis ſupponi ejus filios nunquam abſolvi; Sicque poſſet dici cauſa immaturæ mortis prolis; hoc autem improbabile eſt; ergo, &c. Item deberet oſtendi omnes homines ſimili intemperantia culpabiles filios genuiſſe, qui ad baptiſmum perduci nõ potuerint. Imò experientia conſtare poteſt aliquẽ virum, qui nunquam inquinatus fuit quoad corpus culpabiliter, & tamen ejus filius ad baptiſmum non pervenit, nec ad vitam in partu. Quid dicemus de iſto? Recurrimus forſan ad matris culpam? Sed iſtud neque ex ſupradictis univerſaliter dici poteſt.

44. Dices: Licet univerſaliter dici nequeat, tamen in caſu dicto, quo vir non peccavit, dicendum eſt peccaſſe matrem; ſed contra, nam ubi conſtat peccaſſe matrem; niſi quia non peccavit vir, ut ſupponitur; ergo petitur principium, nam ideò peccaſſe matrem dicitur, quia prætenditur parentes peccare, dum baptiſmus nequit applicari; & hoc probatur, quia baptiſmus nequit in caſu poſito applicari; ergo petitur principium, & idem probatur per ſeipſum. Siquis enim probaret, Petrum eſſe Patrem Antonii, quia Antonius eſt filius Petri, peteret principium, & circulum vitioſum communiter committeret; ergo, qui dicit, matrem peccaſſe, dum filius vivus in lucem non prodit, ex eo quia filii, qui non baptizantur, aut baptizari nequeunt, provenit ex culpa parentum, probat idem per idem. Et, ut totum paucis perſtringam, dico ſic: Deus abſoluta voluntate efficaci ex parte ſua, conditionata ex parte objecti, vult ſalutem omnium, etiam infantium, & pro ſingulis generum, ut noviſſimè clariùs decreverunt ſummi Pontifices

fices

Digitized by Google

fices Inn. X. & Alex. VII. filioſque commiſit curæ parentum; hos, ut viſum eſt probabiliori via viventes, non poſſe eſſe cauſam culpabilem mortis infantium; atqui abortus contingunt mulieribus cujuſcumque conditionis indifferenter, & ſub eadem vivendi methodo; ergo, qui dicit, quod, ſi parentes non peccaſſent, puer baptizari poſſet, probat idem per ſeipſum: Dicit enim, parentes peccaſſe, quia puer baptizari nequit, at de hoc eſt quæſtio, nam ego dico, puerum non poſſe baptizari abſque defectu culpabili parentum; adverſarius autem dicit eſſe defectum, quia filius baptizari non poteſt, & hunc non poſſe baptizari, quia culpabiliter operati ſunt parentes. Ecce circulus vitioſus.

45. Neque dici poteſt, aliundè ſupponi probatum adeſſe culpam parentum, ſeù conjunctim, ſeù diviſim; id enim vellem mihi demonſtratum. Et ſi concedam eos, qui occaſionem voluntariè præbent immaturæ morti puerulorum, voluntariè prohibere baptismum; Attamen è converſo negatur, quod eis, quibus prohibetur, & impoſſibilitatur, voluntate præſuppoſita culpabili parentum, id eveniat. Quomodò enim probatur; dictum quippè irrationabile eſt, in quo elucet eo magis falſitas, quia abortus accidere poteſt aliis de cauſis, quibus nullam occaſionem parens neque directè, neque indirectè & in cauſa præbuerit. V.g. ut alia exempla relinquam; ſi prægnans mulier comedat cibum aliquem quem invincibiliter ignorat nocere proli; tunc non poteſt dici mulierem eſſe cauſam culpabilem nocumenti. Accidat ergo abortus, dicetur forſan ex eo quia abortus evenit, culpam eſſe, vel fuiſſe parentis? Minimè; Igitur evidens eſt, falſiſſimam eſſe illam propoſitionem: Si parens culpæ non eſſet obnoxius, abortus non fuiſſet. Deum autem non facere miracula, ſcilicet, impedire actionem agentis, mortem illaturi puerulo inculpabiliter ex parte parentum, patere poteſt ex caſu dicto, quo

aliqua mulier gravida cibum comederet, invincibiliter ignoratum, mortem allaturum parvulo, qui caſus fortaſsè accidit in mundo, & in dies contingere poteſt.

46. Si quis iterum inſtet perſiſtens in hypotheſi, expreſſa num. 32. non omnes partus felices eſſe miracula Dei, ſed ſolùm illos, quibus adeſſet cauſa inferendi mortem intempeſtivam, nulla parentum intercedente culpa. Reſpondeo primò. Si adverſarius cognoſcit duo genera partuum felicium; unum ex natura felix; aliud miraculosè. Cur non cognoſcit duo genera abortuum, quorum aliqui ex natura eveniunt, citra omnem culpam, alii culpabiliter parentum defectu culpabili. Secundò. Si quædam mulier cibaria læthaliter periculoſa, invincibili ignorantia ignorata, comederet, fœtus periret ne? Quomodò ſcitur? Ab experimento ſciri poſſet, quod è vivis periret, antequam baptiſmo ſuccurri poſſit. Tertiò abortus in hoc orbe ſequuntur, ſive fuerit à parentibus occaſio culpabiliter data, ſive non; & ſicuti naturaliter ſequuntur, occaſione præſtita, ſic minimè data cauſa. Neque non ſequi cauſa nō exhibita benè dicitur ex voluntate generali Dei ſalvandi omnes; nam priùs oſtendi deberet quid requiratur ad auferendam omnem cauſam, & quod omnes mulieres, quæ aboriuntur cauſam dederint. Conſequentia enim ſequitur ex majori, & minori, undè, licet conſtet de majori, ſcilicet Deum velle, omnes ſalvos fieri per media, non conſtat tamen de minori, ſcilicet, quod mulieres aborientes ſint in cauſa; Cum è contra conſtet, plures eſſe verè in facto aborientes abſque culpa, ut exemplo ignorantis invincibiliter. Etſi enim verum ſit, omnem hominem eſſe animal rationale, non licet autem inferre, Petrum eſſe animal rationale, niſi priùs probetur, Petrum eſſe hominem; Sic à pari, licet verum ſit, Deum velle omnes infantes ſalvari per lavacrum baptiſmi, niſi deſit voluntas parentum, non benè infertur pro hoc individuo deeſſe vo-

lun-

luntatem parentum, quia mater aborta eſt, niſi priùs probetur, matrem, v.g. voluntariè in cauſa abortam eſſe. Tunc argumentum procederet, quando eſſet vera hæc propoſitio: Deus tenet in hac vita omnes illos pueros, nec permittit eorum matres aboriri, dum earum deeſt culpa; hæc mater aboritur; ergo ejus fuit culpa. At illa major non eſt certa, eſtque propoſitio irrationabilis, nulli rationi nixa, nec eſt fundamentum diſcurrendi, imò potiùs eſt conſequentia adverſariorum, puta, ex eo quod Deus vult omnium infantium ſalutem ex parte ſua, inferunt; ergo, ut dicit illa major. Ego verò aſſero malè conſequentiam duci, ſed debere addi hanc minorem: Sed mulieres, dum aboriuntur, impoſſibilitatur ſalus puerulis propria culpa, quatenus impoſſibilitatur baptiſmus; ergo Deus quantum eſt ex parte ſua non deeſt ſaluti illorum, & conſequenter nō permittit earum filios in utero mori, dum earum deeſt culpa. Ubi vides in hoc ſyllogiſmo negandam eſſe minorem, & conſequentiam. Niſi ergo conſtet de veritate minoris non poteſt inferri; ergo Deus non permitti t, puerulos in utero decedere, parentum culpa non interveniente.

47. Dices: Conſequentia dicta pendet ex illo principio, ut minori, ſubintellecta alia propoſitione, ut majori, videlicet, quod pendet à duobus, non deficiente uno, ſi deficit aliud, res non habetur; ſed ſalus puerúli eſt volita à Deo per baptiſmum, quantum eſt ex parte ſua; ergo, ſi non accidit eſt defectus alienæ voluntatis; ergo v. g. matris; Sed mater non aliter deeſt ſaluti ſui filii, niſi quantum eſt cauſa intempeſtivæ mortis ejuſdem; ergo optimè infertur illa conſequentia, imò minor primi ſyllogiſmi: ſed mulieres abortientes, &c. dum impoſſibilitatur baptiſmus, ſunt ipſæ in culpa.

48. Reſpondeo, illam ſubintellectam majorem, & minorem duplicem habere ſenſum, de voluntate ſimpliciter permiſſiva, & de voluntate poſitiva. Sicque, ſi Deus

non

non habet voluntatem poſitivam de perditione pueruli, & conſequenter, ſi habet ſimplicem permiſſionem, non ſequitur culpam eſſe parentum, ſi impoſſibilitatur baptiſmus, nam cum illa voluntate permiſſiva ſtare poteſt abortus, & culpabilis, & inculpabilis.

49. Quod, ſi dicas cum abortu inculpabili non ſtare voluntatem ſolùm permiſſivam, ſed poſitivam; nam etiam ego ſupra probavi, Deum teneri removere impedimenta, ut non prohibeatur infans quoad baptiſmi ſuſceptionem, ſaltem quoad poſſibilitatem; ergo non ſolum Deus permittet, ſed poſitivè vellet mulieris abortum, ſi nulla mulieris culpa præceſſit, quatenus culpa non interveniente, teneretur removere cauſas, necem puerulo immaturam inferentes. Sed

50. Reſpondeo, me ſupra ſuo loco tunc probaſſe, neceſſitatem baptiſmatis pro parvulis non eſſe ſemper intelligendam in opere; ſed quibuſdam caſibus, quibus nempè moriuntur infantes in utero matrum, & impoſſibilis baptiſmus, ſufficere baptiſmum, in voto parentis ſuſceptum, ut explicatum eſt, & infra meliùs explicabitur ſolutione objectionum. Ad hoc autem demonſtrandum dicebam aliter Deum teneri impedire cauſas naturales, puerulum occidentes, in quo dicto ſupponitur, & involvitur, nullam eſſe cauſam ex parte parentum volitam in tanto abortuum numero; & ideò dicebam, Deum teneri (cum nulla ſit natorum culpa, seù filiorum; nulla matrum, ſaltem, ut plurimùm) removere omnes cauſas periculi, &c. ad hoc, ut poſſit applicari baptiſmus. At adverſarii, contra quos nunc ago, ſupponunt ſemper eſſe culpabiles parentes in omnibus infelicibus abortibus; & id ego nego, & quia, ut falſum ſuppoſui, probavi, Deum teneri removere illa impedimenta naturalia, ex ſerie cauſarum naturalium emergentia abſque culpa aliqua. Adverſariorum autem ſuppoſitio eſt gratuita cum petitione principii, nam volẽtes baptiſ-

ptiſmum eſſe neceſſarium in facto ſemper, nulla habita exceptione; Dum devenitur ad difficultatem infantium, morientium in utero matris,ne dicant, quidem deficere Deum ex parte ſua, coguntur aſſerere eſſe culpam parentum, & hanc cognoſcunt ex abortu, & abortum judicant ex culpa. Item Deum non deficere in caſu, arguunt ex culpa parentum cognita per abortum, & culpam parentum, & abortum arguunt eo, quia Deus non deeſt ex parte ſua; ſeù clariùs dicunt in caſibus à nobis recenſitis, baptiſmum non poſſe applicari parentum culpa; & culpam eſſe parentum cognoſcunt, quia baptiſmus non poteſt applicari; nam, ſi applicari poſſet non ſupponerentur culpa parentum; ergo, ſi applicari non poteſt, arguitur, quod ſit culpa parentum; ergo, quod non poſſit applicari arguit culpam parentis, & culpa parentis arguit non poſſe applicari. Ultra ergo progrediuntur,quam ipſi animadvertant, nam abortum, qui ſequi poteſt culpabiliter, & inculpabiliter refundunt in ſolam cauſam culpabilem, aſtricti ad hoc dicendum non alia de cauſa, niſi quia baptiſmus non eſt applicabilis in caſu; & immatura mors infantis, nempè in utero, quæ oriri poteſt innumeris cauſis purè phyſicis in facto negatur neceſſitate ſententiæ.Hùc ergo recurrunt argumenta, quibus probavimus non provenire univerſaliter ex culpa abortus omnes,quos experientia quotidiana oſtendit, & contrarium aſſerere oritur, ut dicitur Italicè *per impegno di ſentenza*, & anticipatò, quod non licet.

COROLLARIUM.

51. EX dictis hactenus colligitur mulierem aliquid agentem in opinione probabili non allaturum mortem puerulo in utero, exiſtente in contrarium opinione æquè probabili, quod fuerit in periculum

pro-

prolis, imprudenter agere, & ſe exponere periculo infelicis abortus, nam in dubiis, & utrinque probabilibus tutior pars eligenda eſt. Si autem agat ſecundum opinionem probabiliorem pro libertate, contradicente minus probabili, cognita, ut tali pro obligatione, tunc prudenter operabitur, etſi accidat contrarium. V. g. diuturna rerum obſervatione mulieres gravidas, etſi linteis. V. g. eluendis, & abſtergẽdis deditas pro ſuo ſtatu vivendi, nũquam paſſas eſſe ſuæ proli nocumentum. Si Titia ſimili operatione, & ſimilibus moribus delectabitur, opinionem ſequetur probabiliorem, imò certam moraliter, licet aliqua ex dicto genere mulierum fuerit aborta.

52. Non nego tamen eſſe ſuum defectum, ſi patietur detrimentum, at inculpabilem, & illum aſſignat ſapientiſſimus Maignanus pro cauſa feſtinatæ mortis puerulorum in uteris matrum, quas ſæpè contingere, quis eſt, qui neſcit? Malè tamen putat aliquis ex ipſo potuiſſe noſtram rationẽ, ut ſupra dicebam invertere; nam Doctor eximius Maignan potiùs noſtram roborat ſententiam; Cum enim inquit, Deum aut prorogare vitam pueruli, aut aliter providere, ut baptiſmus phyſicè applicari poſſit, caſu quo non ſit defectus hominis in cauſando mortem puero in utero matris, jam aſtruit, baptismum non eſſe medium utile infantibus, intra viſcera materna morientibus, & cõſequenter invenienda eſt via ad conciliandam Dei voluntatem circa eorum ſalutem per medium baptiſmi, inſtitutum à Deo Salvatore noſtro cum ipſa baptismi inapplicabilitate in caſu expreſſo. Hujus autem conciliationis gratia putat teneri, Deum prorogare vitam parvuli. En quomodo non ſufficit, inſtituiſſe lavacrum baptiſmi ex ejus ſenſu, quod intendo; Ego autem ulteriùs prætendo ſufficere lavacrum, voto ſuſceptum, quatenus impedimenta naturalia vitæ puerulorum dictorum nõ auferuntur à Deo, qui teneretur auferre, ſi lavacrum baptiſmi eſt neceſſarium

ab-

abſolutè. Maignanus autem ſupponit, non indige re nos lavacro, voto ſuſcepto (dixi ſupponit, non enim facit verbum ullum) cum dicat, putans abundè dicere; ideò non poſſe conferri baptiſmum fluminis noſtris parvulis in utero morientibus, ob defectum parentum, ſeù culpabilem, ſeù inculpabilem, quod etſi falſum reputetur à me; tamen ideò à tanto Doctore dictum cenſeo, quia voluit ſubſtinere ſententiam de neceſſitate lavacri, &c. Quod autem pro me facit iſtud eſt, ſcilicet judicat Doctor Maignan hìc ſua 1.par.phil. ſac. non poſſe generalem illam Dei voluntatem ſalvãdi omnes,& inſtitutionem baptiſmi utilem dici pro omnibus in caſu mortis puerulorum in utero; quo argumento, ego concluſum habui, inſtitutionem baptiſmi utilem eſſe ad delendum originale,dum explicui intelligendam eſſe pro baptiſmo, ſeù opere, ſeù voto ſuſcepto in caſibus expreſſis.

53. Addo attamen eadem ratione premi eos, qui in hac materia confugiunt ad cauſas naturales, quam eos, qui recurrunt ad defectum parentum inculpabilem, quod ultimum eſt aſſertum Maignani, ſaltem paſſim; & ideò dixi num.32. ſententiam recurrentem ad defectum culpabilem videri excipi poſſe ex Maignano, verè autem in Maignano apertè non continetur. Eadem quippè ratione premi, nam, ſi non ſalvatur utilis inſtitutio baptiſmi pro parvulis noſtris,occurrente objectione iſtorum confugiendo ad cauſas naturales, quæ necem intulerunt;neque ſalvatur, & ſubſiſtit recurrendo ad defectum. Etenim primò dicitur aliquod incredibile. Secundò defectus inculpabiles reputantur pro non defectibus, & ac ſi eſſent puræ naturæ defectus; Sicuti ergo Deus tenetur removere impedimenta naturalia, prohibentia baptiſmum, aliter Deus nollet ſalutem illius pueruli, & inſtitutio baptiſmi eſſet inutilis pro illo; Ita quoque tenetur removere eadem impedimenta, licet cum defectu voluntatis.

54. Demùm ſpectata Dei bonitate, Chriſti redemptione, baptiſmi inſtitutione, & omnibus benè perpenſis circa generalem Dei prædeſtinationem, difficultas non ſolvitur; nam cur peribit infans ille, cui baptiſmus applicari non poteſt in utero, in quo ex hypotheſi vitam claudit, ſi nec peccavit ipſe, quo peccato originali mundaretur, nec parentes ſunt in culpa, ut ſupponitur? Certè ex hoc optimè videretur Dei eſſe nō miſerentis, nec miſereri volentis, quod ille baptiſmo fraudetur, & per conſequens inſtitutionem baptiſmi non fuiſſe ſignanter, nempè pro omnibus illis, qui morientes materna intra clauſtra, Dei gratia per non baptiſmum privantur. Quid profectò refert, defectum præfuiſſe, aut non, ſi non eſt culpabilis? Semper viget argumentum illud, Deum nempè teneri omnes illas immaturas mortes differre, & quærere media extraordinaria ob finem ſalutis, ſincerè volitum.

55. Confirmatur idipſum, nam quis audebit aſſerere, homines in hoc mundo eſſe poſitos, uti ſtipites, niſi amens; ergo operantur ex directione cognitionis quoad omnia, ſi operantur humano more, & modo; ſed eſt impoſſibile ſcire omnes cauſas, omnes diſpoſitiones ſecundum omnes circumſtantias, quæ poſſunt nocumentum afferre proli; ergo Deus non poteſt attendere ad iſtos defectus; ſtante ſincera voluntate de ſalute infantium. Item quidquid operentur, ſeù quoad pocnlenta, ſeù eſculenta, & univerſaliter, dummodo non appareat prudenter periculum, non eſt eis imputandum quoad prolem, ſi proli noceat; nec id eſt à Deo miſerente, ut de fide ſupponitur, attendendum, aliter nihil agere poſſent perciti metu Deum attendere eorum involuntarios, & inculpabiles defectus quoad ſalutem filiorum. Quid dicendum erit de eo, qui omne ſtudium adhibet ad removendum periculum, quod non fugitur. Eſt ergo contra Dei voluntatem illam ab Apoſtolo promulgatam benignam ſalutis pro

omni-

omnibus,& ſingulis hominibus, ſeù adultis, ſeù parvulis iſtorum theologorum via, cum objectionem non ſolvat.

56. Objicies; culpam requiri in defectu, ut teneatur conteri, & dolere de nocumento illato puerulo, non autem, ut ſalvis ſalvandis, puer ſubiici non poſſit baptiſmo. Reſpondeo, Deum ſincerè volentem aliquem finem per unicum medium teneri illud unicum medium conſtituere in actu veræ poſſibilitatis, ſi nulla hominis intercedit culpa; nam hæc ſola eſſe poteſt obex conſequendæ ſaluti; ergo, ſi baptiſmus eſt unicum medium ſalutis pro infantulis, iſtud curare debet divina benignitas, de qua jam conſtat, ut applicari poſſit, ſi nullus ex parte voluntatis creatæ, puta parentum, vel alterutrius adeſt culpæ obex; ergo quoad utrumque requiritur culpabilis, & vituperatione dignus defectus. Certè vellem ſcire ab adverſariis an adulti conſcientia invincibiliter erronea operantes peccent formaliter, & propriè, & Deus negat iſtis ſuam gratiam operando ex tali conſcientia. Nemo affirmativè reſpondebit; ergo, cur pro ſalute parvulorum aliter Deus ſegeret, cum non ſic ſe gerat pro adultorum ſalute. Primum clarum eſt ex D. Thoma de conſci: quæſt. 19. art. 6. in corpore: *Si autem ſit error, qui cauſat involuntarium, proveniens ex ignorantia alicujus circumſtantiæ abſque omni negligentia, tunc talis error rationis, vel conſcientiæ excuſat, ut voluntas concordans rationi erranti non ſit mala.* Et exemplum ponit in caſu, quo quis credat, aliquam mulierem ſubmiſſam eſſe ſuam uxorem, & ea petente debitum, velit eam agnoſcere, excuſatur voluntas ejus, ut non ſit mala. Secundum, quod dicebam infertur clarè ex eo; Si quippè adultus propriæ ſaluti non præjudicat invincibili ignorantia errans, ut in exemplo allato à D. Thoma; cur dicetur præjudicare ſaluti ſui filii? Reſtat igitur aſſerendum, baptiſmum eſſe utile medium, adhuc pro infantulis in caſu, hactenùs expreſſo eo modò, quo in ſuperioribus dictum eſt, & inferiùs objectionum facillima ſolutione liquidò conſtabit.

Digitized by Google

QVÆSITVM.

57. QVæres hìc curioſus, an peccet uterum geſtans aquam promptè penès ſe non habens, & mulier, quæ in deſertum perrexit, ubi filius naſcens defectu aquæ non poterit baptizari, quod eſt exemplum allatum à Maignano, dum dicit, voluntatem parentum ſemper præſupponi, licet inculpabilem, qua baptiſmus prohibetur, &c. Reſpondeo ego non obligari eſſe ſollicitam de aquæ copia niſi, dum ei prudenter occurrit dubium de partu; Si autem nulla occurrit prudens notitia de imminenti partu, non tenetur; neque accuſari poteſt de negligentia, nam ſecundum experientiam, quam habet de tot tantiſque uterum geſtantibus, & forſitàn etiam de ſeipſa, nulla conſcientia ad rectè operandum eſſe modo dicto ſollicitam, tenetur. Sic ſimiliter de abeunte deſertum: Si profectò tempore, quo poteſt probabiliter ibi partus doloribus angi, aut ratione temporis, à natura præfiniti, aut alia de cauſa, benè cognita, & quæ debuerit, atque potuerit cognoſci, illùc pergit, illi eſt imputanda perditio pueri, dum defectu aquæ in deſerto baptizari parvulus nequit; Et univerſaliter, dum dico, defectum debere eſſe culpabilem, quiſque in individuis caſibus poteſt reſpondere quæſito; Et hæc ſat ſint, quæ feſtinanter ſcripſi.

58. Ad principale rediens, non benè putat docere quis ſententiam, licet difficultatibus ſcatentem, prætextu quod ſit communis: Pejus agit ſi noſtrum judicium reprobat eodem motivo, quod communi non ſubſcribit. Circa hoc duo dico. Primum ex Navarro in manuali cap. 27. num. 289. ubi ſic ait: Non videtur una opinio appellanda communis ad effectum præjudicandi alteri eo ſolo, quod plures eam ſequantur, tanquam oves, aliæ alias, &c. communiorem enim ad hoc exiſtimarem illam, quam ſex, vel ſeptem

autho-

authores claſſici, rem ex profeſſo tractantes aſſererent, quam probatam à quinquaginta, ſola ferè authoritate priorum ductis. Opinio enim communis non ex numero opinantium, ſed ex pondere authoritatis fit, & citat Ale: Ludo: Gomez, quin, ſubdit, & arbitror utramque ad hoc poſſe dici communem, quando utraque habet octo, vel decem aſſertores graves, & cum judicio eam deligentes; quo fit, ut non ſit multum laudanda diligentia quorundam recentiorum inquirentium, utram teneant plures.... Alterum eſt, ſtante hac Navarri adnotatione, contraria opinio non debet dici communis ex multitudine præcisè ſpectata Doctorum ſequentium. Noſtra autem potiùs deberet dici æquè communis, nam ſpectatis rationibus, & utrinque perpenſis difficultatibus, non eſt, cur adverſariorum opinioni ſubſcribam; præſertim, cum id quoque aſſerat, quod à me fuſiùs pertractatur Eminentiſſimus Cardinalis Cajetanus locis ſupracitatis, Julius Syrenius Brixianus opere de Prædeſt. utcumque eam tetigit. Itidem non diſplicet Burgaſio de irregul. item pag. *166*. num. *16*. Sanctis Patribus non refragatur, ut infra patebit evolvendo Auguſtinum, ex quo non videtur expreſſum contrarium, ſaltem, quod ſciam. Adde ex regula Navarri loco citato num. *286*. quando opinio pluribus fundamentis nititur quamvis ſatis apte diſſolvi queant, eligenda eſt, nam ait cæteris paribus, funiculus duplex, aut triplex difficilius rumpitur; ergo cum noſtra plures habeat rationes, quibus aptè reſponderi nequit; contraria verò ſalvis ſalvandis aptè diſſolvitur, eo magis quia cætera non ſunt paria, nam pro ipſa plures non ſunt rationes, & plura fundamenta; niſi velis numerum Doctorum pro fundamento aſſignare, quod Navarro non placet, ut retuli ſequitur, &c. Ratio autẽ adverſariorũ una eſt, & communis cõmunitate ſequelæ, ut apud Authores quiſque advertere poteſt; neque dici poteſt unã eſſe, & certam, nam, ſi hoc eſſet, deberet oſtendi fons certitudinis, ad

minùs

minùs à poſteriori: hìc autem non eſt S. Scriptura, ex hac enim ſolùm pro certo habetur juxta illud Joannis tertio: neminem ſalvari poſſe ſine baptiſmo, non contempto juxta D. Auguſtinum, ſupra in præcedentibus relatum; exiſtente, nimirum poſſibili, nam exiſtente impoſſibili, inculpabiliter, votum reputatur pro opere, docet Magiſter Sententiarum lib. 4. diſt. 17. & adulti per actum contritionis perfectæ ſalvari poſſunt ſine ſuſcepto baptiſmate, ut eſt omnium concors ſententia. Certitudo ſola hæc eſt, videlicet baptizatos ſalvari poſſe, & poſito baptiſmo tunc adeſſe ſalutem: Non baptizatos autem, ſecluſo contemptu, & ſecluſa culpa, non ſalvari, nec ſalvari poſſe, non eſt certum, imò in adultis falſum, nam ſalvari poſſunt per actum dilectionis Dei ſuper omnia, &c. Non eſt unanimis Patrum conſenſus, imò plura adduxi teſtimonia ad rem meā ex Proſpero diſcipulo D. Auguſtini, de cujus mente infra. Non eſt Conciliorum ſanctio aliqua; quæ ſi eſſet, calamum cohibuiſſem; cohibuiſſet quoque doctiſſimus Cardinalis Cajetanus, Julius Syrenius Ordinis D. Hieronymi, qui ſcripſit anno 1580. & ſuum opus conſecravit Summo Pontifici felicis mem. Gregorio XIII. ut memini, ni fallor, me legiſſe. Non eſt vulgaris ſenſus, nam vulgus attendere ſolùm debet ad ea, quæ pro certis habentur in ordine ad articulos fidei. V. g. vulgus credere debet in hoſtia conſecrata non eſſe panem; Sapientibus verò committitur inveſtigare quid ſint ea, quæ ad ſenſum apparent. Vulgus tenetur ſcire, Deum eſſe trinum in perſonis, & unum in eſſentia; Solis Theologis tamen conceditur perſcrutari myſterium iſtud. Sic vulgus, edoctus eſt circa ea, quæ ſuū ſtatum concernunt; Populis quippè licet ea ſola communicare, quæ certa ſunt. Hinc, cum certum ſit baptizatos non poſſe perire, ſi ſtatim, nempè ante uſum rationis decedant; Solùm iſtud ſciunt, & hoc ſufficienter didicerunt. An autem in caſibus expreſſis poſſibile ſit ſalvari, relin-

qui-

Digitized by Google

quitur Theologis, ſapientioribusque examinandum; Non ergo populares eſſe de hoc inſcios, arguit noſtram ſententiam eſſe falſam, aliter ſapientibus, & inſipientibus idem eſſet in ſciendo profectus. Cum ergo aliquis infans ſine baptiſmo moritur, vulgus, & homines rudes dubitant de illius ſalute; Iſtud autem dubium non naſcitur, niſi ex certitudine, qua certi ſunt, baptizatos non perire; & ex eo ſuboritur dubium, quod non baptizati nō ſalventur omnibus caſibus; At iſtud dubium ſolvi poteſt à ſapientibus probabilibus rationibus.

59. Quod, ſi dicas, vulgum non ſolùm dubitare, verùm eſſe certum, quod non ſalventur infantes noſtri. Ego reſpondeo, hanc certitudinem non eſſe ex fide, quam meliùs habent ſapientes, quàm rudes, imò petitur principiū; nam præſens, quam peto ex capite vulgaris judicii certitudo fidei debet ſequi ad vulgi unanimem conſenſum, tanquam à ſigno, & à poſteriori; quod patet ex mea petitione, dum cœpi interrogare de fonte certitudinis. Adde dictum vulgare, non enim habere tantam authoritatem, ut ſit ſignum certitudinis fidei; hoc enim ſolùm conceditur unanimi conſenſui omnium Sanctorum Patrum. Dicam igitur, rudes, & doctos, ſapientes, eximios, & indoctos populares id ſentire, quod reſpectivè docuerunt, didicerunt, quod edocti ſunt, &c. Et univerſaliter, ut omnes comprehendam putant, & ego ſimul cum omnibus, baptiſmum eſſe neceſſarium ad ſalutem, & eos, quos contingit, baptiſmo privari, non eſſe ſalvos quoad judicandi certitudinem, nam poſſe ſalvari eſt in probabili opinione. Pro certo non cōſtat, niſi velimus vocare certum id, quod ſcholaſticè, & modo diſputativo, quandoque vocare contingit; hoc autem poſito omnes dubitant de ſalute parvuli ſine baptiſmo morientis; nam conſiderantes divinam miſericordiam dubii ſunt perierit nec ne? nam, cùm ſolùm ſint certi, quod baptizati ſalventur, & hanc ſolùm

cer-

Digitized by Google

certitudinẽ omninò judicãdi habeant, remanent fluctuantes, ſpectata Dei bonitate, an ille perierit. Etenim licet ſint certi, quod debuerit perire, eo quia non fuit applicatum medium ſalutis, quod habent pro medio unico certo; In casu autem dubium occurrit, an alia via forſitàn Deus miſeretur, quodque dubium audivi à multis rudibus, omnesque pie de Deo ſentientes facere ſolent. Ecce ergo tota vulgi exiſtimatio.

60. Poſset autem aliquis contra me inſurgere, nam in ſuperioribus dictum eſt in hac materia eſse ſuſpendendum judicium, nec debere obſtinata ſententia aſseri puerulos, ſine baptiſmo decedentes in utero matris perire; At ſi hoc faciunt rudes, quid ſuperaddunt ſapientes, quid hac tota diſputatione tota à me actum eſt? Ad quid tanta pugna? Quò tendit hactenùs initus conflictus?

61. Reſpondeo, dubium ex Navarro cap. 27. in manuali num. 279. ſic deſcribi: Dubitatio eſt cognitio duarum rerum contrariarum, neutram earum judicando veram, & dubietatem appellat titubationem. Pater Franciſcus Palanco tom. de conſc. quæſt. 2. §. 1. Conſcientia dubia eſt, quæ, nec determinatè dictat, hoc eſſe licitum, nec determinatè, quòd ſit illicitum, ſed fluctuat inter utrumque; aſſignatque duplex dubii genus, aliud purè negativum, aliud poſitivum. Dubium negativum eſt, quando nullum eſt fundamentum, aut ratio pro ulla ex partibus contradictionis. Dubium poſitivum eſt, quando utrinque militant rationes, & fundamenta pro utraque parte contradictionis, eſtque id omnibus notum. His poſitis, dubium rudium eſt negativum, non poſitivum; Item adhùc, ſi eſſet poſitivum, latum diſcrimen à cognitione theologorum adeſt; Nam theologi, ut Cajetanus, Julius Syrenius, & alii, dubitatione etiam poſitiva depoſita, judicant probabiliori fundamento, & adhærent uni parti, licet non ſine formidine oppoſitæ. Ego ergo, ſuſpendendum eſſe judi-

cium

cium determinatè, aſſerui, imò in unam partem determinatè ſcholaſticè. diſputativè inclinari: Tota igitur adverſæ ſententiæ certitudo eſt certitudo probabilitatis; Noſtra autem majori gaudet probabilitate, ſi ſpectentur omnia ſalvanda; Si Chriſti redemptio, mors, &c. conſiderentur qui dixit: Ego veni, ut vitam habeant,& abundantiùs habeant, objectionum ſolutio facillima, Dei bonitas magis commendanda, & ſimilia.

62. Dices contra id, quod ſupra dicebam, ſcilicet populis non licere communicare, niſi, quæ certa ſunt; ergo non licebit noſtram inſinuare doctrinam de baptismate. Reſpondeo negando conſequentiam. Antecedens enim, ut ſuo loco patet dictum fuit ad inſiuuandum, populum debere inſtrui ſecundum ea,quæ ſuum ſtatum concernunt: Diſputare, & ſpeculari datum eſt eximiis in Eccleſia Dei, non iis, qui de vulgo ſunt, hocque ſenſu non licere,&c.Cæterùm, ſi inſtruantur de noſtra ſententia,benè erit, quatenus id faciunt, quod in beneficium prolis redundare poteſt, & optimum cõſilium erit conſulere matres baptiſmi votum pro filiis,in utero periclitantibus elicere. Indè bonum ſperari ſolummodo poteſt; ut enim inquit S.Gregorius Magnus,ſcribẽs ad Richaredum Regem: *Adverſitas, quæ bonis votis obiicitur, probatio virtutis eſt, non judicium reprobationis*; Et S. Leo Papa: *Miſericordiæ Dei nec menſuras poſſumus ponere, nec tempora definire*. Ex occaſione igitur hìc, ne tempus expectem, ut omnis poſtulatio, quæ fieri poſſet reſolvatur, ſubnecto ſequentem doctrinam.

Mulieri,cui hæc opinio fuerit probabilior de baptiſmo in voto ſuſcepto, &c. eſſe obligationem illum caſu neceſſitatis inculpabilis applicandi.

63. MUlieres de noſtra ſententia inſtructas, teneri de conſilio ad vovendum baptiſma

pro filiis, in utero periclitantibus, paſſim ex dictis colligitur. Nunc autem addo, mulierem, cui hæc opinio fuerit firma, & probabilior alicujus gravis viri ſcientia, & cōſcientia eximii authoritate, ſtrictè teneri ſub pœna peccati læthalis ad vovendum, &c. in caſu, &c. Aliquis dicere poſſet, hanc quæſtionem eſſe ſcholaſticam, theologicam, ſpeculativam, aut theologiam ſacramentalem, ideoque non pertinere ad theologiam moralem, & ſcientiam practicam; indè conſequens ex dicta quæſtione non formari conſcientiam circa agibilia. Sed immeritò ſic diceret; etenim, licet noſtra diſputatio non ſit moralis, nec ad mores pertineat, ſed potiùs ad perſcrutandam veritatem, & intelligentiam neceſſitatis baptiſmatis; tamen exindè locus ſuppeditatur theologo morali examinare, an mulier, uterum geſtans, teneatur ex præcepto vovere baptiſmum in caſu, &c. Ratio eſt evidens, nam dato, quod ex Theologia ſcholaſtica fuerit concluſum poſſe in voto puerulum ſalvare in caſu, &c. & hanc opinionem aliqua mulier authoritate, ut dixi, ſapientis ingeſtam firmiter retineat; ſtatim occurrit theologia moralis, quæ verſatur circa agibilia in communi, & in particulari, ad examinandum quid ſit agendum in caſu pueruli, &c. ſit ne licitum non vovere baptiſma aut illicitum; ſicuti poſtquam cognoverimus, baptiſmum eſſe inſtitutum ad delendum originale, ſtatim concluditur eſſe inexcuſabiles à peccato parentes, negligentes dare baptiſmum puerulo, ut ſuppono, periclitanti; ità optimè theologus moralis poterit inſtituere quæſtionem, an peccat mulier, dum videns ſuum filium in utero periculum vitæ facere, negligit pro illo vovere baptiſma; cujus quæſtionis anſam accipit à Theologo ſcholaſtico, nam, præſuppoſita doctrina, quod parentes, negligentes ſalutem filiorum in caſa urgentis periculi peccant; illicò videntur etiam peccare, poſita doctrina de baptiſmo in voto, hunc contemnentes, & acceptata ab operante.

64. Dico

64. Dico ergo ad quæſtionem, mulierem teneri, ut propoſui,&c.Ratio eſt manifeſta:Operari contra propriam conſcientiam, peccatum eſt; Sed mulier, cui noſtra opinio eſt probabilior ex ſuppoſitione de baptizandis pueris in voto,in caſu, &c. negligens, &c. operatur contra propriam conſcientiam, & judicium practicum; ergo,&c.

65. Cum autem eò mens mea dirigatur, ut oſtendam non eſſe obſtinatè aſſerendum, parvulos, in utero decedentes ſine baptiſmo, omni remedio eſſe ad ſalutem deſtitutos, & conſequenter perire; idcircò mulieres conſulendæ ſunt, de voto agendo in caſibus expreſſis. Si verò aliqua fuerit hac doctrina inſtructa à viro probo, ſapienti, cui fidit, & firmiter hanc opinionem eligit, aut electam accipit, certè operabitur contra propriam conſcientiam, ſi non operabitur juxta eam; Et his paucis puto, ſufficienter me explicuiſſe.

Quid autem circa hoc apud Auguſtinum habeatur, inquirendum eſt, ejusque verba expendenda remanent.

Exploratur mens D. Auguſtini.

66. Quid circa hoc ex Auguſtino dicendum; puto, nullam rationem ex ipſo adduci poſſe, nec in favorem, nec in contrarium; cum tunc ſuo tempore hoc non fuerit diſputatum tota quippè S.Auguſtini induſtria eò directa fuit ad oppugnandos Cæleſtium, & Pelagium, docentes omnes pueros negativè eſſe aptos regno Dei; pro cauſa aſſignantes, ipſos non contrahere peccatum originale, quod eſt hæreticum.

67. Indirectè verò, & veluti præſuppoſitivè, putat Bellarminus, Auguſtinum eſſe contrarium, nam de Sacram.baptiſ.lib.1. inquit, quod,qui alia remedia conantur invenire pro parvulis præter baptiſmum pugnant cum Evangelio, Conciliis, & Patribus; nam, ſubdit, ut Auguſt.

epiſt.28. non alia de cauſa feſtinatur in Eccleſia, & curritur cum infantibus periclitantibus ad baptiſmum, niſi quia conſtat, nullum aliud eſſe remedium. Bellarminus autem debuiſſet prius probare, Cajetanum, cum quo ego fuſiori calamo ſentio, cogitaſſe aliud remedium præter baptiſmum, quod nunquam probavit, quia probare non poterat. Etenim ex iiſdem verbis Auguſtini, non probatur, baptiſmum in voto non ſufficere in caſu neceſſitatis inculpatæ; ſed potiùs conditio legitima baptiſmi in voto exprimitur, atque neceſſaria, ut ex dictis, & dicendis cōſtat; nec profectò ego non cogito, aut non cogitavit Cajetanus(ut per ſcomma dicit)curam infantium magis pertinere ad Deum, quam ad nos. Imò quia ex articulis fidei, & principiis theologiæ novimus talem,& tantam eſſe curam apud Deum; ideò ex vi eorumdem principiorum, putamus non eſſe abſurdum, ſi ita Deus voluerit ſalvare infantes immatura morte præventos in utero. Sed videamus per ordinem omnia Auguſtini dicta, quotquot colligere potui.

68. Aug. epiſt.28. ut mox ſupra: *Non alia de cauſa feſtinatur in Eccleſia, & curritur cum infantibus periclitantibus ad baptismum; niſi quia conſtat, nullum aliud eſſe remedium; ergo.*

Epiſt.23. *Non enim ſcriptum eſt; niſi quis renatus fuerit ex parentum voluntate, aut ex offerentium, vel miniſtrantium fide; ſed niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto; ergo Aug. clarè contradicit.*

Tomo 8.fol.102. *Cum noverimus ex baptiſmo Chriſti ſolvi peccata, & ad remiſſionem peccatorum valere, non ob aliud cum infantibus currunt Matres, niſi, ut ſolvatur propago peccati, ergo*

Tom.7. pag.123. Cur aliqui infantes baptizantur; Alii non, ait: *hæc gratia cur ad illum veniat, ad illum non veniat, occulta eſſe cauſa poteſt, injuſta non poteſt, nunquid enim*

ini-

iniquitas apud Deum? Abſit.

Tom.7.de bono perſev.pag.262. *Quid dicam, quod parvulus aliquando antequam illi per miniſterium baptizantis ſuccurri poſſit expirat? Plerumque enim feſtinantibus parentibus, & paratis miniſtris, ut baptiſmus parvulo detur, Deo tamen nolente, non datur, qui eum parvulum in hac vita non tenuit, ut daretur.*

Tom.10. pag.63. Quare Dominus permittat baptizari unum ex infantibus,& alium ante baptiſmum ſuffocari refert ad ſecretam Dei voluntatem.

69. Hæc omnia ſunt Auguſtini dicta, quæ præſentem concernere poſse videntur materiam, in quibus prima fronte manifeſtatur, contrarium eſse D. Auguſtini conſilium. At, lector, ex eis, quæ mox dicam, cognoſcet, quæ, & qualis fuerit S. Doctoris mens, qualis finis, qui ſcopus.

Primò ad id quod ait Auguſtinus epiſt.28.

70. Dico mihi nec vel minimum obeſse;Certè baptiſmus non eſt omittendus, ut ex eodem doctore Aug. ſupra prop.2. probatum eſt: Hinc optima de cauſa matres cum infantibus currunt,&c. quia baptiſmus eſt neceſsarius. Mea tamen opinio hìc non continetur; loquor enim de morientibus in utero. Quod, ſi velis extendere ad morientes inculpatè extra uterum; tunc quippè, ſi verè vovent parentes, ad ſalvandam, & verificandam conditionem, & qualitatem iſtius voti, debent omnem diligentiam adhibere,ut ad baptiſmum perveniatur,ſicque verum eſt, quod non alia de cauſa feſtinatur in Eccleſia, & curritur cum infantibus periclitantibus ad baptiſmum,niſi quia conſtat nullum aliud eſse remedium.

Ad Epiſt.23.

71. Ii, qui tale mentis vitium habent, ut ſtatim id amplexantur, quod primò objicitur, ducuntur-

turque à prima rerum apparentia,certè hoc Auguſtini teſtimonium adverſari ratum habent ; Sed ſi Auguſtini doctrina ex ſuo ſcopo examinatur, illicò initio epiſtolæ apparet ad omne aliud inſervire poſſe, quam ad objiciendũ nobis. Ibi enim reſpondet Auguſtinus Bonifacio Epiſcopo, docens qui fiat,ut infantibus in baptiſmo proſit parentum fides, cum non noceat illis parentum impietas ; & ut clarè totum id pateat, exſcribo ejus verba adamuſſim.

» 72. Quæris à me, utrùm parentes baptizatis parvulis
» ſuis noceant, cum eos dæmoniorum ſacrificiis ſanare co-
» nantur, etſi non nocent, quomodò eis proſit, cum bapti-
» zantur parentum fides, quorum eis non poteſt obeſſe per-
» fidia. Ubi reſpondeo,tantam illius Sacramenti,hoc eſt ba-
» ptiſmi ſalutaris eſſe virtutem in ſancta compage Corpo-
» ris Chriſti, ut ſemel generatus per aliorum carnalem vo-
» luptatem cum ſemel regeneratus fuerit per aliorum ſpiri-
» talem voluntatem,deinceps non poſſit vinculo alienæ ini-
» quitatis obſtringi, cui nulla ſua voluntate conſentit, &
» anima enim patris mea eſt, inquit, & anima filii mea eſt :
» Anima, quæ peccaverit, ipſa morietur: non autem peccat
» ipſa, cum parentes ei omninò neſcienti, vel quilibet alius
» adhibet ſacrilegia dæmoniorum;ſed ideò ex Adam traxit,
» quod Sacramenti illius gratia ſolveretur, quia nondum
» erat anima ſeparatim vivens, ideſt altera anima, de qua
» diceretur, & anima patris mea eſt, & anima filii mea eſt.
» Jam itaque, cum homo in ſeipſo eſt ab eo,qui genuit alter
» effectus peccato alterius ſine ſua conſenſione non tenetur
» obnoxius. Traxit ergo reatum, quia unus erat cum illo ,
» & in illo, à quo traxit, quando,quod traxit admixtum eſt;
» non autem trahit alter ab altero, quando ſua unoquoque
» propria vita vivente jam eſt ; undè dicatur Anima , quæ
» peccaverit, ipſa morietur; Ut autem poſſit regenerari per
» officium voluntatis alienæ , cum offertur conſecrandus ,
» facit hoc unus ſpiritus, ex quo regeneratur oblatus; non

enim

Digitized by Google

„ enim ſcriptum eſt, niſi quis renatus fuerit ex parentum
„ voluntate, aut ex offerentium, vel miniſtrantium fide, ſed
„ niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu. Aqua igitur
„ exhibens forinſecùs Sacramentum gratiæ, & ſpiritus ope-
„ rans intrinſecùs beneficium gratiæ, ſolvens vinculum
„ culpæ reconcilians bonum naturæ regenerant hominem
„ in uno Chriſto ex uno Adam generatum; Regenerans er-
„ go ſpiritus in majoribus offerentibus, & parvulo oblato,
„ renatoque communis eſt; ideò per hanc ſocietatem unius,
„ ejuſdemque ſpiritus prodeſt offerentium voluntas parvu-
„ lo oblato. Quando autem in parvulum majores peccant
„ offerentes eum, atque obligare conantes dæmonum ſacri-
„ legis vinculis, non eſt anima utrorumque communis, ut
„ etiam culpam poſſint habere communem; Non enim ſic
„ communicatur culpa per alterius voluntatem, quemad-
„ modùm communicatur gratia per Spiritus Sancti unita-
„ tem. Poteſt enim, & in hoc, & in illo homine eſſe unus
„ Spiritus Sanctus, etiamſi invicem neſciant, per quem ſit
„ utriuſque gratia communis; non autem poteſt ſpiritus ho-
„ minis eſſe & hujus, & illius, per quem peccante altero, &
„ altero non peccante; ſit tamen culpa communis; ac per
„ hoc poteſt parvulus ſemel ex parentum carne generatus
„ Dei ſpiritu regenerari, ut ex illis obligatio contracta ſol-
„ vatur; non poteſt autem ſemel Dei ſpiritu regeneratus ex
„ parentum carne regenerari, ut obligatio, quæ ſoluta eſt
„ iterum contrahatur. Conſtat igitur, quæ fuerit mens D. Au-
„ guſtini, ut vel ullum verbum addere non cogar.

Ad fol. 102. tom. 8.

73. EX iiſdem Auguſtini verbis, cuique manifeſtū nullam pati difficultatem expoſitam noſtram doctrinam. Ego enim dixi ex fide divina neceſſarium eſſe ad ſalutem lavacrum regenerationis, & ex Auguſtino proba-

probavi non eſſe omittendum,adeoque neceſſarium,& ex Magiſtro ſententiarum retuli, votum reputari pro opere, ubi neceſſitas opus excluſit; Conſequenter matres, etſi voventes pro filiis baptiſma periclitantibus,atque eos offerentes, tamen manum operi admovere neceſſe eſt, aliter,quod flagranter exoptant exequi non curarent;in quo eſt colluctatio; ideoque matres cum infantibus, ideò currunt, ut ſolvatur propago peccati. Manifeſtum eſt igitur nec mentem, nec verba Doctoris noſtræ ſententiæ refragari. Finis ejus erat ſcribere contra Pelagium, negantem originale,contractum à poſteris.Verba nihil aliud ſonant, quàm originale tolli per baptiſmū, & ideò currūt matres ad baptiſmum cum filiis, ut à peccato ſolvantur,quod veriſſimum eſt; nam poſitis in rerum natura filiis,& ab utero excluſis, ſi matres deſides ſunt pro illis baptizandis, nequit peccatum diſſolvi,quatenus tunc nonniſi baptismate peccati propago diſſolvi poteſt. Ego verò loquor de morientibus in utero; Sicque dictum Auguſtini non facit ad rem; nam in hac hypotheſi non verificatur, nec verificari poteſt,matres cum filiis currere,cum adhùc iſtos non ſuppono de utero excluſos.

Ad fol.123. tom.7.

74. Dico primò, non ideò, quia Auguſtinus cauſam refundit ad Dei voluntatem,ſequitur, infantes morientes in utero ad ſalutem auxilio omni eſſe deſtitutos; ſed loquitur de iis, quorum jam natorum unus baptizatur, alius non; cum tamen omnes baptizari poſſibile erat; Cur autem unus baptiſmo tingitur; alius autem ad baptiſma non pervenit? Aſſignat ſecretam Dei voluntatem, ſed juſtam. Quod ſi univerſaliter velis locutum fuiſſe Auguſtinum, quid ni? Dico ſecundò locutum eſſe Sanctum Doctorem ſecundum principia certa, & infallibi-

bilia; nam infallibile eſt, infantes per baptiſmum renaſci; ſicque, dum dicit Dei eſſe unum baptizari; alium non; & conſequenter unum ſalvari gratia baptiſmatis, alium non ſalvari, loquitur præcisè de baptiſmo, ut ſenſus fert communis, quod ego ſupra notavi, in ſecundo notabili circa communitatem opinandi, præſcindendo ab eo, quod poteſt dici ab aliis. Dico 3. meritò ab Auguſtino fuiſſe ſic ſemper reſponſum; Cum enim ageret contra Pelagium, volentem dari ſalutem, & gratiam iis, qui viribus naturæ vellent; non dari iis, qui nollent, Auguſtinus exemplo parvulorum id efficaciter refellit, nam parvuli non poſſunt uti arbitrio, nec meritum præcedit; Cur ergo baptiſmum non accipiunt, niſi quia (reſpondet) noluit Deus, & hoc ſufficit refutando Pelagio. Alia, quæ dici poſſunt de hac cauſa parvulorum non pertinebant ad Auguſtini ſcopum. Item ad ſenſum germanum litteræ dicere poſſum, quod, Deo volente, alii ſuſcipiunt baptiſmum; Deo nolente alii non ſuſcipiunt, ideſt aliis Deus vitam produxit, aliis noluit vitam producere, prorogare, quod ultrò concedo; Si enim aliter intelligeretur, ſequi deberet, Deum alios reprobaſſe ex ſe antecedenter, alios elegiſſe, quod eſt falſum.

75. Non ergo Auguſtinus (ut benè occaſione ſimili notat Cardinalis Sfondratus de prædeſt. pag. 96.) voluit aliis libertatem adimere ea omnia dicendi, quæ deinceps opportuna viderentur. Quamvis nemo meliùs de gratia, & contra Pelagium Auguſtino ſcripſerit; non ſcripſit tamen omnia, quippè haud neceſſaria, Calvino nec dum exorto, & hominis arbitrium, Deique bonitatem impugnante; nam aliis armis opus eſt alio hoſte, belloque inſtantibus. S. Doctor pugnavit pro gratia contra Pelagium, & pro libertate contra Manicheos. Auguſtino contra Pelagium ſufficit exemplum parvulorum: quo poſito, non excludit alia, quæ dici poſſunt, &, quæ fortaſsè dixiſſet, ſi ſe exhi-

buiſset occaſio circa cauſam parvulorum. Sequenti ſolutione meliùs patebit quid Auguſtinus docuerit.

Ad pag.262. tom.7. de bono perſeverantiæ.

76. ARgumentum deſumptum ex hoc Auguſtini loco, cum nimis probet, nihil probat. Plures namque utuntur ad probandum, Deum velle aliquos ex ſe excludere à regno, ut de facto pro objectione affert hunc textum Doctor Maignan. in ſua 1.part.phil.ſac.cap. 14. prop.12.n.12. Si ergo non magis unum, quàm aliud ex dicto loco infertur, ſequitur vitium eſse illationis, & argumenti adverſariorum ex recenſito D.Aug.dicto.

77. Dico igitur verum eſse, quod feſtinantibus parentibus, & paratis miniſtris,ut baptiſmus detur parvulo, Deo tamen nolente, non datur. Quare? Ex eodem Auguſtino ſtat reſponſio; qui eum parvulum in hac vita non tenuit, ut daretur; ſcilicet noluit Deus vitam prorogare infanti, & cauſas removere inferentes mortem,usquequò per baptiſmum ſuccurri poſſet à miniſtris: In hoc quippè ſolùm ex Aug.coarctatur divina voluntas,ut patet,textum legenti: Non per hoc autem, quidquid poſſet deinceps dici de ſalute illorum parvulorum, omnis adimitur libertas dicendi;ergo,quia Deus ex ſe ab æterno voluit ſalvum facere illum puerulum(nam non aliter deeſt ſalus ex parte Dei, quàm ex eo, quod noluit vitam prorogare) & pro eo inſtituit baptiſmum per Chriſtum Redemptorem; Aliundè, ut dictum eſt,noluit cauſas removere impedientes baptiſma; ergo, aut noluit illum ſalvum fieri, quod non eſt dicendum, aut, ſi voluit, ut eſt certiſſimum,voluit per voluntatem alterius in propoſito, caſu neceſſitatis urgente: Et, licet id Aug.non dixerit,nec tamen negavit; ergo non eſt dicendum noſtram doctrinam repugnare Auguſtino,ut dixit Bellarminus; nam locus ab authoritate debet eſſe poſitivus, non negativus.

78. In-

78. Inſtabis: Auguſtinus neceſſariò præſuppoſuit, puerulum non baptizatum perire; licet miniſtri, & parentes feſtinent eum baptizare; nam ſic ait: *Quid dicam, quod parvulus aliquando, antequam illi per miniſterium baptizantis ſuccurri poſſit, expirat?* Ergo ſupponit, non poſſe ſuccurri, niſi per baptiſmum; ergo, qui non baptizantur; quatenus expirant, antequam per miniſterium baptizantis ſuccurri poſſit, ſunt à ſalute excluſi.

79. Reſpondeo primò, locum Auguſtini non eſſe ad rem noſtram; Imò mirè mihi favere, nam, ut patet lectori, tùm in antecedentibus, tùm in iis, quæ inferiùs dicam, præſertim ad objectionem quartam, tunc votum juvare poteſt, quando opus excluditur neceſſitate; & tunc cognoſcitur verè voviſſe matrem, quando opus neceſſitate non excluſum ab ea fuit; quod fuit mihi notandum, tùm ad plures objectiones refellendas; tum ad legitimam voti cōditionem explicandam. S. Doctor loquitur de parvulis natis, quibus per miniſterium baptizantis paratis, ut ait, miniſtris, & feſtinantibus parentibus ſuccurri non poteſt, antequam expirent. Ego autem loquor de morientibus in utero: Undè conſtat, concedendum eſſe totum argumentum, nam ultrò concedo de natis, & ab utero excluſis verum eſſe, non poſſe ſuccurri, niſi per baptiſmum.

80. Reſpondeo 2. Auguſtinum impugnare Pelagianos ex hoc capite, ſcilicet, quod gratia gratis à Deo datur, cui datur, & ideò gratia; & cum Pelagiani in cauſa parvulorum recurriſſent ad opera bona, ſub quibus in ætate activa prævisi ſunt à Deo, dicebant, aliquos baptizari ob opera bona, præviſa in ætate activa; Alios verò gratia baptiſmi privari ob opera mala, quæ feciſſent, ſi ad ætatem activam perveniſſent: Eos debellat Auguſtinus, ſemper demonſtrans, gratiam gratis dari, cui datur, ideoque gratiam; & non obſtante parentum bona voluntate, & meritis, non datur baptiſmus, quaſi gratia ſit ex meritis. Id

enim ſolùm oportebat Auguſtino,& de hoc erat bellum contra Pelagianos.

81. Sed, ut innoteſcat quid velit loco citato Auguſtinus, legendus eſt liber 2. de prædeſt. Sanctorum, qui eſt de bono perſev. Ibi enim contra Pelagianos probat, gratiam Dei non ſecundum merita noſtra dari; Sic quippè ait
» immediatè ante cap. 12. Conficitur itaque gratiam Dei
» non ſecundum merita accipientium dari, ſed ſecundum
» placitum voluntatis ejus in laudem, & gloriam ipſius
» gratiæ ejus, ut qui gloriatur, nullo modo in ſeipſo, ſed in
» Domino glorietur, qui hominibus dat, quibus vult, quo-
» niam miſericors eſt, quod, etſi non det, juſtus eſt, & non
» dat, quibus non vult, ut notas faciat divitias gloriæ ſuæ
» in vaſa miſericordiæ. Dando enim quibusdam, quod non
» merentur, profectò gratuitam, & per hoc veram ſuam
» gratiam eſſe voluit. Non omnibus dando, quid omnes
» merentur oſtendit. Bonus in beneficio certorum, juſtus
» in ſupplicio cæterorum; & bonus in omnibus, quoniam
» bonum eſt, cum debitum redditur; & juſtus in omnibus,
» quoniam juſtum eſt, cum debitum ſine cujusque fraude
» donatur. Defenditur autem ſine meritis Dei gratia, ideſt
» vera gratia, etiamſi parvuli baptizati, ſicut Pelagiani ſen-
» tiunt, non eruuntur de poteſtate tenebrarum, quia nulli
» peccato, ſicut putant, tenentur obnoxii, ſed tantùm in
» regnum Domini transferuntur: Etiam ſic enim ſine ullis
» bonis meritis datur eis regnum, quibus datur; & ſine ul-
» lis malis meritis non datur eis, quibus non datur. Quod
» adverſos eosdem pelagianos dicere ſolemus, quando no-
» bis objiciunt, quod fato tribuamus Dei gratiam, dicendo,
» eam ſecundum merita noſtra dari; Ipſi verò potiùs, Dei
» gratiam fato in parvulis tribuunt, qui dicunt fatum eſſe,
» ubi meritum non eſt; Nulla quippè merita, etiam ſecun-
» dum ipſos Pelagianos, poſſunt in parvulis inveniri; cur
» alii eorum mittantur in regnum, alii alienentur à regno;

ſicut

" ſicut autem nunc, ut oſtenderem, gratiam Dei non ſecun-
" dum merita noſtra dari, ſecundum utrumque ſenſum hoc
" defendere malui: Et ſecundum noſtrum ſcilicet, qui ob-
" ſtrictos originali peccato parvulos dicimus; & ſecundum
" Pelagianorum ſenſum, qui originale eſſe peccatum ne-
" gant: Nec tamen ideò mihi eſt ambigendum habere par-
" vulos, quod eis dimittat, qui ſalvum facit populum ſuum
" à peccatis eorum: Ita, & in 3. lib. de libero arbit. ſecun-
" dum utrumque ſenſum reſtiti Manicheis, ſive ſupplicia,
" ſive primordia naturæ ſint ignorantia, & difficultas, ſine
" quibus nullus homo naſcitur, & tamen unum horum te-
" neo. Ibi quoque à me ſatis evidenter expreſſum eſt, quod
" non ſit iſta natura inſtituti hominis, ſed pœna damnati.
" Fruſtra itaque mihi de illius libri mei vetuſtate præſcri-
" bitur, ne agam cauſam, ſicut debeo agere parvulorum,
" & inde gratiam Dei non ſecundum merita hominum da-
" ri perſpicuæ veritatis luce convincam. Si enim quando
" libros de libero arbitrio laicus Romæ cœpi, & in Aphri-
" ca Presbyter explicavi, adhùc de damnatione infantium
" non renaſcentium, & de renaſcentium dubitarem libe-
" ratione: Nemo, ut opinor, eſt tàm injuſtus, atque invi-
" dus, qui me proficere prohiberet, atque in hac dubita-
" tione remanendum mihi eſſe judicaret. Cum verò re-
" ctiùs poſſit intelligi non me propterea de hac re dubitaſ-
" ſe credi oportere, quia contra quos mea dirigebatur in-
" tentio, ſic mihi viſi ſunt refellendi, ut, ſive pœna eſſet
" peccati originalis in parvulis, quod veritas habet; ſive
" non eſſet, quod nonnulli errantes opinantur; nullo modo
" tamen, quam Manicheorum error inducit, duarum natu-
" rarum boni ſcilicet, & mali permixtio crederetur. Abſit
" ut cauſam parvulorum ſic relinquamus, ut eſſe nobis di-
" camus incertum, utrum in Chriſto regenerati, ſi morian-
" tur parvuli tranſeant in æternam ſalutem; non regenera-
" ti autem tranſeāt in mortem ſecundam, quoniam quidem

ſcri-

,, ſcriptum eſt; per unum hominem peccatum intravit in
,, Mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homi-
,, nes tranſiit; aliter rectè intelligi non poteſt: Nec à morte
,, perpetua, quæ juſtiſſimè eſt retributa peccato, liberat
,, quemquam puſillorum, atque magnorum, niſi ille, qui
,, propter remittenda, & originalia, & propria noſtra pec-
,, cata mortuus eſt ſine ſuo ullo originali, pro priove pecca-
,, to. Sed, quare illos potiùs, quàm illos? Iterùm, atque
,, iterum dicimus, nec nos piget. O homo, tù quis es, qui
,, reſpondeas Deo. Inſcrutabilia ſunt judicia ejus, & inve-
,, ſtigabiles viæ ejus; & hoc adjiciamus, altiora te, ne quæ-
,, ſieris, & fortiora te, ne ſcrutatus fueris. Videtis ne cha-
,, riſſimi, quam ſit abſurdum, & à fidei ſanitate, atque ſin-
,, ceritate veritatis alienum, ut dicamus parvulos mortuos
,, ſecundum ea judicari, quæ præſciti ſunt facturi eſſe, ſi vi-
,, verēt? In hanc autem ſententiam, quam certè omnis ſen-
,, ſus humanus, quantalacumque ratione ſub nixus maxi-
,, meque Chriſtianus exhorret, ire compulſi ſunt, qui ſic à
,, Pelagianorum errore alieni eſſe voluerunt, ut tamen gra-
,, tiam Dei per Jeſum Chriſtum, Dominum noſtrum, quæ
,, nobis una poſt lapſum primi hominis, in quo omnes ce-
,, cidimus, ſubvenitur, ſecundum merita noſtra dari, ſibi
,, adhùc exiſtiment eſſe credendum, & diſputatione inſu-
,, per proferendum. Quod ipſe Pelagius ante orientales
,, Epiſcopos judices damnationis ſuæ timore damnavit.
,, Hoc autem, ſi non dicatur de mortuorum ſcilicet operi-
,, bus, quæ facturi erant, ſi viverent, bonis, aut malis, ac
,, per hoc nullis, & in ipſa Dei præſcientia non futuris: Hoc
,, ergo, ſi non dicatur, quod cernitis, quanto errore dica-
,, tur, quid reſtabit, niſi, ut gratiam Dei, non ſecundum
,, merita noſtra dari, quod contra hæreſim pelagianam ca-
,, tholica defendit Eccleſia, remota contentionis caligine,
,, fateamur; atque id maximè in parvulis evidentiore ve-
,, ritate cernamus; neque enim fato cogitur Deus illis in-
fanti-

„ ſantibus ſubvenire; illis autem non ſubvenire, cum ſit
„ utriſque cauſa communis: Aut res humanas in parvulis,
„ non divina providentia, ſed fortuitis agi caſibus opina-
„ bimur, cum rationales, vel damnandæ, vel liberandæ ſint
„ animæ, quandoquidem nec paſſer cadit in terram ſine
„ voluntate Patris noſtri, qui in Cœlis eſt: aut parentum
„ negligentiæ ſic tribuendum eſt, quod parvuli ſine baptiſ-
„ mo moriuntur, ut nihil ibi agant ſuperna judicia: tan-
„ quam ipſi, qui hoc modo malè moriuntur parentes ſibi
„ negligentes voluntate propria, de quibus naſcerentur,
„ elegerint. Quid dicam, quod parvulus aliquando, ante-
„ quam illi per miniſterium baptizantis ſuccurri poſſit, ex-
„ pirat? Plerumque enim feſtinantibus parentibus, & pa-
„ ratis miniſtris, ut baptismus parvulo detur, Deo tamen
„ nolente non datur, qui eum parvulum in hac vita non te-
„ nuit, ut daretur.

82. Ex toto iſto D. Auguſtini diſcurſu, & fine conſtat non aliud intendiſſe, quàm demonſtrare gratiam Dei non ſecundum merita dari, quod, ut evidentiore veritate cernatur affert exemplum parvulorum, nam iſti nequeunt habere bona, vel mala merita, & conſequenter gratia baptismatis non datur his ob mala merita, & datur aliis ob bona merita; nec ob opera bona, aut mala, quæ feciſſent, ſi vixiſſent: Hoc enim dicit exhorrere quamlibet autem præſertim Chriſtianam, nam futura conditionata non ſunt judicanda. Item aſſerit, non cogi Deum fato illis ſubvenire, iſtis non, cum ſit utriſque cau ſa communis; Nec res humanæ in parvulis fortuitis caſibus, & non providentia aguntur; nec parentum negligentiæ tribuendum eſt, nam etiam parentibus volentibus, & paratis miniſtris baptismus quandoque non confertur. Undè concludit Auguſtinus, gratiam Dei non dari ſecundum merita: Non eſt enim malum meritum in puerulo, quaſi ipſe elegerit naſci à parentibus negligentibus. Ideò ſubdit Auguſtinus,

quid

quid dicam, quod, paratis miniſtris, antequam, ſuccurratur expirat? Quaſi dicat, diſcuſſis omnibus capitibus ſupereſt concludendum, gratiam Dei non dari ſecundum merita; ſed gratis, & ſine ullis bonis meritis datur eis regnum, quibus datur, & ſine ullis malis meritis non datur eis, quibus non datur, loquendo in cauſa parvulorum.

83. Ex his ergo Auguſtini dictis in duobus libris de Prædeſtinat. Sanctorum, quos ſcimus ſcripſiſſe contra Pelagianos, & Semipelagianos, nihil concludi poteſt contra noſtram, quam poſſibiliter aſſumpſimus defendendam, opinionem; Ego enim primas ferre non audeo ſuper parvulorum cauſa, quamquam hæc meditatus fuerim, antequam Cajetanum incurriſſem, prima quædam lumina Julio Syrenio debens, ut in ſuperioribus retuli. Solùm igitur patet evidentiore veritate, ut S. Doctor inquit, in parvulis, gratiam Dei non ſecundum merita noſtra dari, aliter non gratia, ſed debitum, ut pluries Apoſtolus.

84. Neque in verbis, ſi expenduntur, dici poteſt Auguſtinum mihi obeſſe, nam loquitur, ut patet de infantibus, jam utero excluſis; de quibus ſolùm verificatur, quod, paratis miniſtris, & feſtinantibus parentibus, ut baptismus detur, antequam eis detur, expirant. Ego verò loquor de iis, quorum vitæ initium, & finis materna intra viſcera conficitur, inculpabiliter ex parte parentum, ſeù generaliter ex parte voluntatis creatæ.

85. Prima facie, quod fertur poſſe deduci iſtud eſt, ſcilicet Deum nolle ſalvare aliquos parvulos, morientes, videlicet, ſine baptiſmo. At hoc neque colligitur; nam etſi gratia baptiſmi, cui confertur, gratis confertur; & cui non confertur, gratis quoque non confertur; nam non ob ullum malum meritum; tamen intelligendum eſt germano ſenſu, qui ex eodem Doctore habetur apertè. Senſus D. Auguſtini eſt, aliquos parvulos non baptizari, & mori, Deo volente, ideſt, vitam non prorogante; non quod

Deus

Deus ex ſe ſecundum placitum ſuæ voluntatis noluerit illos ſalvare; nam, ut ait S.Leo Papa, ſicut nullum à reatu liberum reperit, ita pro liberandis omnibus venit Chriſtus; ſed quia ex ſe vitam pueruli non vult prorogare, nec cauſas impedire; quo modo optimè dicimus, Deum nolle, non quidem ſalutem, ſed vitæ prorogationem; Undè, cui non conceditur gratia vitæ prorogatæ, non deeſt ſalus ex parte Dei, qui adhùc illum vult ſalvum fieri per baptiſmum; & ut reſpondeam pro omnibus, dico ſic. Vel parvulorum prædeſtinatio dicitur efficax antecedens, ut etiam adultorum; & hoc modo collatio baptiſmi in facto eſt gratia ſpecialis; & cui non confertur, non conceditur hæc gratia ſpecialis, ſcilicet, baptiſmus in actu applicatus,& ſolummodò ſunt parvuli iſti comprehenſi voluntate generali per media ſufficientia, quatenus applicabilis eſt baptiſmus, licet non applicetur. Vel non admittitur prædeſtinatio ſpecialis efficax abſoluta antecedens parvulorum, in qua ſententia perſto;& ſic collatio baptiſmi his v. g. non eſt gratia ſpecialis ex intentione ſpeciali ſalutis pro his;ſed eſt gratia prorogationis vitæ pro his;nam aliis v.g. non ſubvenitur per baptiſmum, Deo vitam non prorogante. Secundum autem utrumque ſenſum; falſum eſt, Deum illos ex ſe voluntate ſua reprobaſſe; nam in prima ſententia,etſi pro iis, qui benè,ſcilicet, cum baptiſmo moriuntur adſit ſpeciale decretum; non tamen adeſt voluntas divina ex ſe, quaſi ſecundum ejus beneplacitum excludendi eos, qui abſque baptiſmo moriuntur; nec ab aſſertoribus primæ ſententiæ dicitur; nec ex Auguſtino colligitur. In ſecunda opinione à fortiori neque id dicitur. Abſolutè autem ex verbis Auguſtini, non infertur, niſi eſſe divinum judicium, vitam pueri non prorogari, quouſque poſſit baptizari in facto,neque aliud deducitur. Legenti textum ad literam patet.

86. Ut quid annotem circa Auguſtinum, videtur

ſuam doctrinam contradicere communi reſponſioni, quam paſſim apud Authores legimus, & in ſcholis audimus, & ſupra retuli, nimirum, quod baptismus parvulo daretur, ſi parentes non fuiſſent negligentes; ſi temperatè vixiſſent; ſi piè vitam duxiſſent; Sic enim potuiſſent, ut ajũt, impetrare baptismi Sacramentum puerulo. Auguſtinus quippè id expreſsè negat, & ſolùm dicit in iſtis caſibus agere ſuperna judicia, &, Deo volente, datur, cui datur; ergo Auguſtini authoritatem poſſem pro me aſſumere ad refellendam illam communem reſponſionem; quid reſponderent authores, apud quos legitur recenſita reſponſio in cauſa parvulorum: pari jure profectò credant, poſſe à me reſponderi. At puto non facere ad rem, nec contra me, nec ipſos objectionem, ex Auguſtino deſumptam; ſolùm dicamus voluiſſe inſinuare contra Pelagianos, & Semipelagianos, gratiam Dei non dari ſecundum merita noſtra.

87. Si quis adhùc anceps hærebit, an per hæc verba Auguſtini præcludatur meæ ſententiæ ſemita. Dico, in dictis verbis Auguſtini me non prætendere meam contineri ſententiam, cum nullum verbum de hac re faciat. Sed firmiter aſſero contrarium non includi; tùm quia loquitur de natis in communi acceptione; tùm quia diſputans contra Pelagianos, & Semipelagianos, aſſumit principia certa, & indubitata; de eo autem, quod mea opinio adſtruit, mentionem non facit, nec vel minimum; tùm quia non intelligitur præcluſum opinioni de applicatione baptismi in alieno voto parvulis in utero morientibus ex hoc, quod Auguſtinus, licet alio ſcopo diſputans protulit inter alia verba hæc, ſcilicet: *Quid dicam, quod parvulus aliquando antequam illi per miniſterium baptizantis ſuccurri poſſit, expirat? Plerumque enim feſtinantibus parentibus, &c. ut baptismus parvulo detur, Deo nolente, &c.* nam primò loquitur de parvulis extra uterum,

pro

pro quibus verificatur applicabilitas Sacramenti, & conſequenter remedium ſufficiens ſalutis. Ego autem loquor de infantibus, in utero decedentibus. Secundò loquitur de ſalute, ut conſequenda per medium certum præſcindendo à mediis probabilibus, ut ſupra notavi. Neque dicas, Auguſtinum ſaltem implicitè, & præſuppoſitivè eſſe contrarium; ſi enim ait, Deum non prorogare vitam pueruli, ut baptiſmus applicari poſſit, adhuc feſtinantibus parentibus, & paratis miniſtris; ergo ſupponit, ut poſſit ſubveniri puerulo neceſſarium eſſe baptiſmum; aliter fruſtra aſſignaret pro cauſa Deum nolentem puerum in hac vita tenere, ut daretur baptiſmus; ſi etiam ſine vitæ prorogatione, & conſequenter ſine baptiſmo poſſet eſſe ſalus; ergo ſupponit unicè baptiſmum eſſe ſalutis remedium; ergo implicitè ſaltem negat, poſſe ſubveniri alio modo infantibus, quorum vita non prorogatur ad baptiſmum uſque.

88. Reſpondeo tunc implicitè Doctorem Auguſtinum refragari dicere poſſemus, quando aliquid ſuis verbis exprimeret, quo noſtrum dictum conjungi non poſſet; Hoc autem non habetur; ſed ad ſummum colligitur Auguſtinum ſupponere (quod quidem ego etiam ultrò aſſero) baptiſmum eſſe unicè medium certum, quo ſubveniri poſſit infantibus; quapropter diſtingno ultimum conſequens; ergo ſupponit unicè baptiſmum eſſe ſalutis remedium certum, & certiſſimum, concedo conſequentiam; ergo ſupponit unicè baptiſmum, &c. ad excluſionem cujuſcumque alterius modi, qui probabiliter, & arguitivè, ut mos eſt in ſcholis dici poſſet, nego conſequentiam, & totum id, quod ſubjungitur. Omnia ſunt clara, nec eſt, quod aliud addam.

Digitized by Google

Ad pag. 63. tom. 10.

89. DVm S. Auguſtinus refert ad Dei ſecretam voluntatem, quare Dominus permittat baptizari unum ex infantibus, & alium ante baptiſmum ſuffocari, mihi non obeſt. Ego quoque ad Dei voluntatem occultam referendum puto; cum enim mors, & vita in manu Domini ſit; quare Dominus permittat, unum ſuffocari ante baptiſmum; alium verò baptizari, Deo eſt attribuendum, cujus eſt vitam prorogare, & abbreviare.

90. Si dicas; ergo ſupponit Auguſtinus locum non eſſe ſaluti, cui baptiſmus deeſt ob ſuffocationis præventionem. Reſpondeo, non eſſe locum, &c. per medium certum, de quo ſolùm loquitur Auguſtinus concedo; ſupponit non eſſe locum, &c. per medium probabile, nego; imò nego ſuppoſitum, quod Auguſtinus de hoc verba fecerit, ſeù pro, ſeù contra; at ſimpliciter loquitur ſecundum ea, quæ pro certis ex fide habentur; & opus fuit certis uti ad oppugnandos Pelagianos, & Semipelagianos, contra quos ſua diſputatio dirigitur, qua profert, gratiam Dei non ſecundum merita accipientium dari; ergo à primo ad ultimum dicendum eſt, nihil, quod ſciam, inveniri apud Auguſtinum meæ opinioni contrarium.

91. Dum Auguſtini opera evolverem, occurrit alia legere, quæ ad rem facere videntur, teſtimonia, quibus quoque ſucceſſivè ſatisfit.

Tom. 3. pag. 187. ſi quæras quare Deus dat animas illis, quos abſque remedio ſalutari mori contingit. Reſpondet S. Doctor, quod divina inſtitutio, qua res, & rerum naturæ conduntur, nec peccato tollitur, nec violentia præpeditur. Et tandem poſt multa concludit; undè ſi aliqui ſub peccato geniti parvuli obeunt abſque remedio ſalutari, pertimeſce juſtitiam Dei, qui nihil debet alicui,

ſed

ſed damnat in ſingulis malum, quod non fecit in eis; Si autem parvulos renovat Sacramentis, admirare miſericordiam Dei; ipſi enim, ſicut neſciunt culpam, cum qua ex carne naſcuntur; ſic neſciunt gratiam, qua per Chriſtum renovantur. Non excuſat parvulos à culpa, quia eam non norunt, nec excludit gratiam ab eis, quia eam neſciunt.

92. Hujusmodi reſponſione S. Doctorem reſpondiſſe, non alienum à vero eſſe, ſed benè more ſuo ad propoſitam difficultatem ſuum prompſiſſe judicium, humiliter putandum eſt. Sed quid indè? Solùm probat non teneri Deum non creare animas in illis corporibus, & in illis hominibus, quos prævidit mori abſque remedio ſalutari, ea ratione ab Auguſtino aſſignata, quod inſtitutio divina, qua res, & rerum naturæ conduntur, nec peccato tollitur, nec violentia præpeditur, quod totum ultrò concedo. Eſt quippè admiranda miſericordia Dei, ſi parvuli Sacramento renovantur; pertimeſcenda juſtitia ejus, ſi ſine remedio aliqui obeunt. Et, ut uno verbo reſpondeam ad omnia ſimilia, D. Auguſtinum (quod etiam mos debet eſſe cujusque) noluiſſe infirmare certa, & indubitata admixtione incertorum; ſicque impugnando, docendo, loquitur de remedio ſalutari certo, quod eſt baptiſmus. Aliud autem, quod eſſe poteſt neceſſitatis caſu eſt incertum, & tantum probabile; aut, ſi certum certitudine more ſcholarum; quod aliud boni non facit, quam in periculis dictum votum proponere baptiſmi nam forſan proderit, ſaltem non nocebit infanti.

93. Tom. 7. pag. 137. hæc habet Auguſtinus: nulla igitur ex noſtro arbitrio præter baptiſmum Chriſti ſalus æterna promittatur infantibus, quam non promittit ſcriptura divina, humanis omnibus ingeniis præferenda. At hic Auguſtinus impugnat Pelagium, & Cæleſtium, qui docebant, Adam nocuiſſe ſolùm ſibi, non autem poſteris,

nec

nec ex ipſo contrahere peccatum originale. Putabant enim iſti hæretici, homines naſci cum eadem innocentia, in qua fuit conditus Adam; undè baptiſmus per eoſdem non erat neceſſarius ad ſalutem, nec infantes, morientes ſine baptiſmo, peribant ob peccatum ratione propriæ innocentiæ: At quia S. Scriptura, præſertim Joan. 3. premebantur; niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non poteſt introire in Regnum Dei, aſſerebant, baptiſmum eſſe neceſſarium ad obtinendum regnum Dei, non autem ad ſalutem. Quod abſurdum fusè pluribus in libris impugnat; ideò dicit: nulla igitur ex noſtro arbitrio præter baptiſmum Chriſti ſalus æterna promittatur infantibus, &c. quod totum conſtabit conſideranti ea, quæ Auguſtinus lib. 1. de origine animæ cap. 9. docuit contra Pelagianos: *non baptizatis parvulis nemo promittat inter damnationem, regnumque Cœlorum quietis vel felicitatis cujuslibet, atque ubilibet quaſi medium locum; hoc enim hæreſis Pelagiana permiſit.* Lib. 2. cap. 12. *novellos hæreticos Pelagianos juſtiſſimè Conciliorum Catholicorum, & Sedis Apoſtolicæ damnavit authoritas, eo quod auſi fuerint non baptizatis parvulis dare quietis, & ſalutis locum etiam præter Regnum Cœlorum.* Idem tract. 67. in Joan. lib. 1. de pecc. meritis, & remiſſ. cap. 28. ex quibus clarum eſt loqui contra Pelagianos volentes puerulos ſine baptiſmo decedentes ſalvos eſſe, eo quia peccatum originale negabant; & Chriſti baptiſmum non propter diſſolvendum originale admittebant, ſed ob Regnum Cœlorum; quas omnes ex Aug. authoritates fatetur Cardinalis de Laurea quamquam nobis adverſarius non opponi huic doctrinæ de baptiſmo; etſi ſe referat pro iſta oppugnanda ad Alphonſum de Caſtro. Quæ verò hic Doctor congerat contra, inferius expendenda ſunt. Eodem modo reſpondetur ad illud Aug. *firmiſsimè tene, &c.* relatum de conſe. dis. 4. aut ut alii volunt Fulgentii ad Petrum Diaconum cap.

27. cum

27. cum hoc loco appareat mens quæ fuerit Divi Auguſtini.

94. Eodem tom. 7. pag. 169. Remanet igitur originale peccatum, per quod ſub diaboli poteſtate captivi ſunt, niſi inde lavacro regenerationis, & Chriſti Sanguine redimantur, & tranſeant in regnum Redemptoris ſui, fruſtrata poteſtate captivatoris ſui, & data poteſtate, qua fiant ex filiis hujus ſæculi filii Dei. Huic authoritati ſufficit antecedens reſponſio, nam opponitur Pelagio, dicenti, infantem ſalvum eſſe independenter à lavacro ſalutari, vi cujus ſolùm volebat, fieri aptum regno Dei preſſus authoritate Joannis 3. non ergo facit ad rem noſtram.

95. Auguſtino addere poſſum Divum Gregorium lib. 4. moral. in 2. cap. Iob. Sanctus Pontifex miratur, enarrans quærelas ipſius Prophetæ: *Quare non in vulva mortuus ſum, egreſſus ex utero non ſtatim perii? Quare exceptus genibus? Cur lactatus uberibus? Nunc enim dormiens ſilerem, & ſomno meo requieſcerem*. De hac quærimonia ita admiratur, ut modo dicebam, S. Gregorius: *nunquid ſi egreſſus ex utero ſtatim periiſſet, retributionis meritum ex hac ipſa perditione ſuſciperet? Nunquid æterna requie abortivi perfruuntur? Quiſquis enim regenerationis unda non ſolvitur, reatus primi vinculis ligatus tenetur; quod verò apud nos valet aqua baptiſmatis, hoc egit apud veteres vel pro parvulis ſola fides, vel pro majoribus virtus Sacrificii, vel pro his, qui ex Abraha ſtirpe prodierunt myſterium circumciſionis; nam, quia unuſquiſque cum primi parentis culpa concipitur, propheta teſtatur dicens: Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea; Et quia is, quem ſalutis unda non diluit originalis culpæ ſupplicia non amittit, apertè per ſemetipſam veritas perhibet dicens: niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, &c. Quid eſt ergo, quod in vulva ſe mortuum fuiſ-*

Digitized by Google

ſuiſſe deſiderat, & potuiſſe ſe quieſcere ejuſdem mortis beneficiis ſperat, dum conſtat, quod nequaquam eum requies vitæ ſuſciperet, ſi à reatu illum originalis culpæ nequaquam divinæ cognitionis Sacramenta liberaſſent? Ergo (inferet aliquis ex D. Gregorio magno) unda ſalutaris eſt neceſſaria ad ſalutem, ut præter eam nullum ſuperſit medium in quolibet caſu, & eventu.

96. Reſpondeo, non aliter à D. Auguſtino intelligere D. Gregorium baptiſmum eſſe neceſſarium ad ſalutem; ſed D. Auguſtinus, ut dictum eſt ſupra prop. 2. aſſeruit eſſe neceſſarium, quia non omittendum, loquens de adultis, ſeù remedium ſit unda, ſeù pro Hebræis circumciſio, ſeù in lege veteri pro parvulis fides, pro majoribus virtus ſacrificii. Cæterùm non eſt D. Gregorii finis diſputare, an unda ſalutaris, in voto applicata caſu neceſſitatis valeat ad ſalutem infantis; Aliter hìc poſſem quæſtionem movere ex verbis S. Gregorii; ait enim: *Quid eſt, quod in vulva ſe mortuum fuiſſe deſiderat, &c. dum conſtat, quod nequaquam eum requies vitæ ſuſciperet, ſi à reatu illum originalis culpæ, nequaquam divinæ cognitionis Sacramenta liberaſſent. Nunquid æterna requie abortivi perfruuntur?* Ergo Iob, deſiderans mori in utero, malum ſibi deſiderabat, puta excluſionem à Paradiſo; ergo apud veteres pro parvulis ſola fides non agebat, quod nunc unda ſalutaris, contra quod docet idem S. Gregorius; probatur conſequentia, nam idem S. Pontifex invehitur contra Iob deſideria his verbis: *Nunquid æterna requie abortivi perfruuntur?* Ergo ſupponere videtur, quod ſi Iob fuiſſet mortuus in utero, & intempeſtivè, non fuiſſet pro eo remedium ſalutis, puta fides, per oblationem declarata; nam, ſi adhùc iſta profuiſſet, aut prodeſſe potuiſſet; quomodo dicit, quid eſt, quod in vulva ſe mortuum fuiſſe deſiderat, dùm conſtat, quod nequaquam eum requies vitæ ſuſciperet, ſi à reatu illum originalis culpæ nequaquam di-

vi-

vinæ cognitionis Sacramenta liberaſſent; ergo ſupponit peccatum originale non potuiſſe in illo deleri, ſi in vulva mortuus fuiſſet Iob, ſicuti, ſe mortuum fuiſſe deſiderat, cum exclamat: Quare non in vulva mortuus ſum? At neque Iob malum ſibi deſideravit, & totus Gregorii commentarius iſta rei diſcuſſione dirigitur, ut oſtendat aliud intellexiſſe Iob. Et quoad verba Gregorii nec dixit, nec dicere potuit, & ſignificare peccatum originale non potuiſſe in illo deleri, ſi in utero, & in vulva mortuus fuiſſet Iob; non enim oblatio facienda eſt manibus, quaſi pro parvulo moriente in vulva non potuiſſet fieri, & periclitans, moriensque infans offerri Deo, quod erat ordinarium remedium apud veteres pro omnibus parvulis, ſicuti pro hebræis maribus circumciſio, & pro Chriſtianis unda.

97. Gregorius ergo conſiderans verba Prophetæ, ſolùm reflectit, Iob non potuiſſe intelligere, ſe in pace quieſcere, ſi mortuus fuiſſet in utero; nam non poteſt quis à requie vitæ ſuſcipi, niſi reatus culpæ originalis auferatur; ſolùm quippè intendit exaggerare culpam originalem, quæ erat Iob impedimento, ut poſſet in alia vita quieſcere; ſicque, licet liberabatur ab ærumnis, quas paſſus eſt propter originale; non tamen, ſi mortuus fuiſſet, ut deſiderat, in utero matris, pace frueretur, quaſi beneficio mortis, quæ cum liberaſſet, nedum ab ærumnis, afflictionibus, quas toleranter paſſus fuit; ſed etiam ad pacem tranſtuliſſet conſequendam. Totum id patet, tùm ex ſequenti expoſitione in Iob ipſius D. Gregorii; tùm ex ſuis verbis: *quid eſt ergo, quod in vulva ſe mortuum fuiſſe deſiderat; & potuiſſe ſe quieſcere, ejuſdem mortis beneficiis ſperat*; ergo nil aliud ex ſuo diſcurſu ad propoſitum deduci poteſt ab adverſariis, quam, requiri ad delendum originale, & conſequenter ad requiem obtinendam, undam ſalutarem; ſeù in re applicatam, ſeù quandoque in votis, eſt extra ſcopum S. Gregorii, nec facit ad ſuum

ſtudium præſentis expoſitionis in Iob.

98. Demùm notandum eſt ſedulò ſuper ea, quæ ex D. Pontifice Gregorio habemus, quoad remedia peccati originalis pro omni ſtatu; ſcilicet, quod facit nunc nobis in deletionem culpæ originalis unda baptiſmi, id egit pro hebræis circumciſio, & in lege veteri ante circumciſionem, & poſt hanc pro eis, qui non fuerunt de ſtirpe Abrahæ, pro parvulis ſola fides in Mediatorem, in confuſo cognitum (non enim omnes prioris populi diſtincta notitia Mediatoris potiebantur) ſola quippè fides, ideſt, abſque exteriori ſigno declarata, & proteſtata per ſacrificia, oblationes, decimas, &c. pro majoribus virtus ſacrificii, ſcilicet, fides per ſacrificia proteſtata, & declarata, ſeù cum fidei extrinſeca proteſtatione. Intelligitur autem pro majoribus cum ſola ſuppoſitione peccati originalis, ut notabam num. 29. Nam propter delenda actualia oportebat, eos pœnitere, conteri. Adde ſacrificia erant in ſatisfactionem pro peccatis actualibus: Nec mirùm, ſi etiàm modo baptiſmus non prodeſt adultis, peccata actualia habentibus, niſi præcedat pœnitentia, & dolor, juxta illud: Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque veſtrum. Videri poteſt D. Thomas, Abulenſis, Bonacina, &c. ergo, dum ait Gregorius Papa: vel pro majoribus virtus ſacrificii, non eſt dubitandum, loqui de medicina originalis culpæ.

99. Ex hactenùs diſputatis ergo, falſum eſt, ut dicere quis poſſet ex Auguſtino, & Greg. non ſubſiſtere meam opinionem, à Cajetano tactam; cum nec verbum ullum in Auguſtino inveniatur, quod hanc quæſtionem determinet; ſed illud, quod affert Bellarminus ex epiſt. 28. ut dixi, non aliud ad ſummum probare poteſt, quam conditionem, & qualitatem baptiſmatis in voto. Videlicet, baptiſmum in voto non eſſe verificabilem, ſi, dum occurrerit opportunitas baptizandi, hæc negligatur; quapropter, ideò

ideò matres cum infantibus currunt,nam conſtat, præter baptiſmum nullum eſſe aliud remedium. Quomodo quidem erit baptiſmus in voto matris pro filio, ſi ad baptiſmum non currit, currendi opportunitate conceſſa? Concludendum eſt igitur, piè poſſe credi modo dicto infantes, in utero periclitantes, à ſalute æterna non exulare, præſertim, ſtante generali voluntate divina,in S.Scriptura manifeſtata ſalutis omnium hominum pro quovis ſtatu naturali, & ſtatus infantilis in utero eſt ſtatus naturalis. Quo poſito Deus videtur teneri, vitam prorogare pueruli; nam illud, quod dicitur, non obligari naturæ curſum impedire, mihi ex dictis non probatur, cum teneatur exequi ſuam voluntatem,quæ eſt de ſalute pueruli,quoad media ſufficientia ſaltem;ergo, cum non prorogetur,nam multi moriuntur, antequam in lucem ſe prodant; ergo, inquam, piè, & probabiliter credendum eſſe, non ambigitur, poſſe forſan ſalvari in baptiſmate, per voluntatem, & oblationem parentum applicato. Si quandoque, Deus miracula patravit, ut baptiſmus daretur,quod in hiſtoria deſcribitur Eccleſiaſtica, cujus exemplum unum ſit,quod nunc legere occurrit: dum fons è ſaxo manavit Romæ, ut baptizarentur Proceſſus, & Martinianus;cur erimus ſcrupuloſi circa divinam diſpoſitionem, quæ ſic provideat,aut providere teneatur, ut non moriantur in utero abſque remedio, & mihi ſufficit, quod phyſicè poſſint baptizari.

100. Quæres, quænam ſit dies baptizandi puerum, jam natum. Hæc quæſtio mota fuit tempore D. Cypriani: Dubitabant enim quidam, an pueri baptizandi forent octavo die, quia in veteri lege, non licebat circumcidi infantem, niſi octavo die.

101. Reſpondeo, baptizari poſſe qualibet die; ſic S.Cyprianus apud Auguſtinum tom. 10. pag. 68. *Propter quod neminem putamus ad gratiam conſequendam impediendum eſſe à lege, quę jam ſtatuta eſt, nec ſpiritalem*

circumciſionem impediri carnali circumciſione debere , ſed omnem omninò admittendum eſſe ad gratiam Chriſti, quando, & Petrus in actibus Apoſtolorum loquitur , & dicit : Deus mihi dixit neminem hominem communem dicendum , & immundum ; ergo poſſunt ſtatim ac nati ſunt baptizari, ſicque ſervari optarem, ut omne removeretur periculum . Quippè, ſi mos iſte obſervaretur , non poſſent conqueri, & triſtari parentes illi , de quibus dixit Auguſtinus: Plerumque feſtinare, ut baptismus detur , & antequam per miniſterium baptizantis ſuccurri poſſit, filii expirant ; ideoque mox ſupra dicebam, mihi ſufficere, quod phyſicè poſſint baptismate juvari, nec quid ultra prætendo : Nam poſito auxilio utili, & ſufficientia ſtante remedii, ſalvatur vera illa ſalvanda beneplaciti voluntas divina circa ſalutem omnium hominum.

102. Quæres 2. quodnam erat pro fœminis hebræorum remedium originalis. Reſpondeo illud idem , quod erat pro omnibus aliis præter maſculos de ſtirpe Abrahæ , pro quibus ſolis ſtatuta erat circumciſio ; videlicet oblatio earum, ſeù fides in mediatorem pro ipſis . Et forſitan etiam maſculi de ſtirpe Abrahæ, ſi moriebantur ante octavum diem ſalvari poterant per fidem in mediatorem, aliter non fuiſſet ſufficienter eis proviſum, quod ſupra ex Cajetano tactum eſt.

103. Apud Cardinalem Cæleſtinum Sfondratum de prædeſt. pag. 68. S. Ambroſius lib. 2. de Abraham , cap. 11. ſic ait: Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum Cœlorum : Utique nullum excipit , non infantem , non aliqua præventum neceſſitate : Habeant illi apertam pœnarum immunitatem, neſcio, an habeant regni honorem ; ergo alicui videri poſſet ex S. Ambroſio, noſtram doctrinam non ſubſiſtere.

104. Reſpondeo ex verbis D. Ambroſii potiùs meam reſponſionem pro concilianda divina voluntate ſalutis

cum

cum baptiſmo pro parvulis noſtris', ſtabiliri, quàm corruere. Cum enim ego dixerim non eſſe pertinaciter aſſerendum, noſtros parvulos perire, idem dubitativè dicit Ambroſius: Habeant illi apertam pœnarum immunitatem neſcio, an habeant regni honorem. Cæterum dicto Joannis 3. neminem excipi, intelligendum eſſe, cum opus neceſſitate non excluditur; aliter adulti per actum contritionis perfectæ, & dilectionis Dei ſuper omnia abſque baptiſmo ſalvari non poſſent; ergo, licet neminem excludat, etiam infantem, etiam aliqua præventum neceſſitate, ſolùm ſequitur, omnes fore baptizandos, omnibus, & ſingulis ineſſe debitum ſuſcipiendi baptiſmum, etiam infantibus, etiam prævētis neceſſitate aliqua, quod conceditur, eſtque de fide; nam de fide eſt, neceſſitate præventos, ordinandos eſſe ad baptiſmum, tanquam ad medium à Chriſto Domino inſtitutum. Neceſſitate præveniente, votum baptiſmi ordinatur ad baptiſmum in facto; Et voto non obſtante, adhùc baptizandi ſunt parvuli, ſi opportunitas concedetur: Hac autem non conceſſa, an habeant immunitatem pœnarum, an honorem regni, neſcit Ambroſius; Igitur non eſt obſtinatè aſſerendum, parvulos noſtros regni honore privari, ut in ſuperioribus paſſim notavi.

105. Similes Patrum authoritates innumeras reperiri, ultrò fateor; at, cum iſti non locuti fuerint, niſi de baptiſmo, prout eſt unicè certum remedium, nec quæſtionem moverūt, quam movit paucis Cajetanus, & quam fusè ego pertractare curavi; ideò nihil concludi poteſt ex iiſdem. Plures quæſtiones in dies determinatas conſpicimus, quæ prioribus ſæculis noſtris anteceſſoribus non occurrerunt. Et, ut alia ſilentio prætercam, noſtris diebus Sapientiſſimus P. Emmanuel Maignan ſententiam de ſpeciebus Euchariſticis, ita rationibus firmavit, cenſuras depulit, objectiones abiecit, ut, cum primitùs horrore

per-

perciti profeſſores eam objurgarent, nunc unanimi conſenſu plaudunt, & quaſi dicam, ſiluit omnis terra in conſpectu ejus; Non alia profectò de cauſa, niſi rationibus omnibus, per temporum intervalla penſatis. Vituperandus eſt ergo mos ille quorundam, qui ſtatim, audito novo, ut putant, dogmate, cõtradicere ſunt parati: Prudentis eſt ſcriptum examinare, tranquilla mente operis lecturam expectare, nam (ſicuti plerumque accidit) ſic contradicitur doctrinæ incognitæ, quam minimè negaſſent, ſi ei legendæ incubuiſſent. A ſimili prima propoſitionis facie de ſalvandis pueris noſtris in baptiſmo, votis ſuſcepto; extemplò, qui prudentes non ſunt, obmurmurant, non expectatis principiis, rationibus diſcuſſis, fundamentis, motivis, &c. Non expectato doctrinæ fundamentalis apparatu, vi cujus omnia argumenta adverſantia corruere conſpicerent, & præſertim in caſu noſtro, ubi agitur de concilianda divina voluntate erga omnium hominum ſalutem. Igitur, lector, lege, & meditare, quæ dico, & mea ſtudia fortaſsè arridebunt tibi, poſtquam videris aliorum inſufficientiam.

106. Inſufficientia hactenus oſtenſa eſt, & eò magis, quia concedit Cardinalis Sfondratus, pag. 95. num. 16. gratiam ſufficientem noſtris parvulis deeſſe quoad ſalutem; licet ipſe aliud excogitaverit beneficium, ipſis à Deo conceſſum, ut prop. 4. ergo dictus Cardinalis jam animadvertit non poſſe ſalvari Dei voluntatem ſalvandi illos puerulos per baptiſmum, & indè concedit, nullum eſſe remedium pro illorum ſalute; ergo aliorum reſponſio fuit etiam ab ipſo Doctore animadverſa inſufficiens: quãobrem excogitavit illud aliud beneficium, parvulis à Deo conceſſum, ſcilicet Innocentiæ perſonalis conſervatio, ſecuritas non peccandi. Et certè, ſi cognoviſſet remedii ſufficientiam pro parvulis ſine baptiſmo morientibus, quo ſalvari poſſent, non excogitaſſet majus, ut dicit;

bene-

beneficium illis tribui, &c. ſed ad merita Chriſti docuiſſet pertinere collationem gratiæ ad ſalutem æternùm conſequendam etiam dictis puerulis, ſaltem, ut prætenditur, qua ſalvari poſſint.

107. Nec quia certi non ſumus de ſalute per baptiſmum in voto ſuſceptum; ideò dicendum eſt fruſtra fieri, cum aliundè certi ſimus de Dei bonitate,& multa nos latent, quæ patebunt, dum Dominus, ut docet Apoſtolus, illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium 1.ad Corinth.4.Siquidem nos latet, an quidam philoſophi gentiles in ſinu Abrahæ ſuſcepti fuerint; & tamen quis ſcit, ſi forſitan plures, & plures æterna requie excepti fuerunt. De Socrate S. Juſtinus Martyr aſſeruit ſalvum eſſe. Idem dicunt alii de Hermete Triſmegiſto, de Platone, Seneca; ergo a ſimili.

108. Item inſufficientia adnotari poſſet ex eo quod in varias abierint opiniones ſcriptores pro concilianda neceſſitate baptiſmi cum voluntate Dei ſeria, impenſa, atque quantum de ſe efficaci ſalutis omnium. Aliqui ad naturæ curſum non impediendum à Deo; Alii ad defectum parentum; Alii ad improbam parentum vitam; Alii ad majus aliud beneficium loco remedii ad ſalutem. Relinquo Pelagianos, ut adnotavi cap.10.ergo cujuſque reſponſio inſufficiens eſt.

109. Dici optimè ergo poteſt,ſecundam conditionem vitæ humanæ ſic fuiſſe à Chriſto reparatam,ut pro ſingulis hominibus, & pro ſingulis parvulis fuerint ſalutis præſidia deſtinata; & conſequenter pro infantibus noſtris, de quibus nēpè ſermo eſt, ſufficere poſſe nō irreligiosè credi poteſt, baptiſmum, in voto alieno ſuſceptum ad ſalutem conſequendam, nec ſufficienter eſſet inſtaurata, quoad illa individua, ſi pro illis deeſſet remedium, prout jam de eſſe, oſtenſum eſt, & ultrò concedit, qui ſcripſit ante nos Cardin.Sfondratus, quamquam iſte aliam viam arripuerit;

rit; ergo, ne deeſſe remedium dicatur, quod dicere n efas eſt, & tandem prohibitum ab Inn.X. & Alex.VII. contra Janſenium, qui pro generibus ſingulorum, non pro ſingulis generum intelligebat illud Apoſt. Deus vult omnes homines ſalvos fieri, dicendum omninò eſt poſſe illorum individuorum hominum ſalutem comparari per baptismum, ut dictum ſatis eſt.

110. Neque juvat dicere, ut putat Sfondratus illos infantes non perire; Nam paſſim occurrit in S.Scripturis, excludi à Regno idem eſſe, ac perire; ideò enim Filius Dei venit, ut ſalvum faceret, quod perierat, ideſt exciderat è regno. Cæterùm ad regnum è quo tota natura exciderat ob peccatum primi hominis, iterum elevata fuit per Chriſtum Deum Salvatorem noſtrum; &, ut mox dixi, non ſolum quoad genera ſingulorum, ſed quoad ſingula generum. Fruſtra ergo dicitur non perire, quia pœnis non addicuntur.

111. Neque noſtros parvulos in loco ſacro non ſepeliri aliquid ad rem facit; nam, qui legerit Navarrum de Baptiſmo cap. 21. pag. *346*. ſcit, adhuc dubitatum fuiſſe de ultimis finibus Hiſpaniæ ſuo tempore, & eidem, an infans, qui baptizatus ſine ſolemnitate moritur, antequam illa ſuppleatur, poſſit in loco ſacro ſepeliri? Ex quo conſtat impertinens eſſe argumentari à negatione ſepulturæ corporis in loco ſacro ad negationem ſalutis; cum adhuc illa fuerit dubitata de baptizatis non ſolemniter, & tamen ſalvis per baptismum. Secundò quid dicendum de excommunicatis, quibus, ſeù quorum corporibus eccleſiaſtica denegatur ſepultura. Aliter loquendum de Eccleſia militante, aliter de triumphante. Plurimi gaudent cum Chriſto, quos in hac viſibilii Eccleſia ab eadem abſciſſa membra tenemus; Non ergo, inferendum eſt, noſtros infantes cum Chriſto in Cœlo non gaudere, quia defuit viſibile Sacramentum; ſi ſpirituale non defuit, nam votum

repu-

reputatur pro opere, ubi opus neceſſitas excluſit, ſcriptum reliquit Mag. Senten.

112. Neque item ratio medii ad ſalutem obſtat. Etenim Sacramentum pœnitentiæ lapſis poſt baptiſmum, medium ad ſalutem neceſſarium eſt, & adhuc ſine Sacramentali pœnitentia evenit ſalus, puta cum Dei charitate, & dilectione, aut vera contritione, & pœnitudine peccatorum. Imò ſine baptiſmo iiſdem mediis, mox narratis, adulti ſalvari poſſunt communi Theologorum ſenſu; ergo infantes quoque ſalvari poſſibile eſt in caſibus hactenùs expreſſis modo fusè in ſuperioribus dicto: nam, ſi ſalus adultis non prohibetur, adhuc baptiſmo non applicato; quanto magis infantibus non prohiberi credendum eſt per votum alienum, cum ipſis non propria, ſed aliena peccata remittenda ſint.

113. Neque inſurgendum eſſe quis benè exiſtimaret aſſignando diſparem rationem pro adulto, quatenùs hic, actum contritionis eliciens, compleret baptiſmi vicem. Nam, ut conſtat, & ex dicendis conſtabit iterùm; aliud eſt adultorum votum, aliud infantium. Pro adultis quippè, peccatis actualibus implicatis, opus eſt contritione, vi cujus gratia obtinetur: At pro infantibus ſolo originali adſtrictis, ut ab eo ſolvantur, illud votum ſolùm ſufficit, quod ei contrariatur; contrariari autem votum ſuſcipiendi baptiſmum, patet ex eo, quod pro originali non requiritur dolor, aut deteſtatio ex prop. 3. communi Theologorum ſuffragio cum D. Thoma. Voluntas verò baptiſmi proteſtativa aliena ſat eſt tum ob ætatis indigentiam, tùm ob culpam alienam; nam, ſicuti Adam nocuit poſteris, ſic juvare poteſt Chriſtus ſecundus Adam per voluntatem miniſtrorum, & diſpenſatorum ejus myſteriorum.

114. Adde, quod, ſi verum eſt Sacramenta ad ſalutem eſſe neceſſaria, ſeù in re, ſeù in voto, negari nequit poſſe puerulum ſalvari in voto, ſicuti adultum, ſalvo de-

ſcrimine ſtatus adulti, & puerilis, & conſequenter cum ſola diverſitate voti proprii, & alieni; &, ut expreſſiùs dicam, quòd inſinuatum eſt, & infra dicam, cum ſola varietate intelligentiæ voti pro adulto, & pro parvulo: Illo contrito; hoc volente Chriſtum induere: Illo Deum diligente ſuper omnia; hoc deſiderante Chriſti fidem: illo proprio conatu operante, & propriis viribus: hoc aliena vi, & alterius opera, cui commiſſus eſt, & ad cujus voluntatem dicitur velle ex D. Proſpero, & Auguſtino relatis num. 14. & 15. Neque mirum, nam aliena opera baptizatur in facto, & opere; igitur etiam alienis votis ſuccurri poteſt, eique ſubveniri neceſſitate, opus excludente, cui votum æquivalens reputatur pro opere, ſic docente Magiſtro ſententiarum.

115. Secunda igitur conditio vitæ humanæ ob lapſum, à Chriſto reparatæ, adhùc ſufficientiſſimè eſt ordinata ad æternam felicitatem per Sacramentum baptiſmi, ad maculam originalem depellendam; & prædeſtinatio in ſecundo ordine vitæ ſubſiſtit, quatenùs pro omnibus, & ſingulis, originali illaqueatis, utile remedium inſtitutum, eſt baptiſmus, lavacrum regenerationis, ejus neceſſitate intellecta, ut expoſui, & demonſtrativè deduxi.

116. Quo magis dicta hactenus pateant, omniſque dubitandi cauſa ſubducatur decrevi, omnes objectiones excogitabiles adducere; atque earum inſufficientiam, & vanitatem demonſtrare. Ex quo liquidum erit, benè, Deum providiſſe naturæ humanæ quaſſatæ per peccatum, ac iterùm elevatæ ad gloriam per gratiam baptiſmatis; proindequè optimè conciliari pro ſecundo ordine vitæ, prædeſtinationem generalem conditionatam omnium omninò hominum, & parvulorum ſignanter, de quibus nunc loquor cum neceſſitate applicandi baptiſmi ſalutaris revelata Joan. 3. & à Sanctis Patribus inſinuata in Eccleſia Dei contra Pelagianos.

117. Dignum exiſtimavi hanc quæſtionem altè revol-

volvere, & omnia objecta ad apices uſque juris reſolvere; ne vel minimus ſcrupulus cuique remaneat, ipſa tacta, & haud ſoluta, ideoque erit mihi in laudem vertendum doctrinam de baptismo in voto alieno ſuſcepto pro quorumdam puerulorum ſalute, in utero matrum morientium velitaſſe Scholarum more; erit quippè exindè commendanda divina benignitas, & ſumma miſericordia Dei in reparatione humanæ vitæ primi hominis lapſu quaſſatæ, & confractæ.

Objecta ducta à ratione afferuntur, & ſolvuntur.

OBJECTIO PRIMA.

118. PEti poteſt ex eo, quod nemo dicitur renaſci, niſi ſupponatur natus; per baptiſmum homines, infantes, &c. renaſcũtur juxta Dei verbum ſcriptũ: Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu S. non poteſt introire in regnum Dei; ergo nemo ſalvari poteſt per baptiſma, niſi natus ſupponatur, ut ablui quidem queat; & conſequenter morientes in utero matrum, dummodo haud viventes naſcantur, non prodeſt eis baptiſmus, quia iis applicari non poteſt.

Ut hujus, quod nobis objectum eſt, pondus clarè concipiatur, appareatque eſſe momentaneum; opus eſt objectionem undique evolvere.

119. Primò igitur ultrò concedo, neminem renaſci ex aqua, &c. niſi natus ſupponatur, & conſequenter nemo ſalvari poteſt per baptiſma, ſeu per aquam, & ablutionem Sacramentalem; niſi natus ſupponatur, ut ablui, ut in objectione dicitur, queat; & conſequenter baptiſmus non prodeſt, nec prodeſſe poteſt, niſi natis; ergo baptiſmus, vi cujus homo renaſcitur, ſupponit hominem jam natum, cum homini adhùc non excluſo ab utero ap-

plicari nequeat. At quid exindè contra nos? Certè niſi quis fuerit renatus, &c. non poteſt introire in regnum Dei; nam, ſi ſupponitur natus, atque in lucem viſibilem datus, renaſci debet in Chriſto. Et cum natura ſupponatur ad gratiam; ly naſci præſupponitur ad renaſci; Igitur dum Chriſtus ait: Niſi quis fuerit renatus; jam hæc locutio præſupponit homines natos, de quibus, ut ſalvari poſſint, dicit debere renaſci. Quod ſi velit objectio ex vi locutionis Chriſti, præſupponi debere nativitatem, ut renaſci poſſit infans, concedo quoad ſanctificationem, corporaliter adhibendam. Etenim aqua tingi infans non poteſt, niſi natus; & conſequenter, niſi quis fuerit renatus ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei, & conſequenter hac acceptione ex vi locutionis Chriſti ſupponitur infans excluſus. Undè ſolùm ex hoc colligi poteſt contra hæreticos illos, putantes infantem, adhùc non excluſum aqua baptizari poſse; & ſic intelligitur id quod affertur ex Iſidoro de conſe. diſ.4. can.115.

120. Secundò. Principii petitionem manifeſtam includit, cum enim dicam infantes non natos, ſed vitæ periculum ineuntes, atque jacturam in utero vitæ ſuſtinentes, baptizari poſſe in propoſito fide, & affectu aliorum, alterutrius v.g. parentis; Conſequenter aſsero renaſci. Id tamen negat objectio; ergo petit principium; nam, ſi per ly renatus intelligit præſuppoſitionem nativitatis, hoc eſt partus, & nativitatem confundit cum partu; id quippè eſt probandum; cum id negem.

121. Tertiò. Objectio nil probat; probat enim ſolùm baptiſmum in ſe, & formaliter non poſse applicari, niſi natis, quod ſpontè concedo, ut ſupra dicebam; nam exterior, & corporaliter adhibita per aquam ſanctificatio Sacramenti non poteſt exerceri, niſi infantes in lucem prodierint viſibilem. At non probat, quod renaſci non

poſſint

poſſint inviſibiliter per applicationem Sacramenti voluntate, & fide; nam ad hoc minimè opus eſt, ut ex utero matrum excludantur.

122. Quartò reſpondeo, Sacramentum baptiſmi à pluribus, imò ab omnibus dici Sacramentum regenerationis, ut S.Thom. quæſt. *66.* artic.1. ad 2. ex Apoſt.Petro ipſe, ſicut alii S.Patres aſsumens ſimilem locutionem. D.Petrus namque epiſt.1.cap.1.inquit: Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui ſecundum miſericordiam ſuam magnam regeneravit nos in ſpem vivam. Aug. lib.2.contra Pelag. de baptiſmo parvul.ad Marcelli: pag.mihi 14*6*. poſt alia ſic ait: Sacramentum autem baptiſmi profectò Sacramentum regenerationis eſt. Et infra: Damnationem veteris hominis debitam Sacramento ſpiritalis regenerationis, & renovationis evadunt. Concilium Tridentinum ſeſs. 5. Propter hanc enim regulam fidei ex traditione Apoſtolorum, etiam parvuli, qui nihil peccatorum in ſemetipſis adhuc committere potuerunt, ideò in remiſſionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod in generatione contraxerunt; niſi enim quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non poteſt introire in regnum Dei. En quomodo per ly renatus idem intelligitur, ac regeneratus, & per ly natus, genitus; ut ergo proſit infantibus baptiſmus, non eſt ſimpliciter neceſsarium in quovis caſu, quod ſint in lucem excluſi ſenſibilem, matrum partu; ſed ſufficit neceſſitatis quibusdam caſibus ad hoc, ut verificetur ly renaſci, ut propoſitum eſt; quod nempè præſupponantur geniti, & ſecundùm ſe in mundo nati, ſecluſis matribus, qua parturientibus, earumque fœtus excludentibus. Quodque, ut patet, notentur verba Concilii: Ut in eis regeneratione mundetur, quod in generatione contraxerunt; quod alia phraſi idem eſt, ut renaſcantur, & renaſcendo mundetur, quod in nativitate contraxerunt;

runt; at non poteſt catholicè dici, peccati originis maculam fuiſse contractam in nativitate, ſumpta pro partu ergo ly natus intelligitur genitus ſecundum ſe, & in lucem exiſtentiæ proditus; ergo ly renatus intelligitur regeneratus.

123. Quinto. Si naſci in præſenti intelligeretur per partum extra uterum eſse; baptiſmus ſanguinis non prodeſset pueris, in utero exiſtentibus; Si enim aliquis infans in ventre matris denominativè occideretur, occiſione nempè matris propter Chriſtum; ferè omnes aſserunt, puerulum illum baptizatum fore quoad effectum baptiſmi; & tamen ſuppono, ſolam matrem paſsam à Tyranno; filius quippè, ſi moritur, non ex martyrio propriè moritur, niſi matris; & decedit è vivis, ut occumberet, ſi aliæ cauſæ vitam interciperent matris; undè vitam non claudit ex martyrio, niſi per accidens, quatenus mater vitam fovere nequit pueruli. Addc ſupponamus matrem, martyrio defunctam, & exindè uteri ſectione, vel alia de cauſa infantem vivum naſci. Quid dicendum de tali parvulo; eſset ne juſtificatus antequam baptizaretur baptiſmo aquæ? Non deſunt, qui dicant eſse jam juſtificatum; & rationem aſſignant, quia proles cenſetur eſse aliquid matris; ſicque, dum mater martyrio afficitur, cenſetur martyr puer, licet in caſu expreſso non ſit mortuus; ergo infero ſic, non eſt neceſse, ut aliquis ſit natus, ut poſſit lavacro regenerationis mundari per vim deſiderii; nam puer ille baptiſmo ſanguinis mundaretur, & ſanguine nō ablueretur ipſe, prout ipſe, ſed ipſe ratione matris ſuæ, cum qua cenſetur unum, & ideò quia cenſetur unum; ergo etiam puer exiſtens in utero mundari poteſt, & renaſci per baptiſmum, voluntate applicatum; quia, licet capax non ſit, ut abluatur aqua, poteſt tamen ablui in deſiderio, propoſito, &c. alterius, cum quo cenſetur moraliter idem; ſicuti per martyrium matris, martyr eſt filius.

Con-

Concludendum eſt ergo, quod ly renaſci idem eſt ac regenerari, ſeù lavacro regenerationis mundari; proindeque ſupponit ly generari.

124. Sextò reſpondeo, quod ſi renaſci ſupponeret partum, & hic eſſet neceſsariò præſupponendus adhùc argumentum non prohiberet infantes natos, in periculo conſtitutos defectu inculpabili poſse per voluntatem, votum, ſeù propoſitum baptizari; ergo objectio non facit ad rem.

125. Demùm non mirum poſſe puerum in caſu, &c. baptizari per alterius deſiderium, & invocationem Sanctiſſimæ Trinitatis, cum non deſint caſus, in quibus poſſunt baptizari baptiſmo ſanguinis non ſolùm ſine propria voluntate, ſed etiam aliena, ut Innocentes, quorum non adfuit propria voluntas, neque aliena; nam Herodis votum fuit eos occidendi, non autem in Chriſto regenerandi, & mea ſimilitudo ſtat in hoc, quod poſſunt infantes ſanguinis baptiſmo tingi abſque propria, & aliena voluntate. Item baptiſmo aquæ abſque voluntate propria; non tamen ſine aliena, ut conſtat de infantium baptiſmo, pro quo exercēdo requiritur intentio miniſtri; ergo in aliquo neceſſitatis caſu non mirum, ſi infans intelligatur baptizatus, quoad fructum baptiſmi in voto alieno, ſeù per alterius pro eo deſiderium, & Sanctiſſimæ Trinitatis invocationem.

OBJECTIO SECUNDA.

126. INfantium votum, & propoſitum eſſe nequit; ergo baptiſmus in voto, &c. non eſt pro infantibus; probatur conſequentia: Votum ſiquidem cedit in beneficium voventis, atque propoſitum elicientis; ergo cum non poſſint infantes pro eo ſtatu vovere, proponere, &c. ſequitur, baptiſmum in propoſito, & votis applica-

tum

tum non eſſe pro infantibus, ſed pro adultis.

127. Reſpondeo, ſi votum, & propoſitum alienum non ſufficeret pro parvulis in remedium peccati originalis in caſu neceſſitatis inculpabilis; Deus pro ſingulis ſtatibus non providiſſet ſuæ redemptionis beneficio de remedio utili originalis culpæ; hoc non; ergo. Demonſtratur major: Baptiſmus ſecundum ſe eſt inapplicabilis in utero matris morientibus, qui tamen, ut ſupponitur eſt inſtitutus à Chriſto in eorum remedium. Parvuli illi in ventre matris non poſſunt ex ætatis indigentia proprium habere propoſitum ſuſcipiendi; ergo dicendum eſt in iſto caſu, baptiſmum in facto ſuppleri per baptiſmum flaminis (quam ſuppletionem interdum apud adultos fieri novum non eſt) non proprii, quia exigeretur impoſſibile; ergo alieni. Confirmatur, nam adulti eatenus debent habere flamen proprium, vi cujus urgente neceſſitate baptizantur, de quo nemo dubitat, quia ſunt capaces rationis; ergo parvuli, cum non ſint capaces rationis, ſufficit voluntas aliena, ut baptiſmi fructum recipiant.

128. Reſpondeo ſecundò, adultos, ut ſenſus fert communis, duplici de cauſa opus eſſe habere voluntariam baptiſmi acceptationem; imò cordis converſionem ad Deum, quæ non poteſt ſubſiſtere ſine propoſito ſuſcipiendi, ut loquitur Triden. ſeſſ. 14. cap. 4. & notavi cap. 10. prop. 2. Prima eſt, quia ſupponuntur peccata actualia in ipſis; Conſequenter per veram cordis converſionem debent ipſi ſecundum ſe habere propoſitum. Alia eſt, eo quia rationis ſunt capaces, & propoſiti, & Deus non ſalvat nolentes; quapropter in adultis voluntaria acceptatio exigitur. Ambæ tamen cauſe deſunt in puerulis; ergo non requiritur in infantibus proprium, & voluntarium propoſitum; ergo ſufficit pro ipſis alienum: Præcipua tamen cauſa eſt negatio præſuppoſitionis delictorum propriorum; nam ſi per hypotheſim ſupponeretur anima creata

ante

ante infuſionem corpori, & quæ proprio peccato actuali deliquerit; certè dum corpori infunditur, puer ille deinceps non poſſet baptizari in voto alieno; ſed requireretur proprium, ni Deus ſpeciale privilegium concedere vellet.

129. Reſpondeo 3. etiam propoſitum alienum dici poſſe proprium infantis, quatenus, cum parentes baptizare proponunt toto conatu, & affectu filium; filius cenſetur velle; ſicque, licet phyſicè, & propriè ſit alienum, tamen moraliter eſt pueri; vel quia vovent pro puero, eorum curæ commiſſo, & ſic cenſetur puer velle cum illis, & per illos velle; vel quia filii ſunt moraliter unum cum matre, dum adhùc ſunt in utero, & quaſi appendix ſunt matris: partus enim dicitur pars viſcerum maternorum; vel quia, cum quilibet in caſu neceſſitatis ſit baptismi miniſter, velle ipſum miniſtrum ex officio, & inſtitutione Chriſti, eſt moraliter velle puerum, ut ex ſequenti reſponſione clarè conſtabit.

130. Reſpondeo 4. principaliter monendo lectorem, ut advertat, & recogitet, peccatum originale aliena voluntate contractum eſſe; & licet dici poſſet proprium proprietate contractionis, in quantum verè à nobis contractum eſt, & in nobis, ut ſic dicam, inhæret, attamen non per propriam, ſed alienam voluntatem contraximus; ergo ad regenerationem non mirum, ſi ſufficit propoſitum alienum; &, ſicut Adam nocuit poſteris; ita potiori, & copioſiori titulo profuit ſecundus Adam Chriſtus; Cur ergo, ſi voluntas Adæ eſt in cauſa, ut contractum ſit peccatum in poſteris; Chriſtus, & voluntas miniſtrorum Chriſti, quæ unum moraliter cum Chriſto eſt, non prodeſt ſaluti infantium; ſed, ut dictum eſt quilibet homo eſt miniſter baptismi; ergo per propoſitum alienum in caſu neceſſitatis, quo non adeſt inculpata opportunitas baptizandi, infantes peccato originali mundari poſſunt; aliter plus nocuiſſet Adam, quàm profuiſſet Chriſtus contra id,

quod aſſerit ſcriptura.....

131. Dices: Adulti debent velle, ut jam poſſunt, baptiſmum; Infantes verò, ſicuti non poſſunt, ita nec tenentur velle; hoc enim veriſſimum eſt; Aliud attamen eſt dicere, adultos propria voluntate ſuſcipere baptiſmum, infantes verò minimè, quod conceditur. Aliud, quod adulti propria voluntate ſuſcipiunt baptiſmum in voto, ſeù habent, ſicuti habere poſſunt propoſitum ſuſcipiendi: quia poſſunt adulti, ideò baptiſmus flaminis eſt pro adultis; ergo infantes, cum non poſſint, non prodeſt eis, niſi viſibiliter, & ſacramentaliter applicatus.

132. Reſpondeo, fruſtra dici, quod in inſtantia recitatur; nam adulti propriam voluntatem habentes ſuſcipiendi, antequam ſuſcipiant caſu aliquo, quo vita pereunt, ſalvantur, & intelliguntur ſpiritaliter baptizati; & ideò tenentur propria voluntate intendere ſuſceptionem Sacramenti, cum habeant uſum rationis, etſi non recipiant; ergo infantes, etſi non recipiant, ut ſalvari posſint, non requiritur voluntas propria, ſed ſufficit aliena; nil ergo diſparitatis affertur in inſtantia, nam baptiſmus in voto ordinatur ad baptiſmum in re; Ad Sacramentum baptiſmi in adultis eſt prævia voluntas ſuſcipiendi baptiſmum, quia rationis ſunt capaces, etiamſi non ſuſcipiant; ergo ad baptiſmum, ſeù ſuſceptum, ſeù ſuſcipiendum, cum non ſint capaces rationis, ipſi infantes non tenentur habere proprium actum, ſed ſufficere poteſt propoſitum alienum. Ratio eſt, quia Deus ſalvat volentes; vult ſalutem infantium; non vult ſalutem infantium volentium, nam deſtrueretur ſuppoſitio ſtatus; ergo vult ſalutem infantium volentium voluntate aliena; ergo, facta diſtinctione ſubjecti ſecundum ſtatum; pro adultis requiritur voluntas propria; pro parvulis ſufficit voluntas aliena.

OBIE-

Digitized by Google

OBIECTIO TERTIA.

133. DVm Hiſpaniam anno 1697. ad comitia celebranda generalia, adirem, inter familiaria colloquia, dum meam mentem circa ſalutem parvulorum aperirem uni ex noſtris A.R. nempè Patri Joſeph Maſcheronio, Mediolanenſi, tunc Italiæ Provinciarum Vicario generali, ſic mihi objecit inter alia, oſtendens, non poſſe puerulos in utero matris baptizari in voto, & oblatione parentũ, aut aliorum. Si hæc doctrina ſubſiſteret, & locum haberet, poſſent de facto ſanctificari parvuli in utero matris, etiam in ſecundo inſtanti poſt animæ in corpore infuſionẽ, quod nefas eſt; cum nonniſi paucis duxerit Deus id concedendum teſte S. Scriptura; probatur aſſumptum; nam mater poſtquam concepit, conſcia hujus vitæ periculorum in ſuæ detrimentum æternum prolis, poteſt habere propoſitum, & vovere baptiſma in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis pro ſuo Filio; igitur in iſto caſu ſanctificaretur puer, & tolleretur peccatum originale, quatenus baptizaretur, quoad effectum Sacramenti; licet non in re, & opere, ergo, &c.

134. Hoc argumentum diſſolutum fuit ex lege noſtræ fundamentalis doctrinæ, quæ ſupra prop. hac 5. præſertim n. 18. notata eſt; undè, quaſi præviſa fuerit hæc objectio, & ſimul præfocata. Reſpondetur ergo votum in caſu noſtro reputari pro opere, ubi opus neceſſitas excluſit, ut inquit Mag. Senten. ergo infantes illi non ſanctificantur in utero, niſi caſu aliquo neceſſitatis, quo periculum damnationis imminet. Illi verò eximiè dilecti, quos Deus in utero ſãctificavit, ſunt extra regulam noſtram, nec par eſt ratio, ſed tam diſpar, ut omnium oculis ſit conſpicua.

OBJECTIO QUARTA.

135. POſita hac doctrina nos poſſemus vovere baptiſma pro omnibus parvulis:Imò in voto S. Matris Eccleſiæ, quæ exoptat ſalutem omnium; omnes infantes etiam paganorum,hebræorum ſalvarentur, hoc videtur abſurdum; ergo. Probatur; aliter non daretur limbus, qui dicitur infantium.

136. Reſpondeo primò,votum S.Matris Eccleſiæ,quæ exoptat, &c.eſſe orationem, qua Deum precatur, ut omnes ad finem vocare dignetur, quia, ut mater pia, & amans,ſequens monitum Apoſtoli 1.ad Timot.2. orat pro omnibus, ut ad agnitionem veritatis veniant; Sicque non eſſe propoſitum dandi baptiſmum omnibus, & ſingulis eo modo, quo orat, ut omnes adulti ſalventur, ſcilicet orat, ut Deus det eis gratiam, & abundantiam ſuorum auxiliorum. Pro parvulis quidem orat mediatè, ut ſic dicam, nempè, ut omnes curare dignetur, ut baptizentur, ſaltem quoad ſufficientiam remedii pro originali delicto, quod aliud non eſt, ut infideles ſuſcipiant fidem Chriſtianam. Sic profectò parentes curarent, filios baptizari, & haberent auxilium proximum proximè ſufficiens; vel etiam, ut in facto applicetur baptiſma, deprecatur Eccleſia; non autem, quod applicet in propoſito,& in votis baptiſmum; Ita quippè ſoluta eſſet quæſtio in omnium favorem parvulorum.

137. Reſpondeo 2. negando majorem, ratione quia baptiſmus in voto ordinatur ad baptiſmum in re, ut conferendum; quem dico ſufficere in caſu inculpatæ neceſſitatis,quo baptiſmum exhibendi voluntas aufertur,ac poteſtas. Si enim nos voveremus baptiſma pro infantibus infidelium in diſſitis regionibus; noſtrum propoſitum non eſſet conferendi baptiſmum, quia in facto, nec conferimus,

mus, nec conferre iisdem poſſumus, poſtquam ex utero matrum excluſi ſunt, & eſſet propoſitum ſub conditione impoſſibili; ergo non eſt propoſitum, niſi ideale, & ſpeculativum, non practicum, ſeù de ſe ordinatum ad Sacramenti poſitionem; ſicuti, ſi diceremus; Deus poteſt peccare, ſi vult, idem eſt ac dicere, Deus non poteſt peccare, & ratio eſt, quia non poteſt velle. Ita, cum nos non poſſimus velle baptizare in re infidelium diſſitos infantes; dici nequit, quod verum habeamus propoſitum eos baptizandi. Poteſt ergo hoc propoſitum ſic reſolvi; Si eſſem ibi, puta in Aphrica, & conſequenter poſſem baptizare, vellem, & proponerem, ipſos abluere ſacramentaliter; hæcque reſponſio ad plura ſimilia argumenta refellenda, quorum unum, aut alterum afferam mirè cohærenter juvat.

138. Reſpondeo tertiò, advertendum eſſe ab arguente, quod, ſicut forma baptiſmi in re reſpicit perſonas determinatè ſumptas, & cognitas à baptizante; ſic propoſitum baptizandi eſſe nequit in confuſo, vagè, & indeterminatè per individua vaga. Is enim, qui intendit baptizare, ſibi aliquem præfigit, qui ſit capax ſuſcipiendi baptiſmo: qui non eſt, non eſt capax ſuſcipere baptiſmum; ergo nulla eſt intentio conferendi baptiſmum non exiſtenti; ergo non poſſumus vovere baptiſma pro filiis naſcituris in futurum neque fidelium, neque infidelium. Ii verò, qui ſunt geniti, & in utero matrum, ſic ſe habent, ac ſi non eſſent, quoad verificandum baptiſma, dummodo non ſunt individua determinata, determinatè cognita, ergo, &c.

139. Dices: ſumamus individua determinatè cognita; v. g. intendo baptizare filium Petri, Romæ exiſtentem, etiam ſi velis, in utero ſuæ matris adhùc concluſum, habemus individuum determinatum, & determinatè ſumptum; ergo in caſu, quo ſimile propoſitum non haberet ejus mater v. g. & urgeret aliundè periculum, quo non produceretur parvulus ille ad baptiſmum, deberet eſſe eo tunc juſtificatus, &c.

140. Re-

140. Reſpondeo individuum, dum dixi determinatè ſumptum, intelligi non debet ſpeculativè per actum intellectus terminantis; ſed determinatè ſumptum ad verificandum Sacramentum baptismatis, ideſt determinatè Sacramentaliter ſenſibiliter. Materia enim Sacramentorum debet eſſe determinata præſens ſenſibilis, quippè non intendimus baptizare, ſicut nec baptizamus, aut baptizare valemus, niſi perſonam præſentem; nam ablutio, quæ eſt materia proxima baptiſmatis non eſt niſi ſenſibilis, & ſenſibilis ſubjecti abluendi, ut verificetur Sacramentum; ergo propoſitum abluendi, ut ſubſiſtat, eſt circa ſubjectum ſenſibiliter determinatum. Et ut rem iſtam ulteriùs exponam, quæro ego, cur in Sacramento baptiſmi requiritur particula demonſtrativa *Te* Ego baptizo *te*, non autem in Sacramento pœnitentiæ, ut aliqui doctè dicunt; ergo non mirùm, quod eſſe debeat præſens ſubjectum baptizādum; quippè, cum Sacramentum baptiſmi exerceatur per ablutionem, debet exprimi ſubjectum, quod abluitur. Sacramentum verò pœnitentiæ, cum ſit per modum judicii, ſufficit, quod cauſam habeat rei, ut judicare poſſit, & abſolvere abſque particula demonſtrativa.

141. Quod ſi teneas cum aliis etiam in abſolutione requiri particulam oſtenſivam *te*; ſicque docere velis, quod, ſicuti abſolvi poteſt abſens; ita fieri quoque poteſt propoſitum baptizandi abſentem. Reſpondeo, diſparitatem non aliter ſumendam eſſe, quàm à natura diverſorum Sacramentorum; Si enim valeret argumentum, inferri poſſet; ergo etiam baptizari poteſt abſens, quod eſt apertiſſimè falſum. Baptiſmus, cum ſit ablutio verificari nequit circa ſubjectum diſſitum; ſed nonniſi circa ſubjectum præſens, determinatum tali præſentiæ determinatione, quæ ſit ad contactum. Abſolutio verò, cum ſit actus judicialis, proferri poteſt habita rei cauſa, etiam ſi reus ſit abſens; & in hoc latum eſt diſcrimen; dato requiri particulam *Te* in

abſo-

abſolutione, atque abſentem abſolvi poſſe;Hæc certè abſentia, ſeù diſtantia patitur ſuos gradus; undè quæ diſtantia ſufficit ad abſolutionem minimè ſat eſt ad ablutionem, etiamſi per aſperſionem conferretur baptiſmus: quomodo conferri licitum eſſe , concedunt plures ; Igitur minimè colligitur , ſi daretur æquè particulam *Te* requiri in baptiſmo, ac pœnitentiæ Sacramento , dum profertur abſolutio, poſſe abſentem baptizari, ſicut poteſt abſolvi. Adde quis dicet, hominem exiſtentem Romæ poſſe baptizari à me, exiſtente Paulæ, niſi inſanus; ergo non currit paritas, conceſſo, poſſe abſolvi diſtantem pœnitentem,Imò nego, poſſe abſolvi pœnitentem abſentem , qui per epiſtolam ſua confeſſus eſt peccata;Sic putat Valentia tom.4.diſput. 7. quæſt.*11*.punct.1. Suarez diſp.*19*. ſect. *3*. Tolet. lib. *3*. cap.*6*.Henriquez lib.5.cap.2.& ſuper hoc adeſt decretum Clem.VIII. & eruitur ex Tridentino ſeſſ.*14*.cap.2.

142. Habemus ergo paritatem his poſitis , tùm quia in utroque requiritur particula oſtenſiva *Te*,& in utroque pariter verum eſt dicere, abſentem non poſſe abſolvi , nec baptizari; ergo neque propoſitum ſubſiſtit baptizandi abſentem. Quomodo enim intelligitur baptiſmus in voto alicujus, qui nunquam eſt baptizandus culpabiliter ; ergo à pari, qui habet propoſitum baptizandi pro altero , qui nunquam eſt ab illo baptizandus,propoſitum ei non ineſt, niſi vocetenus. Ut autem iſtud oſtendam manifeſtè,notandum eſt, adultum v.g. qui ſuſcipere intendit baptiſmum, & membrum fieri Eccleſiæ , non intendere propoſitum baptiſmi, ſed baptiſmum in re, ni ſit verborum , & mentis luſus ; ergo cum infans abſens nequeat baptiſmo ablui ; adultus, qui pro eo ſuſcipit baptizandi propoſitum , non intendit verè baptizare, nam intenderet aliquod impoſſibile, ut fiat ab ipſo; ergo non intendit baptiſmum in re, ſed in propoſito, quod videtur ridiculum; nam,cum non poſſit intendere infantem ſubjicere baptiſmo , non poteſt

ei ineſſe verè,& non ſolùm linguosè propoſitum baptizandi, & conſequenter baptiſmus in voto eſt chimericus pro abſentibus; Ita ut dixerim prop. hac 5.num.28. ſolummodò matri debitum ineſſe baptizandi in propoſito, atque in votis ſuos filios, quam propoſitionem lege per totam.

143. Dixi: Æquè non poſſe abſolvi diſtantem,ac baptizari: In hoc autem adhùc ſua ſubſiſtit diſparitas ex natura Sacramentorum ſuborta. Ad abluendum quidem ex natura ablutionis requiritur certa proximitas, quæ non requiritur ad actum judicialem abſolutionis.

144. Dices: Non ſufficit contritio pro alio; ergo neque propoſitum baptiſmi pro alio, etiam præſenti in caſu neceſſitatis. Quis non videt negandam omninò paritatem eſſe; Ad peccata profectò actualia,cum ſint perſonalia per propriam voluntatem motu proprio contracta; ut deleantur requiritur retractatio propria,nec ſufficit alium retractare. Adhùc enim alio retractante, perſeverat moraliter peccator in propriis delictis; ergo requiritur propria ad Deum converſio, ut fuit propria averſio. Adde, quod ſecundum præſentem providentiam neque Deus poteſt remittere peccatum non retractatum à peccatore; cur ergo alius homo à peccatore erit ſufficiens per modum, ſaltem diſpoſitionis, ad peccati condonationem. Imò probatum eſt capite 6. nullo modo poſſe remitti peccatum, non retractatum; ergo, quamvis alter retractet, Deus non condonat, aliter, quod non poſſet facere Deus ſolus, abſque motu peccatoris, faceret alia creatura, ut Deus, nempè remittat. Infantes igitur, cum careant culpa actuali, non eſt, cur ipſi proprio motu debeant moveri;ergo ſufficit alterius voluntas, nam ſicuti per Adam primum hominem contraxerunt maculam originalem; ſic quoque ſufficit, ut per alium hominem tolli poſſit in propoſito,votis,&c.ſicuti de facto tollitur in re opera aliena.

145. Reſpondeo 4.me in præſentiarum non aliud velle,

le, quàm Deum nullum parvulum antecedenter reprobare, aliter non omnes, & ſinguli homines comprehenderentũr ſub illa generali voluntate ſalutis; ſicque quæſtionem movi pro filiis fidelium, morientibus in uteris matrum. Quod enim filii paganorum non ſalventur, voluntas eſt parentum, nam eorum fides multum prodeſt infantibus, ut nempè ad baptismum perducantur; igitur Deus voluntate conſequenti reprobat infantes infidelium excludendo à Regno. Filii quippè, cum ſint parentum curæ demandati, quod non ſalventur per baptismũ, in cauſa ſunt parentes ipſi, ſi fidem Chriſti ſuſcipere nollent; nō eſt ergo cur ſimus ſolliciti de eorum ſalute, cum patentem habeamus abſque divinæ bonitatis præjudicio cauſam, cur pereant. At de filiis fidelium in utero periclitantibus pro ratione aſſignare nequimus, ſi pereunt, cur pereant voluntatem parentum, eorumdem libertatem; ergo dicendum eſſet, Deum velle excludere ipſos à regno antecedenter. Minor oſtenditur, quia, ſi non ſuppeteret baptizandi poteſtas eos in flamine, nullum ſupereſſet remedium, quia unicum eſt, ſcilicet baptisma, cujus ſupponimus inapplicabilitatem inculpabilem.

146. Ex his confirmatur doctrina ſupra tradita, ſcilicet nos non poſſe filios infidelium abſentes, & ſimpliciter abſentes quosque perducere ad ſalutem per baptismum in propoſito. Si Deus videns illos à parentibus non baptizari, neque in voto (eo quia, cum fidem non profiteantur omnis locus ſimilia adhibendi non ſupereſt) illos reprobat conſequenter: etiam reprobati cenſentur, ſi nos pro illis proponamus lavacrum regenerationis, quod propoſitum dictum eſt eſſe fictitium, & ſic ſe habet, ac, ſi non eſſet. Hoc rursùs manifeſtum eſt, nam ſupponamus parentes infideles, tale habere propoſitum, ut dictum eſt (licet repugnet hypotheſi infidelitatis) adhuc tamen repugnat, quia nunquam adimplebunt illud propoſitum in ſuis filiis, poſt-

quam in lucem editi fuerint; Igitur hypotheſis propoſiti de conferendo baptiſmo repugnat, & contradicit huic poſitioni, ratione enim infidelitatis id ſequitur; ergo, quod fideles ſimili propoſito uti poſſint, quamquam, quia fideles ſunt, videatur concedendum; in re autem eſt omninò negandum eò quia non ſuppetit eis libertas, & poteſtas implendi id, quod ſupponuntur vovere. Dicitur ergo ſolùm poſſe fieri radicaliter, in quantum non deficit, quia fidem non profitentur; ſed repugnat terminativè ratione ordinis ad terminum, nam repugnat hypotheſi, in qua nunquam dabitur baptiſmus, hypotheſi ſcilicet diſtantiæ infantis à proponente.

Non aliud ergo eſſe poteſt noſtrum deſiderium in filios infidelium directum, niſi per modum orationis, qua Deum precamur, ut ipſos dignetur ſalvare, aut Patres inſpirando efficaciter ad fidem Chriſti, aut aliis modis, aliiſve menſuris.

OBJECTIO QUINTA.

147. SI valeret illa ratio, ducta ex voluntate divina circa ſalutem omnium hominum; non deberent damnari parvuli paganorum; nam Deus vult neminem perire etiam infantium: Iſti non ſunt in cauſa, ut ſalvari nolint, nec parentes elegerunt, quaſi hos, aut illos, fideles, aut infideles, ergo Deus non vult illos ſalvos fieri, &c. ergo ratio illa, ducta ex diviſa prædeſtinatione generali non concludit, &c.

148. Reſpondeo, illos infantes à regno excludi non eſſe Dei, quaſi motu proprio, ſed conſequenter ad parentum voluntatem: Divina quippè bonitas dat parvulis auxilia remotè, quatenus dat auxilia, & gratias vocationis ad fidem parentibus; Ipſi verò, cum nolint ſuſcipere fidem; conſequenter nolunt baptizare pueros. Quamobrem remedium

medium peccati originalis, inſtitutum a Chriſto eſt etiam ſufficiens pro illis; quia eſt etiam applicabile, quodque applicatum dicitur, & diceretur efficax.

149. Idem argumentum fieri poſſet de infantibus Chriſtianorum, qui ſine baptiſmo decedunt, quamquam in lucem viſibilem editorum: licet enim non ſint ipſi cauſa, ut ſine lavacro vitam claudant, nec ipſi parentes elegerunt; non tamen benè infertur; ergo Deus non vult ſalvos facere: mala illatio; nam parentes, vel alii ob incuriam non baptizantes, aut aliter ſunt cauſa damnationis eorum; Deus enim providit illis de baptiſmate, quibus potuiſſent applicare, ſi ſedulò voluiſſent conferre; ergo objectio nimis probat.

OBJECTIO SEXTA.

150. AD ſalvandam Dei voluntatem bonam, ſinceram, quantum ex ſe eſt, efficacem de ſalute omnium, nemine excepto, non eſt laborandum, ut ſimus ſolliciti de ſalute infantium, morientium in utero; nam Deus vult omnes, & ſingulos parvulos ſalvari voluntate efficaci ex ſe, ſed non indefectibili, ſeù voluntate vera, ſincera, ſufficientiſſima per remedium ſufficiens, quod nobis omnibus contulit ſui filii mortis beneficio; ergo etiam ſubſiſtit talis voluntas, licet aliqui parvuli, ſine baptiſmo decedentes pereant, ideſt, vitam non habeant æternam. Probatur à ſimili: Deus vult omnes adultos ſalvari; non omnes tamen ſalvantur, nec in cauſa pro reſponſo, ſi id quæratur, eſt Deus; quippè iſte ſua bonitate, & liberalitate omnes ordinavit in vitam æternam; ergo. Hoc argumentum memini mihi objeciſſe unum ex noſtris, ut num. 133. Sed

151. Reſpondeo exordium ſumendo ad hoc ultimo, quod affertur pro probatione à pari, quærendo, an ſi Deus

non conferret illis, qui pereunt, auxilia ſufficientia, & efficacia, ut dicitur in actu primo, vellet illos ſalvos fieri? Neutiquàm; quia verò propria voluntate abutuntur auxiliis divinæ gratiæ, ideò reprobantur. Aſſignetur nunc remedium peccati originalis pro parvulis, in utero morientibus; dicent lavacrum regenerationis, ſeù baptiſmus: At hoc pro illis in illo ſtatu non eſt remedium, medicina, &c. ergo. Minor jam conſtat, nam illud non eſt verè remedium pro peccato originali, quod non eſt utile, & conducens ad auferendam maculam originalem; ſed baptiſmus non eſt utile medium, & conſequenter non eſt verè mediū pro parvulis noſtris; ergo. Probo minorem: Remedium, quod dicitur utile ideò eſt, quia poteſt conducere ad auferendam infirmitatem, ſed ſic non eſt baptiſmus, quia pro illis eſt inapplicabilis inculpabiliter ex parte creatæ voluntatis; ergo non eſt utilis; ergo non eſt remedium, & conſequenter, nec medium ſufficiens ad ſalutem: Sed baptiſmus inſtitutus à Chriſto eſt inſtitutus ad tollendum peccatum originale omnium, & ſingulorum, ſicuti omnes, & ſingulos vult ſalvos fieri de fide, ut dixi num. 5. cap. 9. ergo dicendum eſt pro illis, baptiſmum eſſe intelligendum in voto.

152. Dices: In his caſibus Deus vult illius pueruli damnationem conſequenter, non antecedenter. Sed contra, nam hæc diſtinctio hìc locum non habet; Deus enim ſalvat volentes, & nonniſi volentes; reprobat pariter volentes. In caſu autem noſtro parentes non dici poſſunt nolentes baptizare puerum, ſed toto affectu, dolore, intendunt baptizare, nec pendet à proprio arbitrio regenerare Sacramenti applicatione; ergo voluntas divina non eſt conſequens voluntatem creatam; ergo, &c.

153. Inſtabis: Quod non baptizentur illi pueruli abortivi, ſaltem pendet remotè per anteriorem voluntatem, qua alteruter voluit cauſam talis damni; Si enim parentes

tes

tes ſedulò incubuiſſent proli, fortaſsè non paſſa eſset parens infelicem abortum; ergo voluntas Dei eſt conſequens non antecedens.

154. Hæc reſponſio procul abacta eſt prop. iſta dum tractatum de Dei concilianda providentia cum neceſſitate baptiſmatis ſucceſſivè fuſo ſtylo cõſcripſi. Conſtat quippè, debilem eſse hanc inſtantiam, nec juvare ad componendum decretum generalis hominum prædeſtinationis ſeù dicas voluntatem cum parvulis,in utero morientibus, per baptiſma ſalvandis, niſi Sacramenti applicabilitas intelligatur,ſeù in re,ſeù quandoque in propoſito.Quamobrem hæc inſtantia, quæ non tàm contra ſententiam,quàm contra rationem ſententiæ militat, futilis eſt, dum ſententiæ rationem clarè monſtravimus num.9. Et hìc addo adhùc ſi ratio nutaret, non ideò tamen ſententia non ſubſiſteret,aliis rationibus, nempè firmata, & objectionum facillima diſsolutione, omni abſurditate remota.

OBJECTIO SEPTIMA.

155. PArvuli ſine baptismo ex hac vita decedentes, Eccleſiæ ex uſu extra loca ſacra humãtur; ergo ſignum eſt eos non haberi pro ſalvis; ſed à regno excluſis, etiamſi in propoſito Parentum fuerint Sanctiſſimæ Trinitati oblati.

156. Hanc verò objectionem ex dicto uſu Eccleſię nihil ad rem noſtram concludere, patet primò per ea, quæ diximus prop.hac 5.num.111. Secundò defectum item ſalutis non concludit, aliàs ſequeretur, excommunicatos, de hac vita decedentes, non poſſe eſſe ſalutis compotes: Conſtat enim excommunicatos eccleſiaſtica ſepultura privari. Cur ego privantur? Aſſignetur cauſa ab adverſariis, & ſic reſpondeant ipſi pro me. Reſpondebunt equidem, id eſſe in pœnam delictorum præteritorum contra eccle-

eccleſiam, quatenus noluerunt obedire Prælatis, &c. & ideò fuerunt excommunicationis ſententia ligati, cujus unus eſt ex effectibus eccleſiaſtica non gaudere ſepultura. Ego quoque ita puto optimè me reſpondere poſſe in pœnam, quod non fuerit eis in opere applicatum Sacramentum regenerationis. Sufficit à pari non ideò id eſſe, quia à regno ſunt excluſi, ut objectionis futilitas dignoſcatur.

157. Vlteriùs ex dictis prop. 5. Eccleſia attendit remedium ſalutis certum, & indubitatum; non autem diſputabile, quale eſt votum baptiſmatis. Item effectus proprius baptiſmi eſt character ille, quo veluti fideles ab infidelibus ſecernũtur, & fit populi diſtinctio; Sicuti antiquitùs diſtinctio fiebat per circumciſionem. Cum ergo parvuli, ſine baptiſmo decedentes, non fuerint iſto charactere diviſi; non mirum, quod Eccleſia eos, quoad ſepulturam dividit. Ex hoc autem non colligitur, eſſe à regno cœleſti excluſos; nam gratia eſt effectus communis omnibus Sacramentis, & ſine Sacramento obtineri poteſt, ut patet de contrito. Ratio eſt, quia baptiſmus non ſolùm eſt ad juſtificandum: juſtificatio quippè aliis Sacramentis, aliis modis comparatur, ſed eſt ad conſtituendum ſubjectum capax recipiendi ſpiritualia, & Sacramenta; ideò dicitur baptiſmus janua Sacramentorum. Cum ergo parvuli, ſine baptiſmo obeuntes non ſuſceperunt characterem & Chriſto Domino in paſſione, quod per baptiſmum fit, ut inquit Toletus, non ſunt conformati; ideò Eccleſiæ uſus rationabilis eſt eos non in loco ſacro ſepeliendi.

OBJECTIO OCTAVA.

158. IOan. 3. dicitur, quod, qui incredulus eſt filio non videbit vitam; ſed parvuli, ſine baptiſmo decedentes, non credunt in Chriſtum; ergo. Item: niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non poteſt

teſt introire in regnum Dei. Romanorum 5. Unius delictum eſſe in omnes homines in condemnationem; ergo ex mente Apoſtoli rei ſunt damnationis quicumque illo originali delicto implicantur, quo implicari antecedenter ad ſuſceptionem baptismi ex ſupra dicto loco Joannis 3. certum eſt.

159. Hic Apoſtoli locus Rom. 5. ad rem non confert, nam id eſt incertum, ſcilicet, an peccato originali implicati decedant pueruli in ventre matris morientes; dummodò præceſſerit oblatio ſub invocatione SS. Trinitatis cum ordine ad Sacramentum. Similiter illud Domini apud Joannem 3. niſi quis renatus fuerit.... ſubſiſtit, dum propoſito baptizatur; nam votum reputatur pro opere, ubi opus neceſſitas excluſit, ut inquit Mag. Sen. Quod jam patet in adultis ex communi ſenſu. Quod verò pueruli illi non credant; Dico, vel intelligendum eſſe de fide in actu, vel habitu. Si primum; neque baptizati ſalvarentur ante ætatem activam: ſi ſecundum, credunt quippè habitu per baptismum, in voto ſuſceptum; vi cujus non eſt impoſſibile, aut abſurdum, gratiam juſtificantem conſequi; & ſicuti, dum viſibili Sacramento abluuntur, opera, & fide baptizantur aliena; ſic putandum eſt non abſurdè, caſu quo opus excluditur, renaſci inviſibiliter voto parentum; nam votum, ut dictum eſt reputatur pro opere, ubi neceſſitas opus excluſit. Demùm concedo, natum oportere renaſci, ut regnum Dei obtineat; nam ſi natus eſt in mundo, ideſt, ut intelligitur, excluſus ab utero, certè debet renaſci; aliter contemneret Sacramentum. An autem, ſi adhùc natus non eſt, ſed genitus ſecundum ſe, poſſit in Chriſto renaſci, ſeù regenerari, dubium eſt, quod affirmativè decidendum puto.

OBJECTIO NONA.

160. IDeò dicitur, baptismum eſſe parentum voluntate applicabilem, atque in eorum votis eſſe,

eſſe, ut infans in utero matris periculum vitæ ineundo, poſſit ſalvari; quia Deus tenetur pro quovis ſtatu naturali, & conſequenter pro ſtatu, quo carcere concluditur materno, auxilia opportuna exhibere; aliter deberet cauſas naturales mortem allaturas impedire: hoc non obſtat; ergo. Minor demonſtratur: Deus vult ſalutem adultorum; ergo Deus tenetur impedire cauſas illaturas ſtultitiam alicui adulto, ut poſſit ſe convertere à peccatis perpatratis ante ſtultitiæ ſtatum; ſed hoc nec facit, nec facere tenetur, non obſtante voluntate de ſalute illius; ergo neque tenetur impedire cauſas naturales, quæ inferunt mortem puerulo, niſi baptiſmus voluntate applicatus, & fide prodeſſet.

161. Reſpondeo manifeſtam eſſe diſparitatem. Nos enim non dicimus, Deum abſque aliqua neceſſitate teneri impedire curſum agentium naturalium, ſed intendimus, quod poſita voluntate efficaci finis ex parte Dei, neceſſariò neceſſitate dictæ voluntatis debet velle media, & remotionem impedimentorum, quæ prohibent media; ſic vult ſalutem infantis in utero morituri; ergo vult ſalutis medium; ſed baptiſmus in re non eſt medium ſalutis pro illo; ergo, ſi baptismus in fide, & expreſſo propoſito parentum non prodeſt, Deus tenetur removere cauſas, necem inferentes puero. Neque ludas in verbis efficaciæ: nam, poſita quacumque voluntate de fine; dummodò ſit ſeria, & vera, & non ficta, ſemper debet reſpondere voluntas de medio ad finem; itaut eo modo, quo dicitur voluntas de fine; ita debet reſpondere volitio de mediis. Videamus nunc, ſi ex voluntate ſalutis adulti hominis, tenetur prohibere cauſas ſtultitiæ. Adultus, dum in amentiam incidit, antequam in eam incidiſſet, liber erat ad peccandum; auxilia divinæ gratiæ ei non defuerunt; ergo, quod poſtea ob cauſas naturales in dementiam inciderit, non arguit Deum nolle ſalvum fieri, ſed ipſe ſalvus fieri

noluit,

noluit, nam Deus non imputat ei, niſi peccata ante ſtultitiæ ſtatum; non verò, quæ poſtea patrat, ſi talia dici poſſunt. Aliter homines, in peccato exiſtentes, non deberent mori, ſed eis ſemper producenda eſſet vita ut poſſint converti; ergo ſtultus comparandus eſt mortuo, ſeù morienti, quatenus Deus punit eum ob peccata anteacta; ſicque non tenetur vitare cauſas ſtultitiæ, ſed opus fuit exhibere auxilia ad benè operandum tunc quando aliqua præcepti obligatio urgebat, & ſanæ mentis erat; quæ quidem nemini deſunt.

162. Si aliquis autem naſcatur ab ortu ſtultus; certè, quod cauſas ſtultitiæ Deus debuiſſet removere ex ſuppoſitione voluntatis de ſalute illius, ſi baptismus, aliena voluntate applicatus non prodeſſet, ut mox demonſtrabo: Iſte profectò, ſi naſceretur in regione infidelium, ubi jam ut ſuppono, non baptizaretur: Adoletus neque ipſe poſſit converti ad Deum, & baptizari in voto; Aliundè, mortis imminente periculo, ab aliquo fideli volente, non tamen baptizaretur ob defectum aquæ, aut alio; ergo pro iſto non eſſet ſalutis remedium; ergo debuiſſet removere cauſas ſtultitiæ, ſicque nemo poſſet naſci ab infantia ſtultus in regionibus infidelium. Probatur prima conſequentia: Baptismus, licet applicari nequeat moraliter, quatenus parentes ſunt infideles; attamen verè, & phyſicè eſt applicabilis, & conſequenter, quod non applicetur pro ſtatu infantili ſunt in cauſa parentes cohærenter ad dicta n. 145. Factus autem adultus, & impotens ad Chriſti fidem pervenire, & conſequenter in voto baptizari, atque in regionibus Chriſtianorum exiſtens: Quodnam erit remedium pro peccato originali, ſi mortis imminente periculo ob aliquem inculpabilem defectum Sacramentum adminiſtrari non poteſt? Ipſe baptismū petere nequit; aliundè miniſtri baptizare non poſſunt, ut ſuppono; ergo, ſi pro iſto remedium peccati originalis non deeſt, non erit, niſi ba-

Digitized by Google

ptismus, alieno propoſito applicatus. Ut me explicem, dico ſic: Naſcitur in Aphrica v. g. Titius ſtultus, ibique parentum ſub cura adoleſcit, fitque natu major. Iſte jam adoletus Romam v.g. perducitnr, ſtatimque ac ibi pervenerit, tale imminet vitæ periculum, ut Romani baptizare nequeant; non erit iſte(facta ſuppoſitione, quod non poſſint applicare Romani Sacramentum)pejoris conditionis, ac infans, in utero matris fidelis moriens; ſed hic baptizari poteſt in voto, ergo etiam ille.

OBJECTIO DECIMA.

163. SAlus parvulorum noſtrorum, ſi poſſet obtineri per baptismum in votis parentum, eisdem applicatum: Peto vel Deus juſtificaret puerulos illos in articulo neceſſitatis dependenter ab illa baptismi applicatione votiva continuata,aut non interrupta;aut eò tunc facta, quando periculum initur vitæ. Item,vel Deus reprobat puerum, non baptizatum in votis, dum primò eſt in viſceribus; vel, dum ultimò vivus in utero clauditur, & non baptizatur. Si enim requiritur ultimò baptismi applicatio; ergo fruſtra matres eſſent conſulendæ,ut ſemper habeant,aut ſaltem ſemel,dum gravidæ ſunt intentionem baptizandi ſuum filium ſub invocatione Sanctiſſimæ Trinitatis. Si ſufficit prima intentio, quam habuit initio gravidantiæ, non interrupta per actus, indirectè ſaltem, contrarios, videtur non poſſe ſubſiſtere, nam, qui proximè non curat ſalutem ſui filii, fruſtra eſt accerſenda cura præterita, & phyſicè tranſacta,imò videtur illam revocare.

164. Reſpondeo, ſufficere baptismum in voto, pro tempore neceſſitatis applicatum, etiam ante vitæ periculum, ejusve diſcrimina. At, dum manifeſtè periclitatur infantis vita, ſi fieri poteſt baptismi votum, procul dubio

elici

elici debet, aliter negligeretur ſalus, & priſtinum votum non firmaretur: Non enim Deus juſtificat, niſi articulo urgente neceſſitatis; Hinc dico, Deum reprobare puerulum illum v.g. Petrum, poſtquam vidit, à nemine applicatum fuiſſe baptismum, quod quidem tempus incipit à ſua conceptione usque ad illud inſtans, quo è vivis decedit. Si quippè toto hoc tempore baptismum non ſuſcepit neque in voto, certè conſequenter Deus reprobat illum. Quod autem ſuſceperit v. g. in propoſito baptismum tempore multo majori, & antecedenti ad inſtans mortis, non ſequitur juſtificari eo antecedenti tempore. Sicuti etiam dum parturiente actu matre, & moraliter certa ob partus difficultatem, quod periculum ſubire mortis de facili queat ſuus filius, antequam in lucem prodire poſſit, & Sacramentum ſuſcipere, quamobrem ſub invocatione Sanctiſſimæ Trinitatis vovet, & proponit baptizare, Deoque infantulum offert: Non ideò ſtatim eodem tempore, quo ſimilia peraguntur Deus juſtificat, ſed in neceſſitatis extremo, putà, pro eo inſtanti, ad quod ſequitur in prævisione inevitabilis ob cauſas naturales mors. Hinc colligitur tutiùs eſſe, mulieres, uterum geſtantes baptisma vovere, dum gravis neceſſitas inſtat, & mortis imminēs periculum prudenter animadvertitur, ſaltem, ut prohibeatur periculum, ob vitæ operationes, indirectè revocandi priſtinam voluntatem, quæ anteceſſit neceſſitatis ſtatum.

OBJECTIO UNDECIMA.

165. PIetatis ſcrupulo, & ad impiorum coercenda facinora, quidam ex amicis objecit, quandoque iſtam ſententiam non eſſe admittendam; nam ſemel ac, dicebat, verum eſt, aut ſaltem veriſimile; aut non repugnans de facto in providentia ordinaria, quod in propoſito baptizari poſſent pueruli in utero, &c. liberior da-

retur via ſceleſtis hominibus procurandi abortus:Sic quidem non incuterentur timore,eos infantes perdendi,probabiliter ducti, quod poterunt ſalvari, etſi Sacramentum non ſuſcipiant.

166. At ſi divina pietas exercenda non foret ob hominum pravorum abuſum; miſeri nos. Ita Deus nimirùm prævidens noſtra peccata, & eorum damnationem, qui impœnitentia finali decedunt,debuiſſet auxilia gratiarum negare, ne occaſionem tribueret peccandi; non debuiſſet Verbum incarnari, & genus humanum redimere, ne peccatores ſint ei ingrati; nec Sacramentum Euchariſtiæ inſtituere,cum plures hæretici in malum eo utantur;nec Sacramentum confeſſionis, cum plures ex tanti Sacramenti fiducia peccent,ne dicam alia. Divinæ ergo bonitatis eſt ſuam pietatem exercere cum omnibus; quod poſtea illa abutantur homines,ipſorum eſt vitium, non Dei ſuam benignitatem, & pietatem exercentis; ipſorum eſt defectus ſanari nolentium, non medici ſanare volentis. Non ergo, quia aliquis eſt infanticida poſt exhibitum baptismū, ut inde facilitatem aſſumat tantum ſcelus patrandi, quia eos non perire ſcit vi ſuſcepti baptismi; non ergo inquam debuiſſet Deus ſe abſtinere ab inſtitutione baptismi; nec ab inſtitutione circumciſionis pro populo priori, ſi fortaſsè vidiſſet omnes maſculos hebræorum circumciſos, & nonniſi circumciſos in flumen deiicere, Aegyptios.

167. Sed in forma dico divinam pietatem quoad hoc non prodeſſe infanti baptizato per votum homicidæ,quod votum eſt ſolum in lingua, ſeù potiùs velleitas, quam voluntas vovendi. Infanticida quidem dum abortum procurat, implicitè, imò expreſsè intendit non baptizare, nam ea omnia ponit, quibus baptismus in re prohibeatur; ergo fruſtra dicitur vovere baptisma.

OB-

OBJECTIO DUODECIMA.

168. SI votũ pro parvulis prodeſſet, deberent ſub culpa parentes vovere pro ſuis infantulis baptisma; Aliundè tempus non eſt determinatum, quando iſta viget obligatio. Antecedens verò patet,quia negligerent ſalutẽ æternam parvuli, cujus vita, & ſalus in eorum eſt manibus, à Deo poſita: & ſicut parentes negligentes baptizare puerum reddent rationem Deo de mulċtanda incuria; ſic quoque reddent rationem, ſi non voverent pro parvulo baptisma, caſu quo intra maternam alvum obiret. Iſta verò obligatio nulla eſt; nec eſt aſſignabile tempus, in quo vigeat; ergo.

169. Reſpondeo ad hominem petendo,quo tempore viget obligatio baptizandi puerulum, jam natum? Non enim nunc habemus legem hebræorum, ut non poſſimus baptizare ante octavum diem; & non ideò tamen uſus eſt, aut invaluit, ut ſtatim baptizentur;ergo ne peccant parentes? Neutiquam reſpondebunt: peccarent quippè, ſi vitæ periculum imminens cognoſcerent;hoc verò non explorato prudenter agunt ad aliquod tempus differendo,ſeù non imprudenter, quia tot temporibus, jam tot annorum circulis expertum eſt, iſtam dilationem non præjudicare ſaluti; cum neque præjudicet vitæ illorum; ergo in voto tunc viget obligatio, quando prudenter, & probabiliter mater ſuſpicari poteſt de obitu ſui pueri.

170. Sed quid ſi infans natus, qui baptismum non ſuſcepit, ſuſcepturus prudenter, ut dicebam, agentibus parentibus poſt triduum,moritur antequam ſuſcipiat. Dicerem ego, puerulum illum non ſalvari, ratione quia, dum potuit baptizari, & non eſt baptizatus, remedium ſalutis, quod ſuſcipere proximè poterat, non ſuſcepit;licet parentes baptizare valentes, & noluerunt, niſi poſt triduum

v.g.

v. g. ex uſu communi non peccent, nam non tenebantur prudenter etiam operando ſtatim baptizare, potiſſimùm quia non cognoverunt probabiliter eum moriturum; & in his rebus moralibus ſufficit cognitio probabilis, ſeù, ſi vis certitudo moralis non metaphyſica, aut phyſica. Aſſero igitur juxta ordinariam providentiam, parvulum illum non ſalvari; parentes verò non eſſe culpæ mortali obnoxios. Fortaſsè illi puerulo aliquod privilegium concedetur Chriſti meritis vi illius voti, ut ſupponitur, & propoſiti de baptiſmo poſt triduum v. g. At utamur dicto D. Auguſtini tom. 10. pag. 164. *Si enim deſiderarent nunquam circa ſe baptiſmi Sacramenta differrent: Noli differre, ò homo remedia ſalutis tuæ, quoniam neſcis quando anima tua à te repetetur.*

OBIECTIO DECIMATERTIA.

171. Dictum eſt multoties, baptiſmum in voto ordinari ad baptiſmum in re; itaut fictitius ſit ille, ſi ad hunc ordinari eſt impoſſibile. v. g. docuimus in ſuperioribus, ideo me non poſſe in propoſito baptizare filios aphricanorum, quia ipſis eſt à me hic, & nunc exiſtente inapplicabilis; ergo quia puerulis, morientibus in utero, eſt inapplicabilis baptiſmus, ſequitur, me non poſſe baptizare ipſos in propoſito, quia propoſitum ordinaretur ad aliquod impoſſibile.

172. Reſpondeo ad hoc argumentum, quod ſolam acutiei ſpeciem præſefert tunc propoſitum eſſe fictitium, quando opus excluditur voluntate, non neceſſitate. v. g. ſi quis procuraret abortum, & immaturam prolis mortem in utero; tunc propoſitum baptizandi eſſet chimericum, quia opus eſt impoſſibile voluntate, non autem aliundè. Item proponens baptizare abſentem, hypotheſi immutata abſentiæ, abſurdè proponeret, quia opus eſſet impoſſibile

im-

impoſſibilitate conſequente voluntatem : at matres, vel alii verè, & phyſicè baptizare valentes, ſi opus non neceſſitate excluderetur, poſſunt baptizare in voto; nam,ſi certè opus excluditur, non voluntate excluditur,nec contradicit voluntati, omnibus benè penſatis; paritas ergo nulla eſt.

OBJECTIO DECIMAQVARTA.

173. DOctrina, quæ opponitur communi Theologorum, non eſt ſuſtinenda; ſed hæc noſtra doctrina opponitur communi Theologorum ſententiæ; ergo non eſt admittenda; major probatur, nam eſſe contra communem Theologorum opinionem eſt una ex cenſuris Theologicis numeratis à Suario, aliiſque claſſicis Doctoribus. Quod ergo tot ſapientes non dixerunt, dicendum non eſt.

174. Reſpondeo primò ad ultimum, adnotando illud Matth.12. *Confiteor tibi Domine Pater Cœli, & Terræ, qui abſcondiſti hæc ſapientibus, & prudentibus, & revelaſti ea parvulis, quoniam ſic placitum fuit ante te.*

175. Reſpondeo ſecundò: iſtam opinionem tetigiſſe Cajetanum; undè dico ſententiam maximè probabilem probabilitate intrinſeca, ut conſtat prop.5. & deinceps, & etiam extrinſeca, qualis Cajetani doctiſſimi, & forſitan aliorum non derelinquendam eſſe, quia deficit authoritas in numero Doctorum; & à fortiori, quod nec SS. Patres repeiiuntur contrarium aſſertivè ſcripſiſſe. Doctorum ſcholaſticorum oppoſitio, ſi qua eſt, non infert propoſitionem contrariam capacem eſſe theologicæ cenſuræ, nam id dixerunt ſcholarum more, puta, quia unus alium ſecutus eſt,putantes omnes ſufficienter ſalvare illam Dei voluntatem ſinceram per remedium baptiſmatis inſtitutum; non autem calamum perſtrinxerunt ad oſtendendam, ſcù ex Scri-

Scriptura Sacra, ſeù ex Patribus noſtræ opinionis inſubſiſtentiam. Dixi, ſi qua eſt oppoſitio; nam nec verba fecerunt de hac materia, & de hoc noſtro judicio. Tunc autem theologica cenſura ſubintrare poſſet, quando repugnaret indirectè ſaltem principiis fidei, aut etiam communi conſenſui Sanctorū Patrum, cum ſit in materia religionis. Theologi ſcholaſtici ſuam defendunt opinionem ad ſalvandum ſalvanda non per principia fidei, ſed per principia diſputabilia. Quod verò ſentiant, baptiſmum unicè applicari natis per partum, id intelligunt in ſuppoſitione ordinaria, ſeù, ut de facto id certum eſt; quod ideò accidit; nam, cùm agitur de hac materia, Theologi intrant ad diſputandum cum præſuppoſitione ejus, quod eſt indubitatum, non attendentes ad id, quod eſſe, probabile eſt. Quapropter quoad baptismi applicationem in votis non adhùc natis in neceſſitate verba haud faciunt, & ad hoc dicendum non fuerunt inducti, ſupponendo omnia ſalvari illa reſponſione, quam in ſuperioribus prop. hac 5. examinavimus. Cæterùm, ſi impugnaſſent, non aliàs, aut ſimiles, quas jam protulimus, afferre poſsent objectiones, in quibus viſum eſt, nil eſse ſolidæ difficultatis; & omnia benè ſalvari cæteris ſalvis ſalvandis in fide, & S. Theologia. Non ergo opinio hæc eſt cenſura digna theologica, quia modo dicto opponitur theologis ſcholaſticis. Imò nego, quod opponatur, prout oppoſitio indicat, id à nobis affirmari, quod ab illis negatur; niſi velimus dicere opponi indirectè, quatenùs aliam viā aſſumpſerunt ab ea, quam nos ſumpſimus.

176. Reſpondeo 3. diſtinguendo majorem, quæ opponitur communi Theologorum, ſcilicet Sanctorum Patrum tranſeat. Communi Theologorum ſcholaſticorum, nego, & ſimili modo diſtincta probatione majoris, nihil ſequitur contra. Videatur quoad hoc Maignanus ſuæ phil. ſacr. par. 1. de locis Theologicis cap. 1. prop. 27. Quo loco conſtat ſcholaſticorum authoritas, & authenticum.

OB-

OBJECTIO DECIMAQUINTA.

177. PArvulos, in utero matrum morientes per baptiſmum in voto ſalvari alieno, videtur abſurdum; nam in Theologia manifeſtum eſt illi etiam, qui à limine eam ſalutavit; à fortiori ſapientibus baptiſmum in voto in adultis importare actum veræ cordis converſionis, ſeù legitimæ contritionis. Abſurdum autem videtur deleri peccatum infantis per contritionem alterius; ergo, &c.

178. Quisquis eſt, qui hanc objectionem ſibi in mente repræſentet, ſciat, baptiſmum in voto, ut hic accipitur æquivocè ſumi, & uſurpari, ac à Doctoribus theologis paſſim ſumi ſolet, dum fit illa diviſio baptiſmi fluminis, & flaminis. Ex dictis ſup. prop. 3. clarè conſtat, pro peccato originali nullum requiri dolorem, nullamque cōtritionem: & conſequenter ſeù propriam, ſeù alienam. Juſtificatio equidem, quæ fit in caſu noſtro, vi fit meritorum Chriſti, applicatorum per Sacramentum baptiſmi; proptereaque aliena perſona vices implet miniſtri. Fateor, me quandoque in hoc hæſitaſſe. Re autem diligenter penſitata, animadverti, latum eſſe diſcrimen; atque vocem hanc baptiſmus *in voto* eſſe æquivocam; argumentum igitur non concludit.

OBJECTIO DECIMASEXTA.

179. SEntentia eſt aliquorum apud Joannem à S. Thoma quæſt. 23. diſp. 10. art. 1. num. 5. docentium, quod negatio gloriæ, quatenus eſt negatio beneficii indebiti de facto reſpectu reproborum fuerit poſt originale ex libera Dei voluntate ad oſtenſionem ſui dominii; ergo, quod aliqui parvuli decedant ſine baptiſmo, non eſt, quod nos torqueat.

Digitized by Google

180. Reſpondeo 1. neminem Deus de facto, ſeù ex ſuo dominio, ſeù quovis alio motivo abſolutè antecedenter excluſit à gloria ordine etiam intentionis ante prævisum peccatum, ſive perſonale, ſive originale, ut apud innumeros Doctores, & apud P. Filoramo.

181. Reſpondeo 2. admiſſa qualibet ſententia circa cauſam reprobationis; verum ſemper eſt, & de fide, quod in Deo non reperitur reprobatio poſitiva aliquorum v. g. infantium quorumdam decedentium ſine baptiſmo, conſiſtens in hoc, quod abſolutè, & ſimpliciter poſt prædeſtinationem Chriſti in remedium hominum nolit illis dare gloriam; ſed ad ſummum, quod nolit dare gratiam efficacem, ut mundentur à peccato originali. Hoc certè eſt de fide, quod adſtruit etiam P. Filoramo de reprobatione pag. 444. nam 1. ad Timoth. Deus vult omnes homines ſalvos fieri, quæ voluntas eſt ingenua, vera, ſincera, non illuſoria; ergo, non poſito obice ex parte noſtra, Deus nemini poſſet denegare gloriam; ergo nemini Deus poteſt denegare auxilia ſufficientia, per quæ homo poſſit gloriam conſequi. Adde, quod Filoramo loco citato, noſtræ, quam in præſens tuemur, opinioni contrarius, docet, peccatum originale infantium damnatorum non deleri, quia gratia ſufficiens vincitur ex concupiſcentia parentum, vel aliorum, qui ſunt cauſa, ut infans non baptizetur. In quo vides ſupponere citatum Doctorem reſponſionem illam communem ſupra diſcuſſam.

182. Cum igitur non habuerit Deus abſolutum decretum reprobandi, poſito originali, ſcilicet poſito peccato Adæ; nam poſt iſtud, inquit Apoſtolus vult omnes homines ſalvos fieri; & Chriſtus fuit prædeſtinatus Redemptor omnium, &, ut S. Leo Papa ſer. 1. Nativ. Dominicæ: *Sicut nullum à reatu liberum reperit; ita pro liberandis omnibus venit*; ſequitur, quod nullus infans reprobatur, niſi præviſo originali, ideſt, ut ambages tollantur, poſt

præ-

Digitized by Google

prævifum originale non deletum, ſeù poſtquam ſine baptiſmo prævisus fuerit infans decedere è vivis. Et profectò,ſi ego vellem cum aliquibus,& noſtro P. Filoramo ſentire, Deum poſt Adæ lapſum voluiſſe oſtendere cum aliquibus, quid poſset ſuæ miſerentis gratiæ beneficium; ab aliis verò exigere ex parte pœnam debitam originali,non miſerendo eo modo, quo miſeretur ſalvandis, ſive electis, ſed neque excludendo à gloria, ut oſtenderetur Chriſti pietas relatè ad omnes: Semper verum eſt de fide(id,quod mihi nunc ſufficit) quod reproborum miſertus eſt mediis ſufficientibus. Quæcunque ergo ſententia de reprobatione circumferatur, ſemper de fide eſt iſtud v. d. Chriſtum Redemptorem pro omnibus, & ſingulis liberandis veniſſe, ſicut nullum à reatu liberum reperit, quodque gratiarum auxilia ſufficientia omnibus conceduntur,quod fuit noviſſimè contra propoſitiones Janſenii determinatum ab Inn. X.& Alex.VII.In præſenti ergo aſſignandum eſt remedium ſufficiens pro parvulis, &c. Iſtud eſt baptiſmus applicabilis; ſed baptiſmus infantibus in utero applicabilis non eſt; ergo non eſt remedium ſufficiens; nam gratia ſufficiens intelligitur illa, quæ dat poſſe, licet humano vitio non habeatur actus; ſed per baptiſmi præciſam inſtitutionem, ut phyſicè applicandi non eſt proviſum poſſibilitati veræ, atque reali ſalutis, infantium in utero ſuarum reſpectivè matrum morientium; ergo. Si recurratur ad incuriam parentum, ad cauſarum naturalium curſum jam ſupra ſatisfactum eſt.

OBJECTIO DECIMASEPTIMA.

183. EXperientia, & de fide eſt, non omnes eſſe electos, nec omnes parvulos originali peccato implicatos ab eo mundari per baptiſma; Cum innumeros habeamus ſine baptiſmo obire;non ideò argumen-

Digitized by Google

tum eſt Chriſtum non inſtituiſſe remedium univerſale pro originali delendo; Sicuti plures adulti non ſalvantur, non quia iis deſit auxilium ſufficiens; imò abundans, ut dicitur confertur; ſed quia Deus non contulit beneficia efficacia, & non ſunt benè operati finaliter: Sic quoque à pari non eſt neceſſe, ut omnes pueruli in facto ab originali mundentur (quod videtur prætendi, dum modus quæritur ſalvandi infantes in utero morituros) ſed ſufficit non deeſſe auxilium aptum, puta baptiſmus, à Chriſto inſtitutus.

184. Reſpondeo, me in præſenti, non prætendere omnes pueros baptizandos fore; ſed aſſero omnes pueros baptizari poſſe: Hoc eſſe nequit pro eo ſtatu infantium, in quo vitam claudunt intra maternam alvum: Undè hìc non favet adverſariis diſtinctio gratiæ efficacis, & gratiæ ſufficientis Nec ego quæſtionem hìc aſſumo de gratia efficaci, in quo ſita ſit; At dicatur quomodolibet in materia prædeſtinationis de facto; & in materia de gratia quidquid velint; quia ſemper verum eſt ex fide divina, nemini deeſſe auxilium aptum ad ſalutem ſive parvulo, ſive adulto. Baptiſmus verò in ordine ad puerum in caſu noſtro non eſt aptum remedium, ut in ſuperioribus multoties dictum eſt; ergo quod in præſenti volo, nil aliud eſt, quam ne deſit auxilium opportunum; non autem, quod omnes parvuli ab originali mundentur. Neque cum noſtra doctrina ſtat, quod omnes mundentur, ſed quod mundari poſſunt; & ſolùm veram ſalutis actualem poſſibilitatem defendimus, &c. Plus indicat objectio, quam exprimat; at falſum ſupponit, nos velle conſulere actuali ſaluti omnium infantium.

OBJECTIO DECIMAOCTAVA.

185. SI prodeſſe poſſet ad ſalutem in caſu neceſſitatis infantibus baptiſmus in propoſito alieno,

no, ſequeretur etiam prodeſse adultis amentibus; Id autem falſum eſt; nam pro adultis requiritur voluntas propria ; Aliundè amentes voluntate propria potiri nequeunt; ergo. Probatur ſequela; nam non magis conſulendum eſt ſalutis poſſibilitati infantium, qui baptizari in opere nequeunt; quàm adultorum, caſu quo baptizari non poſsunt, amentium.

186. Reſpondeo diſtinguendo duplicem conditionem amentium, ut notant ſummiſtæ. Alii ſunt qui poſtquam rationis compotes fuerint, in dementiam incidunt. Aliqui ab ortu nati ſunt ſtulti, & dementes. Primis ſuccurri non poteſt baptiſmo, quia opus eſt, ut voluntatem habuerint ſuſcipiendi Sacramentum; qua ſuppoſita baptizari poſsunt in ſtatu amentiæ; Sicuti etiam dormientes, ut apud Toletum. De his quidem baptiſmus in voto alieno non intelligitur; Tùm quia ſupponuntur peccata actualia. Pro quibus retractandis requiritur proprius motus, etiam ſi ſubjiciuntur exteriori Sacramentali ablutioni; tùm quia ratione ætatis adultæ requiritur ſua voluntas præſcindendo à peccatis actualibus. De ſecundis concederem, poſse in voto alieno caſu aliquo neceſſitatis, nulla interveniente culpa, ut ſupra dicebam probabiliter ſalvari; nam comparandi ſunt infantibus adulti in nativa amentia. Non enim attendenda eſt ætas adulta, niſi ſimul intelligatur adoleta ratio; ergo amentes adulti amentia nativa comparandi ſunt infantibus, quoad noſtrum caſum. Dum autem fuerint prius rationis compotes, aut lucida habeant intervalla, deſiderandus eſt proprius eorum voluntatis motus, ut dictum eſt.

OBJECTIO DECIMANONA.

187. ROmanorum 5. Si unius delicto mors regnavit per unum, multò magis abundantiam

gra-

gratiæ, & donationis, & juſtitiæ accipientes in vitam, regnabunt per unum Jeſum Chriſtum; ſed non aliter regnare poſſunt homines in vitam per unum Jeſum Chriſtum, præſertim infantes, niſi per unum baptiſma Chriſti, à Chriſto ſcilicet inſtitutum; ergo. Probatur minor: Infantes ratione ætatis indigæ, ſi eis eſt poſſibile regnare in vitam, non aliter id evenire poteſt, quam per unum Jeſum Chriſtum; nam ſicuti unius delicto mors regnavit per unum; ita vita eſse poteſt per unum Ieſum Chriſtum. Sed non aliter unus Jeſus Chriſtus vitæ participes facit infantes, & regni, quam Sacramenti inſtitutione, puta baptiſmi; ergo ex Apoſt. ſi infantes regnare poſsunt per Chriſtum, idem eſt, ac per baptiſma Chriſti.

188. Reſpondeo hunc textum Apoſtoli, ut & alios ſimiles, nihil aliud indicare, quam ſecundum Adamum Chriſtum homines ad vitam elevaſſe; & ſicuti peccatum Adæ nocuit poſteris; Chriſti paſſio profuit omnibus; &, ut ad infantes ſpecialiter deſcendam; ſicuti ſolus Adam peccavit, & in eo peccavit tota poſteritas; ſic ſolus Chriſtus ſanctificat infantes, abſque infantium motu, diſpoſitione, merito, &c. Et conſequenter ſola Chriſti voluntas inſtitutione baptiſmi, tanquam canalis ſuæ paſsionis infinitè meritoriæ eſt ſufficiens ad vitam præſertim, ut dicebam, infantium, pro quibus nulla requiritur propria voluntas, propria acceptatio, proprium votum, & propria motio, diſpoſitio, &c. Aliter ille ſtatus, illa ætas eſſet ſine remedio; ergo pro baptizandis puerulis in voto, nulla adeſt repugnantia in caſibus neceſsitatis inculpabilis; quia nulla adeſt repugnantia ex hoc eodem loco Apoſtoli Rom. 5. quod ſufficiat votum alienum; nam, ſicuti delicto unius, nempè Adæ regnavit mors in homines; ita vita quoque regnavit, & regnat per unum, ſcilicet, Chriſtum, & per miniſtros Chriſti, & diſpenſatores miniſteriorum Dei, qui Chriſti vices gerunt; nam, ſicuti extra caſum neceſsitatis, volun-

voluntas Chriſti per miniſtrum, & cum miniſtro ſufficit ad baptizandum in facto; quatenus ſuſcipitur baptismus non voluntate ſuſcipientis, ſed miniſtrantis; itaut voluntas miniſtrantis ſit neceſſariò requiſita; ſic etiam in caſu necesſitatis inculpatæ ſufficere poteſt voluntas alterius quoad effectum baptismi, nempè regenerationem, juſtificationem; quamobrem non juſtificaretur iſte puerulus, niſi per unum Chriſtum, & per unum baptisma, voto tamen applicatum.

OBIECTIO VIGESIMA.

189. SI alienum baptizandi propoſitum ſufficere poſſet in caſibus necesſitatis inculpabilis; neceſſe foret, ut pro infanti actum eliceret, ſaltem attritionis; quod videtur abſurdum, nam pro originali opus non eſt aliqua retractatione. Hunc autem requiri, videtur hoc argumento manifeſtari: pro adulto quidem ſupponente peccata actualia, dum actu ſuſcipit baptismum, requiritur attritio communi ſenſu; dum autem ſuſcipere nequit baptismum, & necesſitas urget, ſufficit, & requiritur contritio. Item pro adulto, ſi per imposſibile non ſupponerentur actualia, pro ſolo originali, ſufficit voluntas de ſuſcipiendo baptismo, dum baptizatur in facto, & ut baptizetur in facto; ergo pro aliena perſona, puta pro infante, in ventre matris morituro, licet non requiratur contritio; ſaltem requiritur attritio, nec ſufficit ſola voluntas; cum non ſit propria perſona vovens, quæ fructum baptismi ſuſcipere debet; & etiam quia cum ſola voluntate ſtat baptismi ſuſceptio, non ſuppoſito actuali in adulto in re baptizando; ergo ſicuti adultus non baptizandus in re caſu aliquo, elicere debet actum contritionis; ita infans non baptizandus in re aliquo caſu debet elicere, ſaltem actum attritionis in voto alieno; ſicut non ſufficit voluntas ſolùm in adulto extra

baptis-

baptiſmum, ſed requiritur contritio; ergo pro infante ad minus requiritur attritio in actu alieno, ſi hic ſufficit. Totum autem hoc videtur abſurditas inſignis; quia nullus dolor, nulla deteſtatio de peccato ſolo originali communi doctorum ſuffragio requiritur; ergo, &c.

190. Reſpondeo, gradationem factam in objectione nullam eſſe; quandoquidem ideò in adulto extra baptiſmum, caſu aliquo ſufficere poteſt ipſa contritio; & requiritur neceſſariò, quia ſupponuntur peccata actualia, pro quibus delendis extra Sacramentum opus eſt contritione. In actuali autem baptiſmi ſuſceptione ad ſummum requiritur attritio in adulto; ſuppoſito autem ſolo originali neque attritio, neque contritio requiritur in actuali baptiſmi ſuſceptione, quod eſt in confeſſo apud omnes; ergo, ſi ſufficit votum alienum pro infantibus, &c. quia in his nullum ſupponitur peccatum, niſi ſolum originale, ſequitur in voto alieno non requiri dolorem, neque deteſtationem, quomodolibet dicatur, at ſolam voluntatem baptiſmi conferendi. Quod enim ex ſua natura non expoſcit pœnitentiam, & dolorem, nunquam de ſe poteſt dolorem expoſtulare: Peccatum originale non eſt ex ſuo conceptu retractabile, nemine diſcrepante; ergo in quovis caſu non oportet, quod retractetur. Argumentum igitur confundit ideam baptiſmi in voto, prout ſumitur in adultis (pro quibus ſemper ſupponuntur actualia) ex theologorum ſenſu cum idea baptiſmi in voto, quem hic nunc inſinuamus ob ſalutis infantium poſſibilitatem, & ſufficientiam.

191. Reſpondeo 2. argumentum non probare contra nos; nam etiam, ſi aliquis dolor deſideraretur (quod non concedo) quem dicit objectio, ſaltem debere eſſe attritionem; quid indè? Nihil abſurdi profectò; nam ille dolor, ſi opus eſſet, non eſſet de peccato; nam peccatum originale retractari non poteſt, quaſi ſit actus pœnitentiæ, qui conſiſtit

ſiſtit in nolle feciſſe, quod malè factum eſt; ſed ille dolor, ſeù retractatio eſſet incluſus in voluntate conferendi baptiſmum, ut notavi cap. 6. Id enim, quod eſt velle conferre baptiſmum, eſt velle liberare puerum ab originali, & conſequenter ſuo modo retractare. Igitur eſſet quæſtio de voce, an vocetur dolor, & poſſit vocari retractatio voluntas illa; ſi quis in iſtud inſurgere vellet, quod non curo.

192. Quia principalis objectio videtur deſumi ex illo loco Jo. 3. ultra abundè dicta inſuperioribus placet ulterius ſeria, & exacta exercitatione animum in id intendere; ut omnis ambigendi anſa procul abigatur.

Nicodemus igitur diſcipulus nocte Jeſu Chriſti ob Judæorum metum audivit ejus doctrinam: *Amen dico tibi, niſi quis fuerit renatus denuò non poteſt videre regnum Dei*; Hæc verba non intelligens Nicodemus, miratur reſpondens: *Quomodo poteſt homo naſci cum ſit ſenex? Nunquid poteſt in ventrem matris ſuæ iteratò introire, & renaſci?* At Magiſter Ieſus annuere volens renaſcentiam per baptiſmum repetit clariùs, quod antea dixerat: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei*; quibus verbis manifeſtavit Sacramenti neceſſitatem ad ſalutem; Itaut baptiſmate tanquam unico medio, gratiam in primo parente deperditam, homines compararent.

193. Plura ſunt animadvertenda in hoc dogmate: Primò ſimilitudo locutionis quoad exprimendum baptiſmi neceſſitatem, & ad injungendum onus ſuſcipiendæ Euchariſtiæ; habetur enim Joannis cap. 6. *Niſi manducaveritis carnem ſilii hominis, & non habebitis vitam in vobis*. Phraſis tamen explicandi, licet eadem ſit; diverſitas attamen aliundè colligenda eſt ex diverſo fine inſtitutionis baptiſmi, & Euchariſtiæ. Ille nimirùm ad primam gratiam conferendam, & ad remiſſionem peccati originalis; hìc verò ad confortandum hominem jam viventem, ut de-

 finit

finit Tridentinum; Et Apoſtolus ſupponit nos debere in gratia ad hoc Sacramentum accedere. Vndè infertur, maximam eſſe diſparitatem inter hunc modum loquendi, mox recenſitum in materia baptiſmi, & eumdem loquendi modum in materia Euchariſtiæ. Tantam quidem; ut communiter aſſeratur, baptiſmum eſſe neceſſarium neceſſitate medii, Euchariſtiam autem neceſſitate præcepti.

194. Secundò quid nomine nativitatis, & naturæ, & quid nomine renaſcentiæ, & renativitatis mente intelligatur: Et vel accipitur pro generatione, & pro principio motus; vel pro eo, quod eſt de non eſſe tranſire ad eſſe, & fieri, & ideò naſci, ſeù nativitas, atque natura. Et jam apud latinos, & græcos ſumitur natura pro viventium generatione, quæ nativitas appellatur, ſeù naſcentia, undè natura dicitur: quamobrem renaſcentia, & renativitas, regeneratio viventium appellari poteſt.

195. Tertiò quid importet ex vi verborum forma Chriſti, dum Nicodemo indixit baptiſmi neceſſitatem, niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non poteſt, &c. perſpiciendum eſt. Si enim nomine nativitatis intelligitur generatio viventium; dum Chriſtus inſinuat, hominem debere renaſci, idem eſt, ac debere regenerari in aliam vitam; ergo infans intelligitur natus, dum eſt carnali generatione generatus in animam viventem, ſeù poſtquam (anima divinitùs infuſa) fuerit vivens embrio, tunc dicitur natus, quia generatio viventis adeſt; ergo, dum Chriſtus ait: Niſi quis renatus fuerit denuò ..... Intelligitur, niſi quis iterùm in vitam generetur, quam iteratam generationem explicans Nicodemo non intelligenti, ſubdit niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non poteſt, &c. Igitur regeneratio in vitam facienda eſt ex aqua, & Spiritu Sancto; ſed regenerari in vitam ſupponit ſolùm primam generationem viventis, quæ verificatur de infante in utero, quatenus, in utero exiſtens, genitus eſt, & vivens eſt;

ergo

Digitized by Google

ergo ſi opus eſt renaſci ex aqua, ſufficit ex deſiderio aquæ, cum aqua ablui non poſſit natus, ideſt, genitus ſimpliciter infans. Oportet itaque alio ſenſu natum eſſe puerulum, ſcilicet, à ventre excluſum.

196. Quod, ſi hoc ſenſu locutum fuiſſe *Chriſtum* Nicodemo dicas, jam ultrò concedo, & conſtat ex textu, nam Nicodemus admirans inquit. Quomodo poteſt homo naſci, cum ſit Senex; cui *Chriſtus* repetit: Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non poteſt introire; ergo tùm ex verbis Nicodemi, tùm ex reſponſo *Chriſti* conſtat, renaſcentiam intelligendam eſſe de natis, ſeù per partum ab utero excluſis: Etenim de Nicodemo, & aliis grandioribus natu verum erat, niſi quis renatus fuerit denuò, non poteſt, &c. Item ex inſtitutione baptiſmi patet, renaſcentiam ſupponere hominem, in ſe exiſtentem extra matris ventrem. Quibus poſitis.

197. Dico, ex verbis *Chriſti* non inferri, puerulos, in ventre matris morientes non poſſe in voto alieno baptizari. Demonſtratur: Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non poteſt introire in regnum Dei; ergo, qui renatus eſt denuò, ex aqua nempe, &c. poteſt introire in regnum Dei; ſed, qui renaſcitur ex aqua, ut poſſit ablui ſupponitur natus, & exiſtens in ſe; ergo, qui non ſupponitur eodem ſenſu natus, non eſt opus, ut eodem ſenſu renaſcatur, per aquam nempè. Probatur hoc ex reſolutione propoſitionis *Chriſti*, quæ habet pro prædicato: *Non poteſt introire in Regnum Dei.* Subjectum propoſitionis iſtud eſt, ſcilicet: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto*; quod, ſi reſolvatur, in hanc dicendi formulam opus eſt reſolvere: *Natus, qui non fuerit renatus ex aqua* ... Etenim implicat *renaſci* prædicari de eo, de quo non antecedenter prædicatur *Naſci*; & quia ly *Renaſci* eſt per ablutionem aquæ, implicat renaſci per aquam, qui non ſupponitur natus aptus per aquam in ſe ablui; ergo, dum *Chriſtus*

Digitized by Google

docet: Si quis non fuerit *Renatus*, jam in ſubjecto propoſitionis includitur eſſentialiter nativitas; & conſequenter natus, & non renatus per aquam non poteſt ſalvari. Siquidem, quod non eſt, non poteſt eſſe ſubjectum in propoſitione, in qua v.g. prædicetur albedo, aut nigredo, itaut, dum dico: Paries eſt albus, jam ſupponitur exiſtens paries. Sic, qui non ſupponitur in ſe exiſtens, non poteſt ſubjici in propoſitione logica ad recipiendam prædicationem, quæ ſuſtineri nequit, niſi ſubjectum ſupponatur exiſtens in ſe: Sed homo, ſi non ſupponitur natus exiſtens in ſe extra uterum, nequit ſubjici propoſitioni, & prædicationi renaſcentiæ per aquam; ergo, dum Chriſtus prædicat neceſſitatem renaſcentiæ, per aquam de homine, ut de eodem poſſit prædicari ſalus, jam eſſentialiter in ſubjecto involvit, & præſupponit ſtatum primæ nativitatis, & exiſtentiæ in ſe: de quo homine pro tali ſtatu reduplicativè prout in tali ſtatu primæ, nempè nativitatis obtentæ dicit: Niſi quis, ſcilicet, niſi homo natus non fuerit renatus ex aqua, &c. non poteſt introire, &c. Qui ergo non ſupponitur natus, neque naſciturus, opus non eſt ut renaſcatur aqua, ut poſſit introire in regnum Dei, ſed ſufficit, ut renaſcatur ex deſiderio aquæ, quia nequit formaliter aqua mundari, niſi ſupponatur in ſe aptus unda ablui ſalutis; quod, ut cuique innoteſcit, ſupponit exiſtentiam in ſe, & non in cauſa continente, & occludente.

198. Multifariam idcircò aliquid in ſe eſſe dicitur: Primò, prout eſt independens; 2. prout eſt extra cauſam. 3. prout per ſe eſt, & ſubſiſtit, quod non convenit accidenti, cujus eſt eſſe in alio. Item eſſe in alio multipliciter ſumitur, ut in cauſa, & in cauſa multiplicis generis: Et in continente, ut in vaſe aqua: Et ut pars in toto, ut digitus in manu. Aliquid ergo eſt in alio, ut in vaſe, ut in toto, ut in ſubjecto, ut in cauſa, & ut ab alio. Ut ab alio nulla creatura eſt in ſe, cum omnis non ſit à ſe, ſed eſſentiali-

ter à Deo. Ut in cauſa, omne id, quod non dum productum eſt, ſed produci poteſt, dicitur eſſe in alio, nempè in ſui cauſa v.g. effectiva. Ut in ſubjecto ſolùm accidens eſt in alio, & inde oritur accidens conſtitui inaleitate; & ſubſtantia hoc ſenſu eſt ens in ſe, ſui juris. Ut in toto, etiam ſubſtantia eſt in alio, quia anima eſt in corpore ſubſtantiali completo, ſcilicet, in compoſito, digitus in manu, quatenus eſt pars una conſtitutiva manus. Ut in vaſe, aqua in lagena, anima in corpore (ſumendo corpus pro ſubjecto receptivo, ſanguis in venis, &c. Infans, non dum ab utero excluſus, non dicitur exiſtens in ſe, quoad renaſcentiam per aquam, nam, cum ſit in utero, tanquam in vaſe continente, ablui nequit, quouſque, ſic occluſus perſeverat, & ſic eſt, ut in alio ſit. Sicuti ergo non poteſt denuò naſci, quod ſimpliciter non eſt, nec fuerit; ita quoque nequit de tenebris peccati excludi per aquam, qui non ſupponitur de tenebris uteri excluſus. Et ſi enim genitus ſupponatur pro eodem eſt, ac ſi non eſſet, quoad renaſcendum per ablutionem.

199. Dices: Ergo Chriſtus, neceſſitatem novi Sacramenti indicans, illud inſtituit pro excluſis infantibus; ergo pro non excluſis nullum reliquit remedium ſalutis.

200. Reſpondeo, Sacramentum baptiſmi inſtitutum fuiſſe à Chriſto pro omnibus omninò hominibus, ut ipſo Chriſtiani fierent, & ad Chriſtum pertinerent, atque ſalutem conſequerentur, deleto originali; quamobrem aquam vocarunt aliqui matrem Chriſtianorum; & ſicuti antiquiores phyſici aquam decreverunt pro principio rerum naturalium, ut Thales Mileſius, &c. & ideò vocatam aquam à qua omnia. Sic aqua baptiſmi eſt principium omnis renaſcentiæ in Chriſto, à qua omnis ſalus pendet; nam decrevit Salvator, neminem introire regnum Dei, quem unda non lavit ſalutaris. Attamen undæ neceſſitatem prædicavit Chriſtus de natis, ſeù exiſtentibus in ſe omnibus, hoc eſt

ex-

excluſis de conceptaculo. De non excluſis, neque excludendis undæ neceſſitatem in deſiderio parentum intellectam fuiſſe, indè colligitur, quod nullum aliud reperitur reliquiſſe remedium. Secundò, quod adhùc illos ſalvos fieri ab æterno voluit Deus, & pro illis etiam paſſus eſt Chriſtus. Tertiò, quia non abſurdè id dici poſſe ex ſuperioribus abundè liquet.

201. Neque dici hic poteſt, optimè intelligi Chriſti dictum apud Joannem 3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua, &c. de omnibus hominibus, ſimpliciter, & nudè intellectis, ſeù in ſe, ſeù non in ſe exiſtentibus], ideſt excluſis, & non excluſis; eo quia, dùm protulit illam propoſitionem; ſubjectum fore naſcendum, & renaſcendum intellexit; imò ideò naſcendum, quia renaſcēdum dixerat. Hoc procul dubio credi nequit. Primò, nam ſequeretur omnem fore neceſſariò naſciturum vivum; probatur, quia renaſcendum ex aqua dixit, ut poſſit introire in regnum Dei; at Dei voluntas eſt, & ideò Verbum caro factum eſt, ut omnis homo cōſequi poſſit ſalutem; ergo omnis homo naſciturus eſſet, ut renaſci ex aqua, &c. poſſet; & quod indè ſequitur omnia impedimenta auferenda forent, et infans naſceretur; ſi nonniſi à Deo auferenda ſunt; Secundò quia in propoſitione prædicatum ſupponit ſubjectum, & non ponitur vi prædicationis; at è contra prædicatio fundatur in ſuppoſitione ſubjecti. Aliud quippè eſt ſuppoſitio; Aliud propoſitio. Propoſitio eſt oratio, in qua unum dicitur de alio, v. g. canis eſt latrans. Suppoſitio eſt uſus vocis, ſeù vocis poſitio pro ſuo ſignificato; quapropter, ſi canis in mundo non eſſet, non negaretur propoſitio, ſed ſuppoſitio, quatenus vox canis non ſupponeret; quia non exiſtit id, de quo verificetur ſuppoſitio: Vndè propoſitio eſt vera, quia cani verè convenit latrare; falſa tamen ſuppoſitio, cum ſit propoſitio de ſubjecto non ſupponente, aut non ſuppoſito paſſivè loquendo. Ex logica omnia iſthæc patent.

tent. Ad noſtrum ergo. Dum Chriſtus ait: Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non poteſt introire in regnum Dei; vi hujus propoſitionis ſubjectum non adſtruitur, ſed ſupponitur, & ſolùm prædicatur de renatis poſſibilitas æternæ vitæ, & regnum Dei introire poſſe. Vocem autem *Renatus* ſupponere de ſe hominem natum; aliter ſubjectum propoſitionis eſſet confictum, ſeù propoſitio Chriſti eſſet de ſubjecto non ſupponente, quia ſubjectum renaſcendum non ſupponeretur, quod eſſet homo baptizandus: Sed homo non natus, & excluſus ab utero nō eſt homo renaſcendus per aquam. Atqui Chriſtus propoſuit hominem renatum poſſe introire in regnum Dei; ergo hæc propoſitio enunciat prædicatum de ſubjecto, non confert exiſtentiam ſubjecto; imò vi prædicationis ſupponitur exiſtens ſubjectum. Si ergo ex legibus dialecticis ad propoſitionem antecedit ſuppoſitio terminorum; & horum ſuppoſitio dignoſcitur ex prædicato; Si aſſeritur à Domino noſtro Ieſu Chriſto hominem, nonniſi renatum per aquam ſalvari poſſe, jam ſupponitur homo renatus, ſeù ſupponitur exiſtentia hominis nati in ſe, de quo dicit in propoſitione, niſi fuerit renatus non poteſt introire in regnum Dei. Cum ergo propoſitio non adſtruat, ſed ſupponat ſubjectum, de quo aliquam proprietatem prædicat in propoſitione ipſa; ſequitur propoſitionem Chriſti Domini noſtri ſupponere homines exiſtentes in ſe, non ſolùm, prout non ſunt in poteſtate cauſæ effectivæ, ſed etiam prout non ſunt in continente occluſi, de quibus poſſit fieri propoſitio logica, & prædicari, quod niſi iterùm per aquæ ablutionem naſcantur, regnum Dei obtinere nequeant.

202. Dices: Ex hoc ſolummodò inferre licet, non poſſe infantes in utero baptizari. Sed ego id prætendo ex verbis Chriſti, qui vult hominem natum poſse renaſci, & debere renaſci per aquam. Tu autem, ſolùm attenta impoſſi-

poſſibilitate ablutionis quandiù eſt in viſceribus maternis, dicis, non poſſe baptizari. Ego, ut dicebam, dico ulteriùs non poſſe baptizari, nec debere, niſi natum ex verbis Chriſti; ita quidem, ut debitum neceſſitatis ex divina inſtitutione ſuſcipiendi aquam ſalutis incumbat natis, & conſequenter non ideò ſint à ſalute excluſi in ventre matrum, qui ultimam claudunt diem, quia unda tingi nequeunt; cum neque debeant ex inſtitutione Chriſti; ergo ex vi ejusdē inſtitutionis intelliguntur baptizandi in propoſito aquæ ſalutaris. Hinc duplex debitum concipio; Vnum neceſſitatis Sacramenti; Alterū officii miniſtrantis. Inſtantia dicit, infantem in utero non debere baptizari à miniſtro, ne in caſſum baptizet, quia incapax eſt aqua baptismi ablui. Ego autem propugno, non debere baptizari debito neceſſitatis;cum non ſit neceſse ex inſtitutione non natos, ut poſſint ſalvari, abluendos fore exteriori Sacramentalis ſanctificatione. Videor quidem evidenter oſtendiſse ex vi verborum Chriſti necesſitatem ablutionis reſtringi ſolummodò quoad excluſos, & in ſe exiſtentes, inſeitate oppoſita continentiæ in alio, ut in receptaculo. Conſequenter dicebam quoad iſtos ſufficere ex vi ejusdem Chriſti inſtitutionis baptismum in propoſito. Si enim baptismus eſt necesſarius, & unicum eſt remedium; dum intelligitur ſecundum ſe pro natis neceſſarius,& nonniſi pro natis necesſarius; ergo,pro non natis, nec naſcituris idem baptismus, prout in propoſito, & in voto intelligendus eſt neceſſitate inſtitutionis Chriſti necesſarius,accedentibus præſertim tot, tantisque rationum adminiculis, in ſuperioribus benè perſpectis.

203. Item confirmantur dicta ex conceptu veræ poſſibilitatis actualis; hæc enim, ut verè actu ſit, eſse debet expedita, & prompta; nam ſi impedita ſupponitur,non dicitur poteſtas vera, proxima, & actualis, ſed remota, & potentia poſſibilitas,non actu. De homine non nato,non veri-

verificatur poſse baptizari; ſed potentia potentiæ, quæ non eſt vera poteſtas, ſed poteſtatis poſſibilitas; quæ ſi explicetur nil aliud eſt, quam poſse naſci; id autem, quod eſt poſse naſci, deberet ſemper verificari pro omnibus individuis, de quibus omnibus, & ſingulis minimè verificatur; cum aliqui ob cauſas naturales naſci nequeant. Secundò id, quod eſt poſse naſci, non eſt poſse renaſci; ſed ipſum naſci actu eſt verè poſse renaſci; ergo de non natis non eſt verum actualiter poſse ſalvari neque tempore priori, ut ſuppono, ſcilicet, noluerunt parentes devenire ad baptiſma; nam ita non poſse ſalvari defectus eſset parentum; Siquidem neque in voto eſset ſalutis poſſibilitas; ſequitur ergo, infantes non natos poſse ſalvari, ſi naſcātur; ergo, nativitate non ſuppoſita, non intelligitur hic,& nunc actu verè ſalutis poteſtas.

204. Poteſtas autem illa,quæ eſt naſcendi,à ſolo Deo eſt, ſi nulla parētum intercedit culpa,quo in actum exeat, ergo ex neceſſitate inſtitutionis baptiſmi Deus teneretur omnes infantes ex utero excludere; nam non intelligitur velle ſufficienter ſalutem illorum, niſi velit efficaciter eos naſci; cum nequeat velle eos voluntate inefficaci, ut loqui forſitàn optas, renaſci; niſi voluntate efficaciſſima eos naſci decernat. Id autem exploratum, cum ſit; ex altera parte nec omnes in facto naſci ad renaſcentiam per aquam experiamur, mortuis videlicet puerulis, ex uteris matrum excluſis, quos ab æterna, ad vitam generali prædeſtinatione nemo fidelis reiicit; ergo renaſci in deſiderio aquæ eos voluit Deus intuitu meritorum Chriſti, & hùc accedit commune adagium, toties dictum: Votum reputatur pro opere, ubi opus neceſſitas excluſit. Hæc conſequentia hactenùs variis ex capitibus, à principio diſputata, ſic demùm probatur: Poſſibilitas proxima vera,& actualis renaſcendi per aquam intelligi nequit ſine præſuppoſita voluntate efficaci de prima hominis nativi-

Digitized by Google

tate, nam, hac poſita, poſſibile eſt ablui, & conſequenter poſſibile eſt renaſci: At nullum aliud remedium ſupereſt ad regenerationem, & renaſcentiam ſpiritualem, quam renaſci per aquam; ergo pro hominibus, ab utero non excluſis renaſcendis ſpiritualiter intelligendum eſt renaſci poſſe per aquam in deſiderio. Conſequentia hæc patet, nam, ſi natos inſtitutio Chriſti obligat ad renaſcendum per aquam, quia jam natos ſupponimus; ergo non natos, neque naſcituros ex hypotheſi ex vi ejuſdem divinæ inſtitutionis, non aliud remedium inſtituentis, quam baptiſmum obligat Chriſtus ad renaſcendum per aquam in deſiderio, ut poſsint introire in regnum Dei.

205. Neque hic juvat repetere naturæ defectum, quæ excluſionem impedivit, ut potuiſſet infans aqua mundari; nam id non aliud infert, quam potuiſſe mundari, ſi ab utero excludebatur. Hoc autem abſolutè non eſt potuiſſe mundari; ergo abſolutè defuit auxilium ſufficiens. Demonſtratum eſt ſupra, hanc cōditionem repugnare cum divina voluntate de ſalute illorum infantium non excluſorum quoad auxilia ſufficientia, quibus datur verum poſſe ſalutis hominibus unanimi Theologorum conſenſu. Etenim, ſi diceremus: Deus poteſt peccare, ſi vult; abſolutè dico repugnans, quia conditio illa eſt implicans; quandoquidem Deum velle, aut poſſe velle, eſt chimericum. Ita poſſe parvulum non excluſum ab utero, nec excludendum ſalvari, ſi eſset excludendus; eſt propoſitio repugnans, quod ſalvari poſſit, quia conditio eſt impoſſibilis; Eſt enim impoſſibile, quod excludatur, aut, quod excludi poſſit, ſtantibus, & vigentibus cauſis naturalibus, excluſionem prohibentibus.

206. Dices: Poſse parentes cauſas naturales impedire per alias cauſas contrarias. Reſpondeo verum quidem id eſse, ſi parentes excluſionis infantis negationi cauſam dederint culpabilem. At id aſserere ſimpliciter de omnibus hominibus in mundo, non excluſis, nec excludendis magnum poſtulatum eſt.

Obji-

207. Objicies contra dicta: Implicat renaſci, quod non eſt, aut fuerit; at infantes in uteris, jam ſunt; ergo renaſci poſsunt; ergo baptiſmus inſtitutus à Chriſto comprehendit etiam infantes, non excluſos, quia, cum jam ſint, poſſunt iterùm naſci ea nativitate, de qua loquitur Salvator.

208. At vel major intelligitur de renaſcentia phyſica, & ſic vera; vel de renaſcentia in caſu noſtro, & falſa eſt, quod ſufficit fuiſse, ſed neceſsariò requiritur actu eſse. Minor igitur diſtinguitur infantes in uteris jam ſunt, in alio concedo; in ſe nego. Renaſcentia in Chriſto ſupponit rem exiſtentem in ſe, non in alio; Parvuli non excluſi ſunt in alio includente, & occultante ergo non poſsunt denuò naſci per aquam. Pro quo demùm notandum eſt, Utile eſse vocem relativam, nam connotat ſubjectum, cui eſt utile, & objectum, ad quod eſt utile; & licet aliquod de genere ſuo ſit utile ad aliquod determinatum, non eſt tamen utile ſubjecto, niſi confusè cognito v.g. equus eſt utilis ad iter peragendum, & homini in confuſo; haud tamen eſt utilis homini diſſito per innumera v.g. milliaria ab equo, quia ita ſe habet, ac ſi non eſset equus quoad iter faciendum homini diſſito, prout diſſito: Prædicatio quidem utilis accidit rei, quæ dicitur utilis, poteſtque ab ea ſeparari, & cum ea conjungi. Baptiſmus ergo licet ſit utilis ad delendum originale ex inſtituto Chriſti ex genere ſuo quo pacto omnes infantes comprehenduntur ſimpliciter; hic, & nunc tamen alicui non eſt utilis, v. g. non eſt utilis Petro non exiſtenti, mortuo, &c. ergo nec eſt utilis Petro non excluſo ab utero; nam ſic nempè non excluſus non exiſtit in ſe, ſed in cauſa continente; ergo baptismus pro Petro ita ſe habet, ac ſi non eſſet inſtitutus; & conſequenter, licet ſit utilis Petro confusè cognito, non tamen, prout hic, & nunc circumſtantialiter exiſtit; Negandæ ergo objectionis conſequentiæ ſunt.

OBJECTIO ULTIMA.

In qua proponuntur, & examinantur ea omnia, quæ congerit Alphonſus de Caſtro contra hanc ſententiam.

209. * Alphonſus de Caſtro, vir cæterùm eruditus pag. 79. V. Bap. ob plura motiva erroneam, & falſam vocat, acriorique cenſura eam inurit.

210. Primo ob illud Chriſti Joan. 3. arguit: oportet renaſci illum qui debet intrare in Regnum Dei; At qui nondum eſt natus non poteſt eſſe renatus; parvuli igitur qui in ventribus matrum exiſtentes nondum ſunt nati non poſſunt ex communi lege ante talem nativitatem eſſe renati, & per conſequens nec in Regnum Dei introire.

211. Sed argumento ex hoc tex. cõcinnato ſatis dictum eſt nu. 119. & ſequentibus. Item ſatisfactum eſt à nu. 192. & hic concedo majorem, minorem, & conſequentiam; nego tamen ſecundam conſequentiam, imo ſequitur oppoſita, ſcilicet poſſe introire in Regnum Dei ex vi locutionis Chriſti, quod diligenter conſiderandum eſt numeris citatis; nam oportet renaſci illum qui debet intrare in Regnũ Dei. At (& eſt minor Alphonſi de Caſtro) qui nondum eſt natus non poteſt eſſe renatus; ergo parvuli non nati, nec naſcituri ut poſſint introire in Regnum Dei non oportet renaſci per aquam. Item annotanda prima eſt conſequentia Alphonſi, nam tranſit de renaſcentia per aquam ad renaſcentiam inviſibilem, ſpiritualem, quia dum dicit ex communi lege ante nativitatem non poteſt aliquis eſſe renatus, ſi intelligit per aquam non ſolum verum eſt ex lege communi, ſed abſolutè, & ſimpliciter; nam primò non eſt, qui non natus ſit renatus per aquam: ſecundò impoſſibile eſt non natum renaſci ex aqua ſpectatis generationis conceptaculis, &c. & miniſtrantium operatione; & lex illa

pecu-

peculiaris pro Baptiſta, & aliis fuit de renaſcendo aliter ac nunc controvertitur. Si autem intelligit ex communi lege ante nativitatem non poſſe renaſci, ideſt, ac ſi dixiſſet ex communi lege non poſſe renaſci, niſi per baptiſmum, & quia renaſci per baptiſmum ſupponit eſſentialiter nativitatem, ſequitur, non poſſe renaſci de lege communi non natos. Dico unde probat renaſci de lege communi non eſſe niſi per baptiſmum, idem eſſe, ac non renaſci de lege communi niſi ſupponatur nativitas, niſi quia ſupponit neceſſitatem baptiſmi, & ablutionis ex textu Jon.3. niſi quis fuerit renatus ex aqua, &c. At peto unde colligit ex dicto textu Joannis neceſſitatem ablutionis, & renaſcentiæ per ablutionem, niſi quia, qui non eſt natus, non poteſt dici renatus per aquam, ergo aliud non ſequitur, quam natos oportere renaſci per aquam, ut ſalventur; ergo morientes in utero, & conſequenter, qui non ſunt nati non includuntur in dicto. Si quis non fuerit renatus nõ poteſt introire in Regnum Dei; ergo ex vi locutionis Chriſti non excluditur ſentẽtia aſſerens poſſe illis non natis neq; naſcituris ſubveniri per baptiſmũ in voto matris ſuſceptũ, ut dixi à nu.192. ergo non benè concludit Alphonſus de Caſtro non natos non poſſe in Chriſto renaſci, & conſequenter perperam, & gratis ſupponit de lege communi renaſci idem eſſe ac de lege communi renaſci per aquam, niſi intelligat ordinativè, & reductivè, in caſibus neceſſitatis; nam votum ordinatur ex ſua ratione ad id quod vovetur.

212. Secundò affert textum Joann. 5. *hic eſt qui venit per aquam, & ſanguinem Jeſus Chriſtus: non in aqua ſolum, ſed in aqua, & ſanguine; & tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra ſpiritus aqua, & ſanguis, & hi tres unum ſunt.* Ex quibus verbis, ait, redarguuntur illi qui dicunt parvulos poſſe ſine baptiſmo ſalvari; quia Joannes dicit tres eſſe teſtes, qui debent perfectum reddere teſtimonium animæ à ſordibus peccatorum ablutæ; at parvulis ſine baptiſmo mor-

Digitized by Google

mortuis deeſt unus teſtis v.d. aqua; ergo illi non ſunt cenſendi mundati. Huic argumento ex 5. Joann. reſponſum eſt per ea quæ docui num.88. & alibi, nam aqua eſt teſtis unus certus, quatenus baptizati certè ſalvantur,& baptiſmus eſt unicum medium certum ad excluſionem alterius medii certi ea certitudine,qua certũ eſt lavacrum. Parvuli noſtri autem probabiliſſimè per theologicā Concluſionem ſalvari poſſunt,ut dictum eſt in ſuperioribus.Item tres ſunt teſtes animæ à ſordibus ablutæ peccatorum,dum parvulus eſt natus, ſeù de utero excluſus, nam tunc certè eſt renaſcendus per aquam. De morientibus in utero aqua voto ſuſcepta eſt etiam ſufficienter teſtis cum ſanguine ad delendũ originale ob ea omnia motiva ſparſim inſinuata,quæ repetere ſuperfluũ puto.Tertiò.In hoc ſtat quæſtio an dicatur deeſſe teſtem aquæ in caſu inculpatæ neceſſitatis,dum voto ſuſcipitur aqua; nam tres ſunt teſtes, quorum unus eſt aqua non omittenda, ut ex Aug. dixi prop.2. neceſſitatis autem articulo non intelligitur omiſsa, & neglecta;ergo.

213. Tertiò adducit Concilium Flor. ſub Eug.4. & in definitione de libris canonicis: *Circa pueros verò propter periculum mortis, quod poteſt ſæpè contingere, cum ipſis non poſſit alio remedio ſubveniri, niſi per ſacramentum baptiſmi, per quod eripiuntur à diaboli dominatu, & in Dei filios adoptantur admonet non eſſe per* 40. *aut* 80. *dies, ſeù aliud tempus juxta quorundam obſervantiam ſacrum baptiſma differendum, ſed quamprimùm fieri poteſt debet conferri; ita tamen quod mortis imminente periculo mox ſine ulla dilatione baptizentur etiam per laicos.*

214. Sed quid aliud ex his verbis colligitur, niſi quod docui num.28.in 3.notabili, num.101. 170. in quibus explicatum eſt baptiſmum in voto nullum eſſe,ſi data opportunitate rei, res ipſa non actuatur; Vndè optimè Concilium hortatur ſacrum baptiſma non eſſe differendum per 40.dies, &c.nam non poteſt ſubveniri niſi per baptiſmum; idcir-

idcircò non eſt differendus, nam ſi votum ordinatur ad rem; quare res optata differtur? Loquitur ergo contra illos, ut patet, qui cum poſſint baptizare ſuos filios, baptismum differunt quem differre nequeunt, quia in hac hypotheſi nonniſi baptismate ſuccurri poteſt: Si enim moriuntur ſine lavacro baptismi, dici non poteſt neceſſitate id evenire, ſed ex negligentia, qua baptismum diſtulerunt parentes contra id, quod dicit Auguſtinus à me relatus num. 170. quem lege.

215. Quartò inquit: Si parvuli poſſent ſalvari ſine baptismo, hæc gratia eſſet communis tam filiis infidelium, quàm fidelium. At reſponſio continetur in dictis num. 101. Item à num. 136. usque ad num. 146. Tantùm ergo abeſt ut ſit communis filiis infidelium, ut ex locis citatis habeatur pro filiis fidelium, etiam in utero periclitantibus nullam eſſe proteſtationem de conferendo baptismo, ſi proteſtatio ſit contraria facto. V. g. ſi Mater ſupponitur applicare ſuo filio in utero periclitanti baptisma, nullum eſt hoc votum, ſi aliquid factum huic voto contradicit; nam ſi votum ordinatur ad baptiſmi collationem, dummodo aliquid operetur, quo ad baptismum in cauſa perduci non poteſt filius, jam illicò vacat proteſtatio, ſeu votum; nulla igitur eſt objectio.

216. Quintò arguit ex eccleſiaſtica ſepultura non concesſa non baptizatis. Sed reſponſionem habes, lector, num. 111. ultra ea quæ ad objectionem ſeptimam refellendam inſinuata ſunt.

217. Sextò inquit, ſacrilegii crimen videri, ſi quis contenderet haberi certitudinē ſalutis parvulorum ex orationibus parentum pro parvulis ſuis. Quis autem docuit talem certitudinem haberi; Ego quidem mox ſupra docui nullam eſſe veram certitudinem, ſicuti eſt illa qua certi ſumus parvulos baptizatos, & viſibiliter per Sacramentalem ablutionem ablutos ſalvari. Fortaſſe dixit hoc Cajetanus;

Digitized by Google

tanus; Sed cur non attulit verba Cajetani? Vltra ergo progreditur, quam progredi oporteat.

218. Septimò, quia etiam poſſet ſubveniri extra periculum exiſtentibus per eadem media. Hic iſte Author ſupponit alio medio ſubveniri per nos infantibus noſtris à baptiſmo, immemor quod votum baptiſmi eſſentialiter ordinatur ad baptiſmum, & conſequenter non conſtituit aliud medium à baptiſmo. Solum igitur eſt diſcrimen applicationis, cum ſit idem remedium, puta baptiſmus. Hanc verò applicationem proteſtativam, &c. nonniſi caſibus neceſſitatis valere poſſe, ex conceptu baptiſmatis in voto clarè conſtat, de cujus ratione eſt, baptiſma in re aliqua neceſſitate excluſum ſupponi. Perperam igitur author ex hoc capite objicit.

219. Octavò aſſerit, non potuiſſe Eccleſiam ignorare rem tam utilem, & neceſſariam ſi hæc noſtra ſententia eſſet vera, quam alii ante nos tetigerunt. Reſpondeo Eccleſiam juxta monitum Pauli prima ad Timo. 2. orare pro omnibus, & orandum eſſe præcipit. An autem oratione voto, &c. in caſu neceſſitatis proſit ad ſalutem parvulis, dum baptiſmus conferri nequit; non ideo debuerit ab Eccleſia promulgari, ſi verum eſt theologicè arguitivè. Igitur primò vult Eccleſia nos orare pro parvulis etiam in utero periclitantibus, quoniam acceptum eſt coram Deo Salvatore noſtro, qui vult omnes homines ſalvos fieri inquit Apoſtolus 1. ad Timot. 2. ergo objectio ſupponit aliquod falſum, ſcilicet Eccleſiam non hortari eſſe orandum pro omnibus, & ſingulis. 2. quod poſſint ſalvari, ſeù quod ſalventur poſitis voto proteſtatione fide, &c. in caſu neceſſitatis, non ideo Eccleſia debet definire, quia à Theologis v.g. ſic aſſeritur; nam veritas à me aſſerta non eſt ex certitudine fidei, ſed ſolùm arguitiva Theologica; & advertendum eſt Eccleſiam non diſputare, neque diſputandi locum non concedere, aliter Summiſtæ evaneſcerent, qui tam

con-

contrariè concertant de rebus pertinentibus ad mores, & ſalutem. Plurimi Theologi morales docent homini morienti nullum ſignum doloris oſtendente caſu aliquo, non negandam fore abſolutionem Sacramentalem; ergo Eccleſia debuit definire abſolutionem non fore negandam, cùm ſit medium ſalutis pro illo pœnitente forſan interiùs, licet nullum ſignum exterius præbuerit. Item non ideo, quia Scotiſtæ aſſerunt Chriſtum in Altari adduci, ut ſalvetur tranſubſtantiatio; aut è contra, quia Thomiſtæ propugnant, Corpus Chriſti in altari debere reproduci ad ſalvandam trãſubſtantiationem, debuit Eccleſia id non ignorare, & conſequenter definire ſententiam Thomiſticam. Sic à pari; licet ego putem, non ſalvari voluntatem Dei antecedentem generalem ſalutis omnium, & ſingulorum tandẽ expreſſiùs definitã ab Inn.X. & Alex.VII. niſi dicatur baptiſmum in voto prodeſſe infantulis in utero morituris; non ideò Eccleſia id debuerit definire; aliter omnis locus diſputandi Theologis adimeretur. Taceo alia quæ poſſem dicere.

220. Arguit 9. hic Author ratione fortiſſima ut ait, nã nullus purus homo poteſt alteri mereri primã gratiam, aut primam juſtificationem. Hæc autem objectio legenti, quæ ſparſim in ſuperioribus à me dicta ſunt, quam futilis ſit clarè conſtabit; quæ repeterem, ut lectoris labori parcerem; niſi typi imminerent. Dico igitur breviter ſalutem obtineri, & gratiam à parvulo illo in vi baptiſmi voto parentis ſuſcepti, nonniſi ex inſtitutione Chriſti, non per modum meriti, ſed per modum miniſterii; nam parens miniſtrat Sacramentum eo modo quo poteſt, aut ſi velis vocare meritum, non ſequitur abſurdum, quod infert author iſte, ſcilicet poſset amens exiſtens in peccato mortali juſtificari ſine ulla ſua pœnitentia; & diſparitas eruitur ex dictis à me n.144. ad quem lectorem refero nè ſim nimius, & n.114. Cætera, quæ adducit de facili diſſolvi poſsunt.

Caput Vndecimum.

De ſalute adultorum per auxilia Gratiarum.

1. HActenùs oſtenſum eſt, verè Deum poſt lapſum velle omnium parvulorum ſalutem, non obſtante baptiſmi neceſſitate; neque aliquid deeſſe ex parte Dei, quo eorum ſaluti ſit proviſum. Scrutandum ſupereſt, nec adultis deeſſe ſuis auxiliis: quoad hoc autem quisque videre poteſt authores, apud quos fusè patet, omnem hominem illuminare in hunc mundum venientem. De fidelibus jam conſtat, nam quis gratias, & adminicula numerat, quibus Eccleſia abundat? De infidelibus, & barbaris idem ſuo modo intelligendum eſt; nam quis dicet, Deum Conditorem aliquem latere. Eſt enim cuique impreſſa notio Dei, ſaltem vagè, & in confuſo, ut Authoris, & Gubernatoris hujus mundi, ut malorum, & bonorum remuneratoris, &c. ergo nemo eſt, qui Deum glorificare, colere, invocare non poſſit; Et conſequenter alias gratias accipere, quibus perveniat ad fidem Chriſtianam, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo. Quomodo autem perveniretur ad fidem Chriſtianam, niſi cognitio Dei eſſet omnibus indita, aut per inſtinctum naturæ, aut per diſcurſum; loquendo de illis gentibus, quibus ſupernaturalia lucis ſpiracula non ſupponimus conceſſa; Et vide quoad hoc Maignanum prima par. phil. ſac.

2. Non adſtipulor tamen eis, quæ docet Sfondratus de prædeſt. pag. 89. colum. 1. ſcilicet, illos Barbaros, quos concedamus, Deum ignoraſſe invincibiliter, non peccaſſe, nam peccatum, ait, cum ſit offenſa Dei, ſublata Dei cognitione, neceſſariò ſequitur, nec peccatum, nec offen-

ſam

ſam eſſe,nec pœnam æternam. Si enim Deum non cognoſcant invincibiliter, concedo, eum non offendere non amando, colendo, &c. At quomodo negari poteſt, peccare eos, dum ductum rationis naturalis non ſequuntur. Aut in ductu rationis cognoſcunt in confuſo Deum, aut non cognoſcunt; ſi non cognoſcunt, quid proindè? Non deviant à regulis rationis, & naturæ, dum contra rationis principia operantur; ergo peccant formaliter, nam digni ſunt vituperio, eò quia naturæ contradicant. Si cognoſcunt, jàm Deum offendunt.

3. Quod ſi dicas in hypotheſi, qua ſint homines, ita rudes,ut ad veritatem Dei cognoſcendam deſit ingenium, licet habeant illa principia prima agendorum,ſeù morum; non per hoc tamen contradicunt Deo ignoto, ut ſupponitur, ſed ſolùm rationi, ſeù propriæ cognitioni dictanti; ergo non peccant formaliter, prout ly peccare formaliter ſumitur in ordine ad Deum legislatorem, cujus lex ſit in cordibus ſcripta, ſed dicitur peccare formaliter prout includit actum liberum circa objectum, aliter à ratione dictatum. Contra nam primò videtur impoſſibile, hominem in iiſdem dictaminibus naturæ non cognoſcere Deum,naturæ authorem, aut naturali inſtinctu, aut virtuali diſcurſu. Secundo adhùc data ignorantia Dei, operans contra dictamen rationis naturalis, deviaret à regula; ergo peccaret, & quidem formaliter, quia liberè. Item eſſet vituperio dignus, & pœna; ergo non ſolùm peccaret formaliter, quia liberè, ut dictum eſt, ſed offenderet in communi, & præciſivè; ergo, aut dicendum non poſſe ignorari Deum ignorantia invincibili, aut, data hypotheſi, non eſt dicendum non peccare, ſi verum eſt peccare contra rationem; nam peccans contra rationem, peccat contra Deum, quia non intelligitur homo obligatus ad culpam,& pœnam,niſi ab aliquo ſuperiore; ergo operans contra rationem,peccat contra Deum. Dum ergo Sfondratus permittit hypothe-

ſim de ignorantia Dei, & negat eo tunc peccare, ſeù offendere Deum; aut concedit, poſſe malum morale operari, aut non: Hoc ſecundum dici non poteſt; ergo neceſſariò dicendum primum; quo poſito, aut vocat peccatum, aut non. Quomodocumque dicatur, ne quæſtio ſit de nomine; ſi peccat homo contra rationem, peccat etiam contra Deum, nam ideò peccat contra rationem, quia obligatur à Superiori Numine ad ſequendum ductum rationis; ergo neganda eſt hypotheſis; aut, ſi concedatur, nego peccare contra rationem; ergo non ſolùm eſſent impeccabiles contra Deum, ſed etiam contra naturam rationalem, nam, ut dicantur peccare formaliter, ſupponitur iis eſſe obligationem aliquam, impoſitam à Superiore præcipiente, quæ ceſſat, ignorato Deo.

4. Sed redeundo ad propoſitum, nulla eſt gens, quantumvis barbara, quæ auxilia ad ſalutem non habeat, aut remota, aut proxima; nam Chriſtus, cum ſit mortuus pro omnibus, quis dicet, non daturum omnia, ſine quibus fruſtra mortuus eſſet, & licet nos lateat, quibus modis Deus etiam barbaris efferatis lucem ſuam infundat, certum eſt infundere, nec ab incertis dubitandum eſt de certis. Videantur D. Thomas, & alii Theologi, nam res eſt inconfeſſo apud omnes, ideò non immorandum.

Caput Duodecimum.

De libertatis ſecundæ conditionis vitæ defectu.

1. Libertatem hujus ordinis vitæ lapſæ, & per Chriſtum reparatæ, nullatenus diſcrepare à libertate ante Adæ caſum quoad vim ſe determinandi ab intrinſeco, & quoad electionem ex indifferentia activa, clarum eſt

ex

ex Scriptura, Conciliis, & Eccleſiæ Patribus, quæ omnia legi poſſunt apud Scriptores. Defectus autem omnes, qui dici poſſunt convenire præſenti libertati, prout decidit à præſtantia primæ conditionis ad hoc reducuntur, quod ſatis apertè indicavit Paulus, dum ait ad Rom. 7. *Si autem, quod nolo, illud facio, jam non ego operor, ſed, quod habitat in me peccatum*; ſcilicet plurima à nobis fieri nolentibus, ut fiant; ut ſunt motus concupiſcentiales, &c. Item ob luctam carnis contra ſpiritum, itaut non gaudeat tranquillitate libertas, ſed continuò vexetur, ſequitur, libertatem eſſe defectuoſam, ut non ſit in pleno, & tranquillo arbitrio, ſe determinare ad nutum. Tunc autem libertas ſua pace fruebatur, nec vexabatur in illo loco beatitudinis; quod volebat, faciebat pleniſſimo, & tranquilliſſimo ſui arbitrii uſu. Quæ omnia paucis perſtringo, tunc erat libertas phyſica, & moralis, nunc autem libertas phyſica, & non moralis. Tunc alacris libertas, tranquilla ordinatiſſima, nunc pigra, perturbata, & commota: Ratio autem electionis, in qua ſita eſt indifferentiæ libertas, ſeù libertas à neceſſitate eadem eſt in utroque ſtatu, quidquid dicant hæretici.

Caput Decimumtertium.

De aliis naturæ reparatæ præſidiis.

1. INnumeris modis Deus homines poſt lapſum adjuvat, ut ad finem perveniant: Pro parvulis baptiſmate: Pro adultis interioribus auxiliis, Sacramentis, &c. Mihi animus non eſt, nunc agere de Sacramentis, ſed ſolùm ea recenſere, in quibus elucet ratio medii ad ſalutem, atque hominis reparatio, qua de peccato ſurgat; Et primò de Sacramento Altaris. Secundò de Pœnitentia.

2 Chri-

2. Chriſtus, humani generis reparator, tranſiturus ex hoc mundo ad Patrem, hoc Sacramentum inſtituit, ſuæ reparationis juge teſtimonium, & naturæ noſtræ reparatæ ſolatium. Inquirere ergo ſatagam, quomodo inter cæteros innumeros reparatæ naturæ ſolatium ſit Corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis, & vini. Dico quoad reſurgendum à peccatis, & obtinendam juſtificationem, quandoque prodeſſe Sacramentum Altaris. Et licet Sacramentum pœnitentiæ fuerit ad id per ſe inſtitutum, adhùc Corpus Chriſti id facere poteſt, ut ſi aliqua de cauſa peccator per pœnitentiam Sacramentalem non fuerit juſtificatus, Corporis Chriſti ſumptione juſtificationem obtinere poſsit.

3. Probatur aſsignando caſus: Si quis ad Euchariſtiam accedens, nullam credit habere conſcientiam peccati gravis, putatque, ſe eſſe in gratia invincibiliter, vel quia, facto diligenti examine, nullius peccati recordatur, vel, ſi recordatur, nullam habet copiam confeſsarii; habet autem actum putatum contritionis, re vera cum ſit attritio. Iſte cum tali diſpoſitione dignè accedit, & ſine obice; recipit ergo gratiam, cum Sacramenta non ponentibus obicem conferant gratiam ex Concil. Triden. ſeſſ. 7. can. 7. Quod autem obicem non ponat, patet, nam, etſi ille in ſtatu peccati habitualis ſit, illud tamen cum attritione, & bona fide conjunctum non eſt obex, aut impedimentum gratiæ, ut conſtat in baptiſmo, & pœnitentia; ergo.

4. Diſcrimen verò inter hoc Sacramentum ex una; ac baptiſmum, & pœnitentiam ex altera parte, hoc eſt, quod, ut ad Sacramentum pœnitentiæ dignè accedat, ſufficit attritio, etiam cognita, ut talis; ad Sacramentum autem Altaris ſumendum, neceſſaria eſt contritio, ſaltem putata in prudenti exiſtimatione; & ratio hujus diſparitatis petitur ex eo, quod Euchariſtia per ſe eſt Sacramentum vivorum; Baptiſmus, & pœnitentia ſunt Sacramenta mortuorum.

5. Neque mirum videri debet evenire id poſſe, nam pœni-

pœnitentia quandoque non cauſat primam gratiam, ſed ſecundam, etſi ſit Sacramentum mortuorum, ut patet de contrito, accedente ad Sacramentum pœnitentiæ, aut de pœnitente, qui ſolùm venialia commiſit, quæque ſola confitetur.

6. Advertendum hìc cum iſta quæſtione non confundi illam: An contritus teneatur confiteri, quandò occurrit communionis neceſſitas, aut voluntas, ne contritionis effectus pereat; & per conſequens iſta concluſio non contradicit eis; quæ dixi cap. 10. prop. 5. num. ſcilicet contritum teneri confiteri, dum occurrit communio Corporis Chriſti; Tunc dicebam verè contritum teneri confiteri; urgente præcepto communionis, articulo, aut gravi periculo mortis, ne præfidat in ſua contritione, nam ſic gratiam Dei amitteret, & indignè accederet. At in præſenti longè abſumus, nam in caſu expreſſo accederet putativè contritus ob inopiam confeſſarii; non autem quia contritus, deeſt confeſſarius, & confeſſarii quærendi ſollicitudo. In quo vides latum eſſe diſcrimen unam inter, & aliam propoſitionem.

7. Quæres, an idem dici poſſit de cæteris Sacramentis, puta de ordine, confirmatione, extrema unctione, matrimonio. Reſpondeo, de extrema unctione, confirmatione, & matrimonio, non eſſe cætera paria, & per conſequens intervenire obices, quos nunc aperiam; ergo iſta Sacramenta non conferunt gratiam in caſu ſimili. Obices, quos poni à ſuſcipientibus dixi, iſti ſunt, videlicet in matrimonio nulla intervenire poteſt neceſſitas, nec in extrema unctione, aut confirmatione, nec ſcandali periculum, quod differantur quantum differri oportet: nam, qui copiam habet presbyteri, oleo ſancto ungentis, hoc ipſo copiam habet confeſſarii; ergo ſi conſcius eſt peccati mortalis tenetur confiteri, antequam Sacramentum extremæ unctionis ſuſcipiat. Idem de contrahentibus matrimonium,

nium, nam, ſi copiam habent Parochi, cujus præſentia moralis, & non tantùm phyſica (ut cruditiſſimè demonſtrat in ſuo libello Doctor in Archigymnaſio Romano, & integerrimus in Romana Curia Advocatus Dominus Dominicus Vrſaya) ex Concilio Trid. neceſſaria eſt, hoc ipſo copiam habent confeſſarii. Idem dicendum eſt de confirmandis, quatenus ad hoc Sacramentum, conferendum ab Epiſcopo, præcurrit edictum; ergo tempus ſuppetit cuique confirmando, conſcio peccati gravis, accedendi ad confeſſarium. De ordinando autem facienda eſt exceptio, nam concurrit vitandum ſcandalum, & negatio dilationis. Dum v. g. ordinandus ſacris indutus coram Epiſcopo, & ordinandorum multitudine recordatur alicujus peccati mortalis, certè, confeſſarium quærens, ſcandalum vitare non poſſet; aut ſaltem, non habens eo tunc copiam confeſſarii, cum contritione putata ordinem ſuſcipiens, dignè, & ſine obice ſuſciperet, & ei per conſequens conferretur gratia; ergo.

8. Secundò dicebam num. 1. me diſputaturum de pœnitentia, altero humanæ naturæ præſidio, ſalutiſque medio. Naturam, per Chriſtum reparatam pro delendis actualibus peccatis, Sacramentali pœnitentia gaudere, certum eſt. Hic autem Caſuiſtam agere non intendo, ſed ſummatim attingere ea, quæ concernunt ſtatum naturæ inſtauratæ.

9. Deperdito ergo ſtatu illo felici innocentiæ, in quo, cum non eſſet, aut fuiſſet culpa, nec quoque indiguiſſet pœnitentia: deperdito itaque per peccatum, illicò de jure divino naturali emerſit pœnitentia, quam primò ſubiit primus peccator Adam, tunc verò pœnitudo, ſive dicam pœnitentia conſiſtebat in actu, quo quis nollet fecisſe peccatum, indeque erumpebat dolor, triſtitia, &c. Hic actus neceſsarius duravit uſque ad Chriſtum, Deum noſtrum Salvatorem, qui volens alleviare onus pœnitentis, inſtituit

Sacra-

Sacramentum pœnitentiæ, ſcilicet confeſſionis coram legitimo Sacerdote, abſolutionis, &c. quæ quidem pœnitentia eſt de jure divino poſitivo. Hæc verò inſtitutio non eſt cum excluſione priſtinæ pœnitentiæ priorum temporum, ſed partim addendo, partim demendo de neceſſitate. Prioribus ſæculis dolor perfectus, & motus contritionis delebat peccata; Chriſtus autem noviſſimè allevians onus pœnitentis, inſtituit Sacramentum, ut accedens attritus motivo ſupernaturali cum Sacramento abſolutionis juſtificetur. Hinc eſt, ut dicatur vulgo Sacramentum de attrito facere contritum, puta, quoad effectum; nam gratia, quæ prioribus temporibus obtinebatur motu contritionis, nunc ſola attritione, Sacramento conjuncta obtinetur.

10. Non nego nunc obtineri quoque gratiam contritione ante Sacramentum pœnitentiæ, ſed ad gratiam obtinendam non eſse neceſsariam; & in hoc ſitum eſt beneficium poſt Chriſti adventum, quod tantum onus fuerit ſublatum Sacramenti inſtitutione. Quid autem ſit contritio in ſuperioribus num. 20. dictum eſt apertiſſimè: Humana mens autem diſcreta eſse debet, nec Sacramentum negligere, ſi quandoque contritionis motu fruetur. Etſi enim gratia eo tunc non deſit, non tamen deeſt obligatio confitendi ob præceptum Chriſti. Etenim, ſicuti non contrito, ſed verè, & utiliter attrito prodeſt Chriſtus Sacramenti inſtitutione ad remiſſionem peccatorum, in quo conſiſtit oneris alleviatio; ita quoque non præſumendum ſuperbè, & ingratè non teneri, neque debere confiteri, dum quis contritus dignoſcatur.

11. Contritio verò, an attritio ſit valida diſpoſitio ad abſolutionis effectum conſequendum diſputant theologi, & ſummiſtæ diffident. Ego cum probabiliori mihi perſuaſum habeo ſuffic ere attritionem, etiam notam; & ratio eſt, quia Sacramentum pœnitentiæ eſt Sacramentum mortuorum; ergo, ut pœnitens accedat dignè, & cum fructu, ſufficit,

ficit, quod ſit attritus attritione bona ſupernaturali; nec eſt neceſſe, ut ſit, aut putetur contritus. Item potiùs eſſet aggravatum,quàm alleviatum onus pœnitentis à Chriſto, ſi contritione putata opus eſſet; Ergo dicendum eſt ſufficere attritionem notam, quæ tamen talis ſit, ut cum abſolutione faciat contritum quo ad effectum, ſcilicet, gratiæ ſuſceptionem juſtificantis; Et hoc ſenſu intelligendi ſunt,qui adſtruunt neceſſitatem contritionis putatæ,quod recordor adnotaſſe Navarrum hic in ſuo manuali confeſſariorum,&c.

12. Attritio, quæ ſit ſufficiens, & valida diſpoſitio ad fructum abſolutionis concipi debet ex ſtimulo, & motivo gehennæ, ut à Deo vindice infligendæ,aut ob gratiæ divinæ deperditionem, aut ob deformitatem peccati, ejusque turpitudinem,aut ob offenſam Dei Redēptoris Jeſu Chriſti; nam, ſi eſt ob metum gehennæ, ut malum naturæ non prodeſt. Dices hìc forſitàn ſi eſt ob offenſam Dei, jam videtur accedere ad naturam contritionis. Sed reſpondeo, me addidiſſe *Redemptoris*,cujus additione ſubintrat gratitudo, & motivum gratitudinis; ad contritionem autem requiritur motivum amoris, charitatis, dilectionis; quapropter contritio dicitur æquivalenter dilectio,& dilectio virtualiter contritio. Si autem(quod notandum opto)gratitudo, & beneficia Dei aſſumuntur, ut medium, magis demonſtrans Dei bonitatem diligibilem;tunc certè aſcendit attritio ad naturam contritionis. At, quia noſtra natura, aut ob corpus, aut ob cupiditates vilis eſt, & infimæ coitionis, non tàm facilè aurum charitatis emergit, ſed alia virtutum infimiora metalla pullulant; Deus autem miſericors in Chriſto iis quoque utitur ad remittendum peccata abſolutionis Sacramentalis efficacia; nam quod optimum eſt non præcipitur.

13. Quisque autem conſulendus eſſet, ut cum gratia Dei, nemini deficiente, conteri conetur; nam non tàm diffi-

difficilis eſt contritio, quanta pronunciatur. Siquidem duo ſunt capita, quibus ego perſuadeor, difficilem non eſſe, neque arduam. Primum eſt, non eſse nos deterioris conditionis populo priori; hic contritione utebatur ad remittenda peccata; neque medium erat eis difficillimum, aliter difficillima via ſalutis; ergo neque nobis putanda eſt difficilis. Aut, ſi difficilis, ut dicitur (& eſt ſecundum caput) id provenit ex noſtra cupiditate, quatenus ſinimur moveri ab utili potiùs, quàm à bono honeſto de ſe; ergo, ſi noſtra libertas incumbit proprio conatu depellendis iſtis cupiditatibus, & aſsurgit paulò altiùs pro dignitate ſuæ conditionis mens noſtra ad contemplanda nobiliora motiva, indè ſequitur nobilior dolor; non eſt igitur difficilis ſecundum ſe, & humana natura ſpectata, ſed ſpectata noſtra negligentia, noſtraque infirmitate ex actualibus peccatis, & ex deſidia applicandi noſtrum conatum, exercendique noſtram intelligendi, & volendi dignitatem.

14. Hic nimirùm nobilis dolor talis eſt, ut quandoque ob ſui excellentiam remittit non ſolùm culpam, ſed etiam pœnæ reatum, etiam totum, ut adnotat Navarrus de Contrit. cap. 1. num. 40. in quo maximè elucet vis contritionis, ut efficiat, quod Sacramentum pœnitentiæ non confert: Hoc quidem remittit culpam, non autem totam relaxat pœnam. Cur quidem baptiſmus culpam, & pœnam condonet, non autem Sacramentum pœnitentiæ, facile eſset cauſam aſſignare: At difficile videtur, non poſse congruere Sacramento pœnitentiæ, quod competit perfectiſſimæ contritioni. Per baptiſmum, ut dicitur Rom. 6. commorimur Chriſto; ergo applicatur nobis ejus paſſio plenè; ergo pœna tota deletur, quod non contingit per Sacramentum pœnitentiæ. De contritione autem, ut differenti quo ad dictum effectum à Sacramento pœnitentiæ, dicerem, id ex eo oriri valdè probabiliter, quia contritio perfectiſſima omnem pœnam, ſibi injungendam, nempè

Digitized by Google

contrito ſubjicit; nec videtur contrito perfectiſſimè debe-ri,aut injungi aliquam pœnitentiā pro pœna tollenda;Qui enim cōteritur perfectè odio habet peccatum ſupra omne odibile,& revera mavult eſse mortuum,& incurriſse quæ-cumque mala, & damna, quam peccatum, & includit vel-le pati hanc,illam mortem, hoc, illud malum; hinc eſt, ut poſſit extinguere omnē pœnæ reatum: Cum autem id non contingat in attrito cum Sacramento pœnitentiæ, ſequi-tur, ut fuit dubitatum, ſufficiens diſcriminis ratio. Et hæc ſufficiant.

APPENDIX

Ad Caput Septimum.

1. PUtavit aliquis loco citato, me haud ſufficien-ter dixiſſe peccato gravi deberi pœnam æter-nam ob divinam legem promulgatam; qua inobedientes divinis mandatis, eorumque transgreſſores æternùm pu-niri indicit. Illi profectò, qui hanc legem evangelicam, ſeù ſtatutum pœnale neſciunt in evangelio manifeſtum peccantes, adhùc in inferno in peccato obeuntes in æter-num torquentur;Aut dicendum illos,qui hanc pœnæ pro-mulgationem ignorant, non puniri ea pœna, qua Deus odio habet, & punit peccatores Chriſtianos; quod, cum ſit abſurdum, ſequitur peccato mortali deberi jure ſuo, & ſua exigentia pœnam perpetuam; non autem ex divina lege, qua ſtatuit, illud velle punire in æternum. Ad hujus dubitationis ſolutionem.

2. Præmitto hoc quæſitum: An dari poſſit ignorantia invincibilis de Deo. Si dicatur quandoque dari poſſe in quibusdam hominibus in extremis mundi partibus. Tunc

dico

dico illos non puniri in æternum, cum non offenderint Deum, nec peccaverint in Deum. Si autem dicatur, impoſſibilem eſſe ignorantiam invincibilem de Deo, quod quidem veriſſimum eſt;nam, ut ait D.Hieronymus epiſt.3. ad Nepotianum : *Totius Mundi una vox eſt Deus eſt*; Et Tertull.in Apologet. cap.17. *Summa eſt delicti nolentium agnoſcere, quem ignorare non poſsunt*. Tullius lib.1.de legibus:*Nulla gens eſt tàm immanſueta,quæ non,etiamſi ignoret, qualem Deum habere deceat, tamen habendum ſciat*; Si ergo dicatur, Deum ſub aliqua ſaltem confuſa ratione numinis, & ſupremi Mundi Moderatoris ignorari non poſſe, ſuboritur item aliud dubium: An tunc peccans cognoſcat per peccatum in Deum mereri pœnam æternam; etſi non cognoſcat; quomodo punietur in æternum? Non enim eſt eam amplexus in peccando;ergo ei non debetur;Si autem cognoſcit; ergo per legem naturæ intimatur peccato gravi deberi æternum cruciatum;ergo pœna perpetua reſpõdet jure ſuo peccato;& non per legem divinam poſitivam. Ut clariùs procedatur, ſigillatim omnes expendo partes.

3. Dico primò,ignorantiam invincibilem de Deo dari non poſſe. Pro quo notandum eſt à Theologis, ignorantiam invincibilem illam dici, quæ ſuperari non poteſt; itaut nullum ſpiraculum cognoſcendi ſuppetat. Ignorantia vincibilis eſt illa, quæ vinci poteſt, quatenus ſuppetit medium cognoſcendi. Iterùm ignorantia vincibilis dividitur in inculpabilem, & culpabilem. Vincibilis inculpabilis eſt illa,qua quis ignorat aliqua,quæ ſcire poteſt, ſed non tenetur ſcire, nec ſcire eum oportet. Vincibilis culpabilis eſt illa, qua quis ignorat ea, quæ ſcire debet. Vndè iſta ſubdividitur in ignorantiam craſſam, & ignorantiam affectatam, ut videri poteſt apud Morales, Navarrum, Toletum, &c.

4. Probatur nunc cõcluſio ex abſurdo, ut notat P.Palanco, quia ſequeretur hominem illum ignorantem exiſten-

ſtentiam Dei eſſe impeccabilem non ſolum contra Deum, ſed etiam contra rationem, & conſcientiam; nam ratio propria in tantum obligat, in quantum derivatur à ſuperiore; ergo, ſi ille homo ignorans Deum, non poſſet peccare contra Deum, neque poſſet peccare contra rationem: Quod autem eſſet impeccabilis contra Deum, conceditur ab Arriaga; nam ignorans Deum, conſequenter ignorat mala moralia eſſe contra Deum; ergo, ſtante ignorantia invincibili, Deus nunquam offenderetur ab illo homine, quidquid ageret, & homo ille nunquam peccaret, nec peccare poſſet; eſſet ergo impeccabilis contra Deum. Probatur, quod etiam eſſet conſequenter impeccabilis abſolutè, & ſimpliciter. Si dici poſſet peccare, aut peccare poſſe; ideò eſſet, quia poſſet agere contra rationem, & agere contra rationem ſemper eſt, ut inquit communis vox, malum morale; ſed hoc, ut dicebam, ſi eſt impeccabilis in Deum, nil premit; ergo. Probatur minor obligatio, & debitum ad culpam, & pœnam, in agendo non poteſt naſci ex propria notitia, & proprio dictamine, ut ſuo; ergo, ut derivato, & cõmunicato ab aliquo alio ſuperiore; ergo, ſi datur ignorãtia invincibilis numinis, & legislatoris, quævis notitia, quodvis dictamen non erit lex, nec præceptum, quia præceptum, & lex naſcitur à ſuperiore, & non poteſt obligari, niſi à ſuperiore ad culpam, & pœnam, ut dixi; ergo dicendum eſt, neminem eſſe poſſe ita rudem (dummodò ſit rationis compos) ut ei deſit ingenium ad cognoſcendum in confuſo aliquod Numen Supremum in ipſis dictaminibus naturæ rationalis. Quo poſito.

5. Dico ſecundò: Quilibet homo diſcordans à ratione in operando, peccat contra Deum, & ſcit offendere Deum, non ignoratum, nec ignorabilem, ut ſuppono. Hoc eſt evidens, nam, cognito Deo, naturæ gubernatore, omnis actio diſcordans à dictamine rationis, eſt contra Deum, & per illam offenditur Deus.

6. Dico

6. Dico tertiò: Ille homo peccans cognoſcit deberi pœnam ſuo peccato. Probatur, quia ipſo lumine naturæ quilibet malè operans cognoſcit,dignum ſe eſſe vituperio, pœna.

7. Dico 4.Non tamen cognoſcit deberi pœnam æternam; nam, ſecluſa lege evangelica, homo per lumen naturale nequit cognoſcere, & conſequenter invincibiliter ignorat peccato gravi deberi æternum cruciatum. Etſi enim naturaliter videat culpam ſociatam cum pœna, & pœnæ debito;non tamen ſcit,nec ſcire poteſt ſociari æternitatem pœnæ, nam, licet quo major eſt culpa, eò major ſit pœna, & hoc naturali lumine intellectivo fulgere poteſt, ſemper tamen citra infinitudinem, ſi culpa ſemper eſt finita.

8. Dico quintò; Ex lege naturæ ſcitur,hominem peccantem peccato gravi fieri dignum,& capacem pœna æterna, ſeù pœna maxima, quæ in implicito dicit æternitatem. Hæc concluſio non contradicit præcedenti:In illa locutus ſum de debito; hìc loquor de capacitate;& probatur aſſertum; nam, ſi verum eſt naturali lumine cognoſci culpæ deberi vituperium, ſupplicium, &c.& majori,atque ſceleſtiori majorem pœnam. Aliundè, cum peccatum ſit offenſa Dei eſſentialiter, invincibiliter haud ignorabilis;ſequitur,naturali lumine cognoſci poſſe per peccatū fieri capacem ad ſuſcipiendam in æternum pœnam, ſi Deus velit eam infligere, offenſus per culpam.

9. Dico ſexto. Per peccatum homo, licet evangelica lege non inſtructus, nec divinam comminationem ſciens, æterna pœna punitur. Et ideò æterna pœna, quia contra lumen naturale, quo cognovit per culpam fieri capacem, ut æternum puniatur à Deo,ſi voluerit,liberè operatus eſt. Probatur iſta concluſio per partes.

10. Prima liquet ex fide, Deum punire peccatores in æternum, nam licet Chriſtianam religionem neſciant ex

hypo-

Digitized by Google

hypotheſi, damnantur tamen ad inferos ex aliis culpis contra Deum, ut ſuppono non ignoratum, nec ignorabilem invincibiliter.

11. Secunda pars probatur, nam cap. 7. dixi, æternitatem pœnæ deberi peccato mortali ratione legis intimatæ comminatoriæ; qui autem legem evangelicam neſcit, & peccat contra Deum; jam cognoſcit per lumen naturale, culpam ſecum trahere pœnam; & ulteriùs cognoſcit, ſe fieri capacem, ut poſſit ſemper puniri à Deo offenſo, ſi ſic voluerit. Cum autem, ſtante hac cognitione, voluerit agere contra rationem, & contra Deum, jam acceptavit æternam pœnam, ſeù jam contrahit debitum æterni cruciatus, & conſequenter culpa ſecum trahit æternitatem ſupplicii. Quod probatur, nam ſi cognoſcens ſe per peccatum fieri capacem, ut poſſit æternùm puniri, adhùc voluit peccare, conſequenter voluntaria culpa, & quoque volũtaria eſt pœna, quoad infinitam durationem in implicito: Volens quippè fieri capacem, ut juſtè poſſit, ſi Deus voluerit puniri in æternum, eſt in implicito mereri pœnam æternam, quia eſt velle eam.

12. Advertendum igitur eſt, hominem per peccatum ſolummodò fieri capacem æterno ſupplicio, ideſt poſſe ſic à Deo puniri, quatenus juſtè puniret, ſi ſic punire vellet, poſito peccato; & hoc antecedenter ad omnem comminationem ſub tali, tantaque pœna, quia dicta capacitas naſcitur ex peccato offenſa Dei. Ut autem hæc capacitas tranſeat in debitum, ſeù ſit ſimul debitum, ut peccator debeat perſolvere Deo creditori; id quidem naſcitur ex divina lege comminatoria violata, quatenus Deus potens punire, & volens æternum peccantes, offenſus eſt cum tali cognitione, quod ſit, ſicuti potens, ſic etiam volens punire æternùm tranſgreſſores ſuorum mandatorum: Vndè primò homo dicitur punibilis, quia, ſi Deus nollet punire, nollet exercere actum, quem poſſet exercere. In ſecundo

Digitized by Google

cundo caſu homo dicitur non ſolum punibilis, ſed puniendus, quia ſi Deus nollet punire, exerceret actum ſummæ miſericordiæ, nam actum, quem exercere deberet ex exigentia peccati, nollet exercere ex ſua pietate. v.g. ut hoc ipſum, quod dixi exemplificem: Intellectus humanus dicitur ſecundum ſe capax videndi intuitivè Deum, non tamen habet jus, aut quamdam exigentiam videndi Deum. Sic quoque peccatum eſt aptum puniri tanta pœna, non autem ei ineſt jus, ſeù exigentia tàm gravis ſupplicii antecedenter ad violationem legis divinæ comminatoriæ cognitæ, ſed oritur ex voluntate peccantis, quatenus, ſicuti culpa, ita tàm gravis pœna eſt peccanti voluntaria.

13. Dices: Ad rationem pœnæ non oportet, quod ſit voluntaria, ſed ſufficit eſſe voluntariam culpam; nam, poſita culpa, ſequitur pœna inſeparabiliter quoad debitum.

14. Reſpondeo, id verum eſſe, quoad pœnam, culpæ proportionatam, non autem quoad pœnam culpæ non proportionatam, ſed proportionabilem. Ego concedo culpæ gravi deberi pœnam de ſe, ſed nego deberi pœnæ æternitatem, cum ſit improportionata: At ultrò fateor proportionari poſſe, ſtante divina comminatione intimata, ex qua excipit proportionem; cum aliundè ſupponatur capacitas ad proportionem, nam ſupponitur capacitas ad divinam comminationem; Ex quibus nempè capacitate, & comminatione oritur ipſa proportio, quæ non oritur ex infinitate Majeſtatis læſæ, ſed ex lege prohibente ſub pœna infinita. Cum ergo conſtet peccanti transgreſſionem puniendam eſſe tali pœna, hoc ipſo, quod vult peccare, tantæ pœnæ conſentit, & indè naſcitur jus ad pœnam infinitam.

15. Dices: Peccanti, lege evangelica minimè inſtructo, non conſtat puniendum eſſe tanta pœna; ergo aut non punitur æternùm, aut falſum eſt, quod modò dixi.

16. Reſpondeo, conſtare punibilem eſſe tam gravi ſupplicio, & conſequenter implicitè non curaſſe pœnæ infini-

finitudinem, dum peccato ſe ſubjecit. Siquidem, dum cognovit eſſe punibilem cruciatu tàm gravi, ſcilicet, æterno, violavit legem, adhùc, ſi foret puniendus, ſicuti cognoſcebat, ſe eſſe punibilem, & conſequenter in implicito amplexatus eſt æternam punitionem; Igitur, ſeù fidelis, ſeù infidelis ſemper meretur æternam pœnam.

17. Objicies: Si pœna æterna, qua juſtus Deus punit peccatores, ideò eſt culpæ proportionata, quia in voluntario culpæ includitur volũtarium pœnæ æternæ; ergo oportet, quemlibet peccantem ſcire, inflictam eſſe in comminatione peccato æternam pœnam: Omnes peccatores minimè ſciunt hanc pœnam eſſe ſtatutam pro uno peccato mortali, nam invincibiliter ignorantes legem evangelicam, in qua reperitur talis pœnæ ſtatutum, graviter peccant, & propter eorum peccata æternùm torquentur; ergo, aut falſum eſt æternùm torqueri, quod dicere nefas eſt, poſita Dei cognitione; aut peccato ex ſua ratione debetur pœna æterna; aut, ſi dicatur, peccatum eſſe ex ſua ratione punibile tanta pœna, ſubſumo: Si peccatum de ſua ratione eſt punibile, & cognoſcitur eſſe de ſua ratione punibile, non ſolùm quomodocumque, ſed ſignanter æternitate; ergo, dum Deus decernit peccatores tali pœna punire, eſt juxta rationem propriam peccati; ergo pœna æterna reſpondet peccato gravi, ſeù, ut dicitur mortali; aut, ſi non reſpondet; ergo Deus non juſtè decernit, & non juſtè comminatur.

18. Reſpondeo in voluntario culpæ includi voluntarium pœnæ æternæ, ut pœna æterna debeatur peccato, atque concedo, quemlibet peccantem ſcire æternam pœnam eſſe impoſitam culpæ, aut explicitè, aut implicitè; quamobrem etiam ignorantes evangelici ſtatuti pœnalis comminationem invincibiliter, ob peccatum in Deum æternùm torquentur; nego tamen peccato deberi ex ſua ratione æternam pœnam; ſed ſolùm concedo eſſe punibile.

Ad

Ad ſubſumptum dico, Deum, dum decernit, peccatores punire tanta pœna operari juxta rationem propriam peccati, ideſt juxta capacitatem, & punibilitatem, non autem juxta rationem propriam peccati, hoc eſt jus, & quaſi exigentiam; Cum hæc non detur antecedenter ad legem pœnalem cognitam; ergo pœna æterna reſpondet peccato, diſtinguo conſequens, reſpondet, tanquam exigita exigitivo, & quaſi dicam ad jus, nego conſequentiam; reſpondet, tanquam capaci ad differentiam incapacis, concedo conſequentiam. Vel aliter diſtinguendo, reſpondet in debito, nego conſequentiam, reſpondet in capacitate, in quantum cadit in ſubjectum capax ſic puniri, concedo conſequentiam, &, ſi hoc modo non reſponderet, Deus non juſtè puniret; Ideò ergo juſtè Deus peccatorem addicit æternæ pœnæ, quia in peccato habet fundamentum addicendi eum volens addicere tàm gravi mulctæ; ſed formaliter addici peccatorem ob peccatum ad perſolvendam tantam pœnam, non naſcitur ex peccato de ſe, ſed ex lege divina prohibente, præcipiente ſub pœna infinita; quam legem, adhùc ſub pœna, &c. præcipientem, prohibentem neglexit peccans, ſeù explicitè, & in claro, ut Chriſtianus ſciens dictam pœnam in Evangelio comminatam; aut in implicito, & conditionatè, ut infideles invincibiliter, ut ſuppono; nam cognoſcentes, poſſe ad arbitrium Dei puniri, & maxima pœna per peccatum; dum peccant, adhùc ſi maxima pœna forſan exiſtat à Deo decreta, legem Dei detrectant; ergo virtualiter idem eſt, ac ſi explicitè ſcirent Dei ſtatutum pœnale pœnæ infinitæ in duratione.

19. Dices: Si ergo peccatum de ſe eſt fundamentum pœnæ æternæ; ergo æternitas pœnæ eſt proportionata culpæ. Reſpondeo eſſe proportionatam fundamentaliter, non formaliter, antecedenter ad legem ſub iſta pœna præcipientem, prohibentem, &c. Aut dic, eſſe proportionabilem, non proportionatam fierique proportionatam cum funda-

Digitized by Google

mento ſimul ſumpta voluntate divina, volente ita punire, cognita, aut explicitè, aut implicitè, aut abſolutè, aut hypoteticè; Et, ut res exemplo illuſtretur allato: Intellectus, quoad viſionem Dei intuitivam dicitur fundamentaliter proportionatus, & formaliter proportionabilis per lumen gloriæ, aut per ſpeciem impreſſam divinæ eſſentiæ; ſic peccatum de ſe non meretur pœnam æternam, nec pœna perpetua eſt proportionata culpæ; attamen eſt inter pœnam perpetuam, & peccatum poſſibilis proportio in actu, per divinam voluntatem manifeſtatam, nam hoc ipſo offenditur Deus præcipiens ſub tali pœna; & prout offenditur Deus fit capax peccator ad ſubeundam pœnã; prout offenditur Deus, ut præcipiens ſub dicta pœna perpetua meretur formaliter, & in actu perpetuitatem pœnæ.

20. Dices: Illud ipſum, quod ſufficit ad conſtituendum peccatum capax punitionis perpetuæ, ſufficere videtur ad merendum perpetuam pœnam; ergo fruſtra fit hæc diſtinctio Reſpondeo negando antecedens: Requiritur enim cõcurſus divinæ voluntatis volentis punire juxta capacitatem, aliter ſola capacitate poſita, non ponitur jus.

21. Redices: Si jus non ponitur debiti ad tantam pœnam perſolvendam; ergo etiam neque capacitas; ſed conceditur poni capacitatem peccati poſitione in Deum; ergo concedendum eſt poni quoque jus, & meritum, &c.

22. Reſpondeo facta ſuppoſitione, nullum malum relinqui in hoc Mundo à Deo impunitum, ſicuti nullum bonum irremuneratum, poſitione peccati in mea opinione, ſecluſa lege, illud prohibente ſub pœna æterna, non eſſe æternùm puniendum, licet ſecum afferat punibilitatem. Plus ergo requiritur ad conſtituendum actum, quàm capacitatem proximam, ſicuti plus ad capacitatem proximam, quàm remotam. Non mirùm igitur, ſi poni capacitatem concedatur poſitione peccati ad pœnam æternùm perſolvendam, non autem jus, nam jus indicat

quam-

Digitized by Google

quamdam neceſſitatem punitionis æternæ.

23. Objicies: Peccatum mortale de ſe meretur mortem æternam antecedenter ad Dei legem poſitivam;ergo de ſe pœnam perpetuam.

24. Reſpondeo peccatum grave ideò dici peccatum mortale, quia privat animam eo qui dicit: Ego ſum vita, & quidem perpetuò; non tamen quia de ſe addicit animam æternæ pœnæ poſitivæ: Hoc enim modo eſt mortale ob divinam legem,ſtatuentem tantam pœnam,neglectam à peccante. Lex ergo proportionatur capacitati, & capacitati ſimul,& legi emanatæ proportionatur pœna: Seù peccato, ut contra Deum, & contra legem pœnæ ſtatutæ proportionatur pœna æterna, qua diſtinctione puto me explicuiſſe ſufficienter.

25. Dices: Capacitas ad pœnam infinitam in peccato oritur, ut dicebam, quia eſt offenſio Dei infiniti, ſummi, maximi;ergo ex eo oritur etiam mereri pœnam ſummam; probatur conſequentia: Ex una parte peccatum de ſe meretur pœnam;Ex alia capax eſt pœnæ infinitæ in duratione ex Dei offenſa; ergo, ſi peccato debetur pœna, ut nemo non concedit, debetur pœna æterna.

26. Reſpondeo concedendo ex Dei offenſa peccatorem reddi capacem ad æternitatem pœnæ ſuſtinendam, & cum jure ad pœnam;Nego tamen cum jure ad pœnæ perpetuitatem. Licet enim peccatum indiviſibiliter ſit offenſa Dei, ejusque juris violatio, duplex tamen reſpectus conſiderandus eſt in actu peccaminoſo,& ad conatum voluntatis, notitiamque intellectus, & etiam ad Deum læſum affectivè, ut dicitur. Certè primo reſpectu meretur pœnam, ſecundò ſit capax æternæ pœnæ. Primò menſuranda eſt pœna, & cum actus intellectus, ſicuti, & voluntatis conatus fuerit finitus, ſequitur, peccatum de ſe mereri pœnam,non tamen per hoc præcisè æternam. Secundo autem reſpectu peccator non ſit meritorius æterni crucia-

cia-

ciatus; ſit verò capax ſuſtinendi talem pœnam, quatenus volens Deus ita punire, non eſſet contra ſubjecti aptitudinem, & capacitatem. Advertendum autem, me non loqui de capacitate, prout reſpicit Deum præcisè Dominum, ſed, prout reſpicit Deum vindicem, & ultorem iniquitatum in republica rationali. Poſita igitur lege manifeſtata conſtituitur peccator per peccatum merens æternam pœnam.

27. Quod autem ad ſuſtinendam pœnam ſit attendendus operantis conatus, non gravitas ex perſona læſa, ex humanis patere poteſt, nam aliter puniuntur peccatum patrantes absque prævio conſilio, aliter ex ira, &c. Pœna ergo peccati eidem debita, deſumitur à conatu arbitrii, ita ut proportio pœnæ ad culpam naſcatur ex quantitate culpæ. Debitum ſuſtinendi æternam pœnam, non oritur ex culpa, neque, ut offenſa Dei eſt, ſed, ut offenſa Dei præcipientis ſub comminatione æternæ pœnæ; Antecedenter verò ad legem Dei præcipientis, in peccato non intelligitur ſequi debitum ſuſtinendi æternam mulctam; at ſolummodò conſtitui punibilitatem ad rationabile arbitrium Judicis, ut pluries dictum eſt.

28. Hujus cogitati manifeſtum exemplum habeo apud eos theologos, qui putant in peccatore per entitatem gratiæ nō fundari jus adæquatum, & expeditum ad gloriam, niſi intelligatur etiam culpæ deſitio, ſeù excluſio; undè per entitatem gratiæ habitualis, & ſimul culpæ excluſionem acquiritur verum jus ad gloriæ conſecutionem, quidquid ſit (quod eſt alia quæſtio determinanda) an peccatum mortale poſſit ſimul coexiſtere cum entitate gratiæ. Ita à ſimili dicendum puto, hominem v.g. per peccatum fieri capacem ad æternam pœnam antecedenter ad Dei volũtatem, promulgatam de puniendo peccatores æternùm. Attamen non cum jure vero ad dictam pœnam, niſi poſt legem, & legis promulgationem cognitam; Quo poſito, peccator ar-

arbitrium Judicis videtur contemnere, & conſequenter ſubjicitur pœnæ æternitati,& indè naſcitur in peccato jus ad ſuſtinendam perpetuam pœnam,ſeù eſt in peccato infinitas talis, cui ex debito reſpondet infinita duratione pœna, nam ob infinitudinem pœnæ comminatam peccatori neglectam, & contemptam,dum vult ſe peccato addicere, illicò peccatum induit infinitatem. Non enim negatur, peccatores æternum puniri à Deo.Ita teſtatur S.Scriptura, SS. Patres,&c. ſed quæſtio eſt, undè hæc pœnæ proportio ad culpam oriatur.Ego exiſtimo derivari ex lege divina, peccatum prohibente ſub æterna mulcta; nam, ut ſuo loco expenſum eſt, omnes alii modi videntur inſufficientes.

29. Aliqui putant tertium modum,allatum à me cap. 7. eſſe ſufficientem, nec validè impugnatum fuiſſe. At, ut ejus inſufficientia pateat, repeto illum modum. Explicandi modus ille hic eſt: Peccator in actu peccati,ita voluptate fruitur, & Deum creaturæ ſeù proprio commodo poſtponit, ut intelligatur interpretativè,& in affectu perpetuò peccare; hoc eſt clariùs: Si tota æternitas eſſet in illo momento incluſa, peccans pro illo momento, videtur interpretativè peccare in æternum.

30. Hic quippè dicendi modus poſſet utcumque verificari de peccatoribus improbis laſcivis.Dixi utcumque, nam iſti affectarent æternitatem voluptatis terrenæ, in quo eſt novum peccatum, puta unum laſcivia, alterum effrænis voluntas, iſtam perdurare. De iſto ultimo, peto quomodo meretur pœnam æternam. Univerſaliter ergo dico, iſtam loquendi formam non ſufficere. Etenim vel expreſsè affectaret æternitatem, vel interpretativè; non primum, quia eſſet novum peccatum mortale, de quo item redit quæſtio; non ſecundum, quia tunc poſſet dici peccantem peccare in æternum interpretativè, aut, ut vis affectivè, quando in actu peccati ex prævia cognitione æternæ pœnæ comminatæ peccantibus,adhùc vult peccare,

re, ſeù vult peccatum præferre; & ſic evenire debitum ſuſtinendi pœnā perpetuā,ultrò concedo. Omnis alius ſenſus eſt gratis confictus;nā nemo peccans, præſertim ex fragilitate intendit,neque interpretativè ita delectari in illo momēto peccandi,ut,ſi totū tempus in eo eſſet inclusū,vellet adhuc delectari; ergo. Probo antecedens: Tunc aliquis dicitur interpretativè velle aliquod, quando juſtè poteſt præſumi, quod velit illud, v.g., dum homo peccat interpretativè contemnit Deum, quia præſumitur parvipendere Deum præcipientem,dum ejus mandata non ſervat;ſed, dum peccat homo, non poteſt præſumi velle eo momento voluptate terrena frui, adhuc ſi totum tempus eo fuerit incluſum; ergo neque interpretativè frui dici poteſt æternùm. Probatur minor: Hæc præſumptio argueretur ex peccato ſcilicet, quia homo vult tranſgredi mandatum Dei, & voluptatem amplexari; ſed id malè arguitur ergo; probatur minor: velle hominem peccare in inſtanti B, & tranſgredi mandatum, ſe ſubiiciendo voluptati corporeæ, non fundat præſumptionem, quod velit peccare in inſtanti ſequenti, &c. ergo neque præſumitur eo momento velle frui, adhuc, ſi tota æternitas in eo includeretur; nam ſi non præſumitur velle per temporis extenſionem peccare; ergo neque, ſi tota extenſio eſſet coarctata, niſi ſolùm pro uno inſtanti,quod reperitur in conficta coarctatione æternitatis, ergo, ſi reſolvatur hic modus dicendi; & omnes animi fictiones ſecludantur, nil aliud indicat, quam peccatorem velle, per illud inſtans offendere Deum, non autem importat affectivè æternùm offendere. Adde, quod illa conſideratio eſt chimerica, ſcilicet, ſi tota æternitas eſſet illo momento incluſa; eſt enim hypotheſis inconceptibilis; nam eſt inconceptibile, quod inſtans ſit annus, & quod annus unus ſit ſæculum; eſt quippè hypotheſis ſui ipſius deſtructiva; non ergo volens peccare pro uno inſtanti, eſt velle interpretativè peccare in æternum; ſed ſi res

benè

Digitized by Google

benè perpendatur idem eſt, ac volens peccare pro uno inſtanti, pro eo vult offendere Deum; itaut ſit impoſſibile pro eo non peccare, poſito, quod velit, & ſuppoſito, quod homo determinavit peccare; certè, ſi illud inſtans eſſet annus, eſſet æternitas, præſumitur velle per annum, per æternitatem peccare. Sed hoc quid indicat, mi Lector, niſi neceſſitatem conſequentem peccandi, ſeù ex ſuppoſitione determinationis amplexandi rem illicitam; ſcilicet, ſicuti ex ſuppoſitione voluntatis per inſtans cogitur peccare per inſtans: Si annus inſumeretur in voluntate peccandi, cogeretur per annum peccare; itaut ſicuti ad actum illum peccaminoſum eliciendum, ſufficit unius inſtantis inſumptio ad verificandam ſuppoſitionem actus; ſi non ſufficeret, ſed extenſius tempus per impoſſibile requireretur, adhuc per extenſius tempus diceretur peccare; & ſic præſumitur velle per dictum extenſius tempus operari ad verificandam, ut dixi, ſuppoſitionem exiſtentiæ actus peccaminoſi; ergo ſolùm ex illâ locutione infertur neceſſitas peccandi, dum peccat, &, quod per annum v.g. peccaret, ſi annus inſumeretur, ut in rei veritate ſolum inſtans inſumitur in verificanda exiſtentia actus liberi peccaminoſi; ergo ſolum colligi poteſt, quod interpretativè dici poſſet peccare, ſi dici poſſet ad verificandam exiſtentiam peccati inſumi, aut inſumi poſſe annum; quod, cum falſum ſit, & ulteriùs chimericum, & impoſſibile concludendum eſt ex illâ dicendi formula, nòn importare interpretativè peccare æternùm; ſed ſolùm, quod poſſet dici interpretativè peccare, ſeù poſſet peccare interpretativè, & affectivè, ſi dici poſſet, majus tempus, infinitum tempus requiri ad verificandam ſuppoſitionem termini, ſcilicet, actus. Cæterùm, cum hoc ſit abſolutè impoſſibile, abſolutè dicendum eſt interpretativè non peccare æternùm, ſed ſolùm, dici poſſet, ſi, &c.

31. Ex his colligitur, non ſequi, hominem per peccatum

tum mereri pœnam æternam; ſed, quod poſſet mereri, ſi dici poſſet interpretativè æternùm peccare; quod quidem dici poſſet, ſi infinitum tempus involveretur ad verificandam exiſtentiam peccati. Tunc quippè concedo æternùm peccare, licet pro uno momento operetur, quando peccans actu reflexo, licet ſciat, momento includi æternitatem eſſe quid fictum, & impoſſibile, ita voluptate, tentatione finit, ſe vinci, ut adhùc, ſi æternum tempus eſſet in instanti, vellet peccare; nam tunc volens peccare phyſicè per inſtans, vult peccare affectivè expreſsè per æternitatem.

32. Dices; ergo, ſecluſo actu iſto reflexo, peccabit æternùm affectivè interpretativè. Reſpondetur, deeſſe fũdamentum interpretationis. Aſſignetur; at aſſignari nequit, niſi per ſuprapoſitam formam loquendi, quæ ſufficienter impugnata eſt; ergo conſequentia perperàm illata.

33. Puto igitur probabilius eſſe aſſeverare, æternitatem pœnæ deberi peccato gravi, &, ut dicitur mortali, ob ipſam eamdem pœnæ æternitatem contemptam in violatione mandatorum Dei, expreſsè à fidelibus, & Chriſtianis; implicitè, & conditionatè ab omnibus cujuscumque cultus gentibus, quod pluriès notatum eſt.

34. Demùm dicere poſſem, adhùc poſita ignorantia pœnæ comminatæ à Deo, deberi peccato pœnam perpetuam, quia pœna eſt violenta non voluntaria; ergo non requiritur, quod fuerit acceptata, & conſequenter præcognita. Semper tamen requiritur, quod lex pœnalis puniendi peccatores æternùm præexiſtat, & fuerit à Deo lata; nam, facta ſuppoſitione divinæ legis de pœna infligenda, ſufficit ex parte hominis velle culpam, cui naturaliter debetur mulcta, vituperium, dedecus, pena, ut ei correſpondeat æternitas ſupplicii, à qua nos ſumma liberet benignitas per merita Jeſu Chriſti Salvatoris noſtri, cui honor per ſæcula, & hæc omnia ſubjecta judicio S. R. E. volo.

LAUS DEO VIRGINIQUE DEIPARÆ.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Google

APPENDIX

Ad Caput X. de Infantibus Fidelium, ab utero non excluſis, neque ex ſuppoſitione excludendis.

SEU

Ad Ad. R. P. Ioſeph-Maria Perrimeziũ S. T. L. Iub., Eminentiſſimi Cardinalis Imperialis Theologum, celebrem Verbi Dei Præconem, & Indicum in alma Vrbe Conſultorem.

EPISTOLA.

1 ANnus & ultra jam effluxit, ex quo editum fuit opus meum Reverendiſſimo P. Generali Roslet ſacrum de duplici humanæ vitæ ſtatu; & quamquam fauſtam ſubjerit fortunam judiciorum: non defuiſſe attamen ab aliquibus offendicula objecta ſcribis; quibus ſi idonea reſponſio non deerit, nihil erit ultra, ut ais, objiciendũ. Tu verò qui me amas, & ingenio, doctrinaque eximiè frueris, à juventute exhibita ſpecimina, petiiſti à me depelli; quæ ſignificare per litteras non es dedignatus. At appendix iſta in alias manus inciderat quàm typographi, ut in publicam lucem tunc prodiret. Expectationi meæ anxię, an à viris litteratis plauſu exciperetur, te non latet fauſtiſſimas ſucceſſiſſe cenſuras, approbationesve. *Librum à te nuper elaboratum*, in ſua ad me Epiſtola conſignavit Reverendiſſimus P. Zacharias Roslet Ordinis digniſſimus Generalis tertio Idus Junij 1704., *mihique ..... accepi*

✝ *pau-*

Digitized by Google

paucis ab hinc diebus. Summa letitiæ ſenſu ipſum perluſtravi, tibique plurimum gratulor, quod eruditè adeò ac piè, parique ad veritatem facundia materiam hanc ex ſe ambagibus refertam enodaveris, novaque perſpicuitate donaveris . . . . Clariſſimus in ſuis editis R. P. Joannes Saguens Tholoſanæ inclitæ noſtræ Provinciæ ad te ſcribens, de me ſic loqui ſignificaſti: *Pervenit ad me opus R.P. Vrſaya, qui licet in lectione Maignani verſatiſſimus putavit me in ſyſtemate meo Gratiæ defeciſſe à ſententia Maignani aſſerendo Gratiam habitualem non eſſe entitatem productam: Et defeci quidem ſciens ac volens à ſententiæ litera; ſed non defeci à ſpiritu quem me viva vox Maignani docuit: In re iſta ad Gratiæ habitualis entitatem pertinente, Maignani ſenſus fuit alius quidem patens, & alius latens; iſtum publicavi quia verum, & Maignano amicum; Illum tacui, quia falſum, nec à Maignano niſi cum nonnullis ſub intellectionibus, quæ illum verificabant propoſitum . . . . De cætero Doctrinam R.P. Vrſaya eximiè Maignaniſticam ſuſpicio, & multùm gaudeo, quod illam tam doctè* [a] *traxerit in ſtabilimentum Opinionis, in quam totus propendeo* . . . . Ad. R. P. Joannes Perrelli de Belviderio ſtudiorum noſtræ Provinciæ Præfectus digniſſimus, cujus cenſuram initio operis non appoſitam fuiſſe; neſcio quo ſidere adverſo, tabellionis pro more curſus retardatus fuerit; ut intempeſtivè eam receperim, in hujus Opinionis, quam ego ſtabilitam nova perſpicuitate donavi, patrocinium, ſic ſub datum 14. Febr. *1705. Ad. R.P. ingenuè fateor ad maximum voluptatis ſenſum ſuum librum legi, & reperi (quod abeſſe nequibat) omnia quoad particulares ſuæ opinionis circumſtantias probè fundata, benè diſpoſita, optimeque concludentia* . . . Quibus non defuit acceſſiſſe, qui judicium meum, publici quod juris feci, multis laudibus dignati ſint efferre, ſaltem quò ad ſingularem uſum, novamque lucem juxta illud Senecæ epiſ. *64.* in præfatione allatum à Ty-

a diſſert. 2. pag. 280. 281. num. 52.

po-

pographo. Non eſt autem, ut ſilentio præteream Illuſtriſſimum ac Reverendiſſimum D. Epiſcopum Tricaricenſem D. Franciſcum Antonium Leopardi munificentiſſimum noſtri Conventus Bonatorum Patronum; cujus ex fratre nepos D. Dominicus Leopardi J. V. D. humaniſſimè ſtimulos menti ad hæc conſcribenda adauxit. Illuſtriſſimum, ac Reverendisſimum quoque D. Hyacinthum Camillum Maradei Epiſcopum Policaſtren. ſuis litteris inſignem præſeferentibus ingenuitatem ſub datum 19. Junij 1704. Quinimò candidiori patrocinio ſucceſſoris moderni Epiſcopi Illuſtrisſimi, ac Reverendisſimi Marci Antonij de Roſa ſcientia, & virtute certatim conſpicui majus ſibi plauſus religioſi fulcimentum, dubio procul pollicetur. Illuſtriſs. D. Andream Benincaſa Regij Tribunalis Salernitani Aſſertorem, philoſophicarum, & cæterarum artium amantisſimum, & in eisdem exercitatisſimum. E noſtris plurimos tum noſtræ florentisſimæ, tum inclitarũ Provinciarum Neapolitanæ, & Tholoſanæ; quorum nomina prætereo, nè catalogum deſcribere cogar: Signanter Patres Ioannem Comite de Scalca, Franciſcum Riccardi de Rivello, & Albertum Remida de Marathea, qui ſpontè huic Operi accelerando, eorum generoſa Opera opes accesſiſſe curarunt; oportet ut non prætaream. At te ſolum demum ſufficere volo, qui has meas diſputationes, ſignanter de parvulorum ſalute laudibus extuliſti plurimis; ac ut meas lucubrationes publicarem, non ſemel impuliſti. Et ut concludam, fauſtam judiciorum fortunam ſubiiſſe meum librum, ſat eſt Reverendisſimi P. noſtri Generalis Zachariæ Roslet limatisſimi judicij cenſura.

2 His verò non obſtantibus tandem, Amice Colendisſime; quod ulteriori declaratione indigeret opinio mea, mihi indicaſti; ut ſcilicet offendicula quædam depellerem peramanter ſignificaſti. Tibi ergo cum pluris deferam, occurrendum exiſtimo reſponſione idonea; ideoque Appendicem hanc corpori colligandam per mo-

dum Epiſtolæ inſtituo. Scribis, Pallavicinum ſuper hiſtoria Concilij Tridentini referre, opinionem iſtam (nempè qualiter primoribus labiis attigerat Cajetanus, ut in præfatione) tolerabilem non declarari ſilentio Patrum Tridenti. 2. Pium V. in opere Cajetani expunctionem optaſſe. 3. Dominicum Soto, qui Concilio Tridentino interfuit eam reprehendere, atque hæreticam nuncupare. Ejusmodi igitur ſermonibus meam agitari opinionem, me certioras, ut has objectiones abigerem. Aptam, idoneamque en ſuſcipe reſponſionem, ut omnis à te removeatur ſcrupulus, quæ ſi tibi arridebit, non eſt quod ultra objici ſuperſit.

3 Incipiens autem ab ultimo; nil cogit ut authoritati Dominici Soto quaſi ad mentem Concilij ſubſcribam: plures enim Theologi libertate opinandi ſuis innixi principijs, nec aliorum ex corde recogitantes, plures, pluresque hæreticas nuncuparunt opiniones. In materia ſacramentalium ſpecierum, ſi quis nuper negaſſet accidentia remanere peracta conſecratione, extemplò hæreticam nuncupabant ſententiam. Ipſemet Sotus arguit Catharinum, ut alienum à Concilio; nam in ejus apologia cap. 2. inter alia, hæc dicuntur Catharino: *Ego verò, Pater Colendiſſime, breviſſimè aperiam falſum eſſe ſenſum, in quo perduras, & ut ego credo diverſum à mente synodi.* Sic autem rem ſe habere judicent æquo animo ſapientes: Relinquo harum locutionum exempla alia. Neque tibi ſcrupulus ſit, ut Dominicum Soto timeam, quia Concilio Tridentino interfuit. Primò, quia in Concilio conciliariter agente nec verbum ullum de hoc factum eſt. Secundò, & ſi in Congregationibus particularibus ab aliquo, aut ab aliquibus Theologis, & ab ipſo Soto reprobatum fuerit in diſcuſſione baptiſmatis judicium iſtud, à Cajetano delibatum. Primò non defuerunt, qui, veluti alienum à materia, quam examini ſubijciebant, dixerint, imò propugnave-

ve-

verint,ut Seripandus. Secundò non mirum,nam innumera diſsidia tot,tantarumque rerum,ibi geſtarum,ipſos inter, non defuerunt; & ſolùm Conſultivum votum,in eis rebus diſcutiendis,promebant;quæ à Patribus in generali Congregatione, & ſeſsione deciſæ firmabantur. Nota eſt apud hiſtoricum lib. 8. cap. 6. diſcordia gravis inter Epiſcopum Cavenſem, & Chironenſem in materia de juſtificatione. Diſsidium quoque magnum Pelargi Procuratoris Trevirenſis, Epiſcopi Canarienſis, Epiſcopi Motulæ, Vergerii, Seripandi in explicanda quidditate peccati Originalis: nihil tamen deciſum fuit,& monuerunt Legati,nè ſuper hoc diffiniretur; nam Concilium congregatum erat ad recidendos errores, non autem ad decidendas opiniones Scholaſticorum; quidquid dicat Petrus Suave Polanus,meritò ab hiſtorico impugnatus. Sic itaque,licet Theologi unus,aut alter in particularibus Congregationibus falſam,aut erroneam dixerint opinionem, quam ego nova luce expoſui,quæ tunc temporis non erat declarata,ſed ad ſummum à Cajetano delibata, primoribus,ut dicebam, labiis: noluit tamen Tridentinum verba facere; quamquam Sotus poſtea voluerit ſuo ſenſu cenſuram proferre. Te non latet,ut dicere cœperam,diſcordia gravis inter ipſum, & Catharinum; non tamen unus,aut alter ad mentem, & ex mente Concilii loquitur, ut mox dicam. Tertiò,ſi ex hoc capite Soti dictum magnum robur ſuſciperet; non admittenda in promptu eſt ſequela, ſcilicet,nos debere ſententiam Soti ſequi de contritione & diſpoſitione ad ſacramentalem abſolutionem; cùm in Concilio actum fuerit de contritione, & Concilio interfuerit Sotus ipſe. Vnde benè advertit Maignanus in phil. ſac. pag. 341. non eſſe neceſſe, ut ubi Doctor,qui Concilio interfuit,aliquid in ſuis libris docet; cenſendus ſit docere ad mentem Concilij: Et facto conſtat Catharinum inter,& Sotum ipſum æque præſentes Concilio diſſiden-

tes inter ſe circa aliqua, & in particulari de certitudine gratiæ. Eſt verò impoſsibile, ut ambo disſidentes puta Ambroſius Catharinus, & Dominicus Soto circa ſenſum Concilii, ſequantur ambo verum ſenſum Concilii. Igitur quod eam vocaverit Sotus falſam, erroneam, aùt acriori titulo, non eſt deferendum Concilio; ergo neque per hoc quod Sotus Concilio interfuerit; quod docet, & exaggerat, cenſendus eſt docere, & exaggerare ad mentem Concilii. Sicque reſponſum eſt ſimul ſuper hiſtoria Pàllavicini per tria illa adducta capita. Accipe tamen diſtinctiùs ulteriora, quæ tibi, ut ſpero, mirè arridebunt.

4 Ibi ſanè Theologis plurimis ardua viſa eſt, nam ſiccè admodum, & aridè multum; imò ex phraſi hiſtorici, timidè indicata inter Cajetani Scripta inveniebatur. Adhuc tamen propugnata fuit coram illis à Seripando eximiæ virtutis, & doctrinæ, qui fuit poſtea Cardinalis Legatus in Concilio ſub Pio Quarto. Patres igitur Tridentini; quia ad recidendos errores de Sacramento baptiſmi eos intentos eſſe oportere judicabant inibi ſe congregatos; licet ardua opinio Theologis viſa fuerit, noluerunt judicium promere. At ſi ſpectetur hæc ſententia, ut à me edita, & maxima luce donata quantum ex alto conceſſum eſt pro tenuitate mei ingenii, nullam dubitationem præſefert, omnem depellit arduitatem; ut conſtat ex eis, quæ conſultò adnotavi, & adnotanda eſſe exiſtimare ajebam num. 28. pag. 263. & alibi ſucceſsivè. Paucis verſibus expoſita Opinio à Cajetano remoram Theologis illis facere poterat: At clarè, & fuſo ſtylo agitata, acri exercitatione per ratiociniorum luculenta intervalla diſputata, limitationibus, quas apponendas fore cenſui, ut citato num. & alibi, diſpoſita omnem abigit dubietatem.

5 Adde, & ſit diſtinctior reſponſio ad primum, ut ex hiſtorico lib. 9. cap. 8. Theologis viſum eſt excerptas aliquas habere opiniones, quas exiſtimabant damnabiles;

cas

eas tamen non refert, niſi ſub confuſis, & generalibus verbis, quibus admiſcet in hiſtoria ſignanter opinionem Cajetani. Vbi patet, Theologis ex vi narrationis, non viſum eſſe aliquid momenti, nec ibi ſiſtendum ſermonem, dum eas, quæ nempè fuerint excerptæ opiniones, haud narrat. Quo ad Cajetani autem, quam diſtinctè refert, quaſi aliquid momenti dicas ingeneraſſe illis Theologis; jam patet ex hiſtoria, ab latum fuiſſe à Seripando viro venerandæ memoriæ; & inde Concilium nihil decidere voluiſſe, nec tamen ſilentio tolerabilem declarari nec intolerabilem: Siquidem, quæ paucis notata erant à Cajetano, meliorem lucem ſperare poterant, qua fulgente tolerabilitas præciſiva tranſire poſſet in poſitivam. Fortiſſimam rationem hinc pro me ſuſcipiendam ſuſpicio: Equidem ſi tunc temporis, quæ in tenebris jacebat opinio tacta, & non ſoluta, ſimpliciter indicata, minimè expoſita, ſufficienter placuit Seripando; non diſplicuit alijs, qui non oppoſuerunt ſe ei: Theologis non fuit condemnabilis, & Patribus, ſed ſolùm ſilentio tolerabilem non declarari, dictum fuit. Quantò magis nunc longa diſputatione declarata, modificationum luce definita placeret Seripando & alijs? & Soto arrideret?

Demum accipe, quæ ſuper verba hiſtorici ſolidè dico circa tolerabilitatem, non ideò declaratam ſilentio; quæ fuit una objectio mihi à te expoſita.

6 Linguæ Vocabulario advocato, *tolerabile* dicitur id, quod ſubſtineri poteſt, & ſufferri. *Intolerabile* autem, quod ſubſtineri nequit, ducta ſimilitudine à ponderibus, oneribus, &c.; ergo vel opinio iſta ſubſtineri nequit in fide, ſeu immediatè, ſeu mediatè; conſequenter erat tunc damnanda, à quò abfuit Concilium; imò Seripandus immunem à cenſura oſtendit; ergo, dum Theologi, aut, ſi vis, Patres dixerunt: *ſilentio non declarari tolerabilem*, eam fidei oppoſitam eſſe negarunt; nam, eliminato ſilentio

tio, totum Tridentum reſonare debuiſſet ad recidendos errores fidei. De qua ergo intolerabilitate, aut non tolerabilitate intelligendi ſunt illi Patres ſilentes jure, nam non injuria. Quis enim id dicere audebit? nemo quidem pro illorum Theologorum, & Patrum reverentia ex corde debita. Intelligendi ſunt ergo *de non tolerabilitate*, ideſt arduitate pluribus ambagibus ex ſe referta. Subſumo autem: omnes ambages in meo libro depuliſſe videor, & fuit cenſura Reverendiſſimi Patris noſtri Generalis Roslet num. 1., ergo non eſt amplius intolerabilis in ſenſu dicto.

7 Adde, & eſt valdè notandum, ſi verba hiſtorici ſequi velimus. Non enim Dialectica ad nullum uſum comparata fuit; non eſt vana inquiſitio, non futilis, ſed ſeria ſubtilitas, quæ dialecticis regulis firmatur ad evidentiam. *Silentio*, inquit hiſtoricus, *non declarata fuit tolerabilis*; ergo non fuit dictum, quod erat intolerabilis. Sicuti ſi quis diceret locutione poſitiva v.g. *Sententia aſſerens Chriſtũ in hoſtia reproduci, eſt tolerabilis*, differret à loquente hac alia locutionis forma præciſiva: *ſentẽtia aſſerens Chriſtum in hoſtia reproduci non dico, quod ſit tolerabilis*. Ubi vides ly *non* non cadere ſupra ly *tolerabile*, ſed ſupra ly *dico*. Itaque ly *non* in locutione illorum Theologorum, ut ex hiſtorico cadit ſupra ly *declarata*, non ſuper ly *tolerabilis*.

8 Ultra quam quod, ut dicebam, ſi qua locutio fuiſſet de non tolerabilitate, tota intelligenda foret de arduitate, de ambagibus, quibus undique referta appareret: non enim de ea, quæ maculam fidei afferret; nam Tridentini Patres ſilentium Tridento eliminaſſent; non de ea, quæ ſcandalum piis auribus ingerit; nam quid contra pias aures intelligitur? Quid ſcandali offertur? opinio eſt, quæ adauget fidelium pietatem, baptiſmi neceſſitatem fatetur, Dei bonitatem oſtendit, Chriſti redem-

ptionem

ptionem magnificit pro ſingulis, cujus paſſio exhibetur pro parvulis noſtris per auxilia opportuna, & idonea; conſequenter conciliat baptiſmi neceſſitatem pro ſingulis cum volũtate divina de ſalute ſingulorum per media, ſaltem ſufficientia.

9. Quod autem Pio V. in opere Cajetani diſplicuit hanc Opinionem delibari ob expunctionem dictam ab hiſtorico noſtro; ideò non leviter conjicio ex hiſtoria, quia impoſſibilitas ſuſcipiendi baptiſmum pueris periclitantibus, in confuſo accipiebatur abſque diſtinctione, & limitatione; quaſi attendenda eſſet ſuper hoc innocentia perſonalis ſuper baptiſmi defectu; quod ego renuo locis citatis, & in tota diſputatione liquet eam limitando, dummodo defectus, & articulus neceſſitatis non ſit culpabilis ab utroque parente, aut alterutro. Ubi advertendum eſt, per ea,quæ dixi, longè differre me à Cajetano; ſi differre dici poſſum ab eo, qui hanc materiam ita aridè expoſuit, ut potiùs per modum curſoris indicaverit, quam expoſuerit; & quam ego ſuſcipiendam duxerã, antequam Cajetanum legiſſem; ſed, ut in præfatione, quædam ſubobſcura lumina exceperam ſolùm à lectione cujusdam Opellæ Julii Syrenii Brixiani de prædeſtinatione.

10 Sed meliùs excipe ſecundam reſponſionem. Pontifex exiſtimans, ut eſt in confeſſo,neminem ſalvari poſſe ſine Sacramentis, ſaltem in voto, preces præciſè videtur inſufficientes ei apparuiſſe, ſed requiritur votum expreſſum. Votum autem non deeſſe patet, nam id ego volo. Cum autem neminem ſalvari poſſe ſine Sacramento, in voto ſaltem,facilè intelligatur *proprio*, ut verum eſt pro adultis; adhuc pro parvulis noſtris non deeſſe, clarè à me inſinuatum eſt pag.229. & quod proprium phyſicè non requiratur patet pag. eadem num. 130. & in tota diſputatione ex ſuis principiis altè deductum. Hæc omnia

apertè

apertè declarata non erant, & remoram faciebant. Totum hoc quod dixi, clariſſimè conſtat legenti verba hiſtorici pag. mihi 429. lib. 9. cap. 8. quæ modò referam. Demum ſi reſponſionem aptiorem fortaſſe efflagitas, lege hiſtoricum, ut dicebam, ex quo objeciſti, nam ſuppeditabit tibi reſponſionem. Dico ergo ad excludendam certitudinem, & infallibilitatem fidei, deductivè ſaltem de ſalute noſtrorum parvulorum, expunctionem deſideraſſe optimum Pontificem Summum. En accipe verba hiſtorici, qui locis citatis ait: *laonde il coſtituire una maniera infallibile d'andar in Cielo ſenza tal mezzo, ò ſenza il proprio voto d'eſſo, non pareva à propoſito*. Hanc autem conſiderationem, & doctrinam jam me accuratè præveniendo feciſſe, & evulgaſſe, poteras perſpicere pag. 307. num. 88. & alibi ſparſim. Jam video tibi promptam eſſe dubitationem quandam, ſed intellige: ſeù Cajetani, ſeù aliorum ſit, aut eſſe potuerit opinio aſſignans modum infallibilem intrandi in Regnum Cœlorum ſine baptiſmo, & abſque proprio voto ejus, ut in parvulis noſtris, parùm ſatago indagare; nam ſufficit mihi hiſtoricam narrationem exhibere: &, ut occurratur alicui volenti propugnare Cajetani opinionem, ſub correctione Sapientiorum indicatam, & cum timore, ut loquitur hiſtoricus, ab eo delibatam; ſatis dicitur, expunctionem deſideraſſe, nè veluti certa norma, & infallibilis haberetur pro ſalute deinceps ab aliis. Ego ſanè oppoſitum docui pag. 307. num. 88. & alibi. Certè ergo video, Pater Colendiſſime, tribus offendiculis objectis, me ſatis, ſuperque occurriſſe, & reſponſionibus idoneis omnem tuum ſcrupulum longè abegiſſe: cum igitur, ut ſignificaſti, iſtis tribus depulſis, non ſuperſit quid ultra objiciendum; gratulor, Deo favente, & ſimul tibi gratias maximas refero, materiam, quam expoſui in meo libro circa noſtros parvulos, iterum tui gratia ad examen adductam, inconcuſſam remanere ad

laudem

laudem Dei Domini noſtri Jeſu Chriſti Redemptoris omnium, & ſingulorum.

Hæc ſunt, quæ in reſponſionem duxi ſcribenda circa ea, quæ ex narratione hiſtorica Pallavicini ſuper geſtis Concilii Tridentini objeciſti. Si tibi arridebunt, Amice Colendiſſime, contentus valdè ero: ex eo vel maximè, quod ultra non erit aliquid momenti objiciendum. Quod ſi habuiſſes, expectationi meæ, & amicitiæ non defeciſſes; *nam*, ut Lelius, *monere, & moneri proprium eſt veræ amicitiæ, & alterum liberè facere, non aſperè; alterum patienter accipere, non repugnanter*. Interea autem iſtis fruere, dum aliò calamum dirigo; fortaſſe ad perſolvenda quæ in præfatione Typographus ſpopondit. Vale.

LAUS DEO, VIRGINIQUE DEIPARÆ.

Errata typographica in ſerie numeri paginarum poſt paginam 216.

Errata	*Correcta.*
pag. 209.	corrige 217.
pag. 210.	corrige 218.
pag. 211.	corrige 219.
pag. 212.	corrige 220.
pag. 213.	corrige 221.
pag. 214.	corrige 222.
pag. 215.	corrige 223.
pag. 216.	corrige 224.

Alia iterum committo benignitati Lectoris, qui optimè novit quam ſit difficile librum ſine mendis prodire. Dignetur quoque corrigere violentas interpunctionum quarumdam tranſpoſitiones.

Digitized by Google

INDEX CAPITUM.

Pro expedita facilitate Lectoris iterum excuſus.

Primæ Diſſertationis.

Cap.I. Primæ Vitæ Præſtantia deſcribitur. pag.2.
Cap.II. Ordinatæ modus tranquillitatis potentiarum inquiritur. pag.10.
Cap.III. Explicatur avulſio fomitis, &c. pag.20.
Cap.IV. Explicatur avulſio fomitis, &c. pag.92.
Cap.V. De Præſtantia libertatis Adæ ſecundum ſe. pag.98.
Cap.VI. De Præſtantia libertatis ex parte gratiæ. pag.99.
Cap.VII. De Præſtātia ex parte Gratiæ ſanctificātis. p.107.
Cap.VIII. De Proprietatibus Gratiæ habitualis. pag.133.
Cap.IX. De Prædeſtinatione hominum, &c. pag.141.

Secundæ Diſſertationis.

Cap.I. Secundæ Vitæ infelix conditio deſcribatur. pag.153.
Cap.II. Quod Adæ peccatum infecerit poſteros. pag.157.
Cap.III. In quo ſitum ſit peccatum originale. pag.160.
Cap.IV. De ſupplicis Originalis peccati. pag.166.
Cap.V. An decedentes in Originali ſentiant pœnam damni ex damno. pag.196.
Cap.VI. Vtrum poſſit peccatum irretractatum condonari, &c. pag.200.
Cap.VII. An peccatum grave ſit jure ſuo intrinſeco puniendum æternùm. pag.205.
Cap.VIII. Solvitur objectio de infinitudine peccati. p.213.
Cap.IX. De Prædeſtinatione poſt lapſum. pag.215.
Cap.X. De ſalute parvulorum medio baptiſmate. pag.221.
Cap.XI. De ſalute Adultorum, &c. pag.378.
Cap.XII. De libertatis defectu, &c. pag.380.
Cap.XIII. De aliis naturæ reparatæ præſidiis. pag.381.
Appendix. pag.403.

ERRATA TYPOGRAPHICA.

Pag.	lin.	Errata	Correcta
7	14	arguent	arguens
10	14	Adem	Adam
19	1	parebit	patebit
27	2	ſuſceptivuux	ſuſceptivum
13	6	fruebatar	fruebatur
20	4	deducatur. Conſequentia	deducatur conſequentia
67	28	ſenſitiva	ſenſitiva
111	29	vum	num.
129	30	ſupernaturalè	ſupernaturale
143	19	ſuffragetur	ſuffragetur
148	15	reſponſio	reſponſio
151	34	firmum	firmum
160	3	jus	ejus
167	32	abliti	obliti
188	3	quàm	quam
189	25	eogitur	cogitur
192	24	eſſe	eſse
195	5	Chriſti	Chriſtus
216	21	Jeſnm	Jeſum
211	3	bonitates	bonitatis
228	6	nequis	nè quis
241	23	debilitaſſet	debilitaſsent
245	32	ſopponat	ſupponat,
263	18	propterea	propter ea'
272	14	probabilins	probabilius
272	26	licuet	licet
289	2	inclinari	inclinavi
368	17	Sacramentalis	Sacramentali
320	31	viſibilii	viſibili
361	14	peteſt	poteſt

TYPOGRAPHUS AD LECTOREM

CÆtera menda ſicut & aliquas mendosè ſuſſectas interpunctiones emendabit humaniſſimus Lector, quas vitare dum typi feſtinanter inſtabant non potui. Indicem Alphabeticum rerum ac verborum, quæ in hoc opere continentur non neceſsarium exiſtimavi, cùm abundè ſufficiet index Capitum, &c. principio poſitus.

Digitized by Google

[illegible]

Digitized by Google

414

Digitized by Google

Digitized by Google

RESTAURO del LIBRO ANTICO
Cav. C. DI GIACOMO
PESCARA
1973

Digitized by Google

Digitized by Google